IOANNES GRAMMATICVS PHILOPONVS ALEXANDRINVS

IN PROCLI DIADOCHI DVODEVIGINTI ARGVMENTA

*

DE MVNDI AETERNITATE.

Opus varia multiplicique Philosophiæ cognitione refertum.

IOANNE MAHOTIO
ARGENTENAEO
interprete.

*



LVGDVNI,
1557.
Cum Priuilegio Regis.



IOANNES MAHOTIVS, TVRNONIENSI GYMNASIO PRAEFECTVS CLASSICVS, FRANCISCO A' TVRNONE, CARDINALI AMPLISSIMO S.



T S I in hac docendi prouincia, Cardinalis amplissime, in qua felicibus auspiciis tuis Philosophiam profitendi partes sum sortitus, vix satis otij à prælectionibus suppetere mihi potest, vt quicquam scribere poßim, quod te dignum esse videatur: tamen in tanta beneficiorum tuorum erga me magnitudine, nihil ardentioribus votis expetiui, quàm vt non ingrati saltem animi significationem aliquam apud amplitudinem tuam relinquerem. Atq; huic meæ voluntati non mediocrem stimulum adiecit, quòd cùm nuper in doctorum hominum corona (quos tu eximia tua liberalitate foues, & quorum consuetudine vnicè delectaris) de Philosophia egregiè multa, & acutè disputauisses, veterum Philosophorum de Mundi æternitate facta est mentio, vbi tu (vt omnium bonorum Scriptorum, & eorum præsertim, quæ ad retinendam nostram in Christiana religione persuasionem pertinent, mirum in modum es studiosus) statim ea legendi, quæ Ioannes Grammaticus, cognomento Philoponus, aduersus Proclum de Mundi æternitate scripsisset, te desyderio teneri dixisti. Hac igitur in re nihil priùs mihi faciendum putaui, quàm, vt tuo illi voto si non omnino satisfacerem, at certè, aliqua ex parte responderem. Itaque etsi videbam onus meis esse viribus impar, opus nimirum omniiugæ altioris & profundioris Philosophiæ refertum, & quod hominem non solùm in vtriusque orationis facultate diligenter excultum, sed etiam, tum in Platonica, tum in Aristotelica Philosophia egregiè versatum desyderet, quæ omnia aut planè mihi deesse, aut in me sanequàm exigua esse sentio: tamen vt tuæ voluntati obsecundarem, non dubitaui ingenij aleam subire, & quid in hac parte possem, experiri. Quare vt ex paucis totum opus, &, vt prouerbio dicitur, ex vnguibus leonem æstimare poßis, ac videre quid in hoc argumento valuerint præstantes Philosophi, de duodeuiginti argumentis illis, quæ impiè Proclus aduersus Christianos de Mundi æternitate scripserat, & quæ Philoponus admirabili eruditione dissoluit, ac refutauit, quatuor quæ prima extant, hîc tibi è Græco in Latinum sermonem conuerti. Argumentorum autem omnium primum omittere sum coactus, quia in exemplari Græco quo sum vsus, tum ipsum Procli argumentum, tum eiusdem per Philoponum solutionis prima duo capita de-

ſyderantur. Neque verò in hiſce conuertendis, orationis cultum aut elegantiam conſectatus ſum. Philoſophicum enim hoc ſcribendi genus, eiuſmodi eſſe perſuaſum habeo, vt dum Latina ſit oratio, & verba vſitata, interpres de reliquis non debeat laborare, è re enim omnis hîc cura ſuſcipitur: quam in hac diſputandi ſubtilitate exprimere haud temere poſſit, qui orationis ornatum conſectari volet. Græcæ enim orationis felicitas verbis ad hæc exprimenda accommodis abundat, quæ in Latinum conuerſa, prioris elegantiæ gratiam amittant, nec niſi ſententiæ diſpendio, aut ſecurè omitti, aut temerè commutari poßint. Hæc igitur purpurate Pater, eo animo accipies, quo, ea ſoles omnia, quæ ad ſolidam eruditionem, & ſynceram rerum cognitionem pertinent. Si hiſce perſpectis leonis vnguibus, totum leonem videre deſyderas, ad ea omnia perficienda, quæ tua amplitudo mihi iniungere volet, ſum paratißimus. Vale.

LAMBINVS MAHOTIO SVO S.



PHILOPONVS tuus aduersus Proclum de Mundi æternitate, diu à nobis conquisitus, Stephano Papelino mortuo tandem inuentus est. Ex eo cùm nudiustertius pagellas aliquot Cardinali recitassem atq; explicassem, visus est magnam ex ea lectione capere voluptatem. Itaque sic habeto, tum studium, ac laborem in ea re positum, valde Cardinali placere. quod quidem tibi non scriberē, nisi hoc ipsum me tibi significare per literas, & confirmare iussisset. Præterea, cùm prima Procli ratio, & Philoponi in eam argumenta desyderentur, hoc mihi negotii dedit, atque adeò hoc onus imposuit (si onus est, quod libenter feras) vt in bibliotheca D. Antonii (quæ libris Græcis ac Latinis pulchrè instructa, & ornata est) eum librum perquirerem, vt si fortè exemplar esset integrum, describendum curarem, quod tuo deesset. Feci, perquisiui, reperi: vt paucis expediam, ne hoc quidem integrum est. Sed cùm Latinum tuum cum hoc Græco Antoniano contulissem, comperi in hoc argumento propemodum omnia Philoponi, quibus primam Procli rationem refellit, inesse, quę Latino tuo desunt. Verba autem Procli, & principium eorum, quæ à Philopono opponuntur, planè in Græco desyderantur. Si igitur nihilo plus est in eo exemplari quo vsus es, quàm in tuo Latino (de principio loquor) curabo describēdum id, quod in hoc Antoniano Græco reperi. sin cùm ea quæ dico, pateant in vestro, idcirco omisisti, quòd essent ἀκέφαλα, hac cura atque hoc labore supersedebo. Principium exemplaris Antoniani ita habe: Τῇ γὰρ πεπερασμένῃ δυνάμει τῶν ἀπείρων κρατεῖν ἀδύνατον, &c. Adscriptum autem margini est, λείπει ἡ ἀρχή. Quare primo quoque tempore mihi significabis, vt se tota res habeat. Est & illud alterū, quod me tibi scribere iussit Cardinalis, gratum te sibi facturum, si reliqua (quod tuo commodo fieri possit) persequêre, extremáque cum primis contexes. Omnino longum opus est. éstque res multi otii, eget denique homine & diligente, & industrio: quę tibi, vt arbitror, suppetunt, nisi fortè minus otii tibi datur, quàm velles, quod multum ipse tibi docendi labor & munus eripit. Sed vincet omnes difficultates, mihi crede, assiduitas, & studium pertinax. Vale mi Mahoti, & me ama: quando te aliquando lacessiui, à Cardinali iussus (tametsi mea sponte id quoque facere cogitabam) fac vt aliquid reponas, præsertim vbi tua res agitur. Iterum vale, Venetiis decimosexto cal. Octob.

ILLVSTRISSIMO CARDINALI FRANCISCO A' TVRNONE

IOANNES MAHOTIVS S. D.



VM EGO libros Ioannis Grammatici Philoponi contra Proclum de Mundi æternitate, è Græco in Latinum sermonem iussu tuo conuertissem, Cardinalis amplissime nihil mihi priùs faciendum esse putabam, quàm vt curarem, vt ij tuo nomini tandem aliquando comparerent. Verùm docendi prouincia, & ob Sacerdotium, quo me ornatum esse tua benignitate voluisti, exortæ lites fecerunt, vt seriùs quàm voluissem liber puriùs, & emendatiùs descriptus, ad te mitteretur. Nam molestia, quam ego in tanta occupationum multitudine in prima Libri conuersione describenda pertuleram, ita me ab illo iterum describendo reuocauerat, vt illum nec in manus quidem sumere libenter possem. Quando tamen per literas Lambini cognoui opus tibi placere, & te velle, vt in aliud exemplum transfusum, ad te mitteretur, ego maiore quàm vnquam anteà alacritate opus, vt potui describendum curaui. Liber itaque ad te mittitur, cordatissime pater, ita descriptus, vt per eum librarium licuit, quem nancisci potuimus. Si opus ita conuersum esse iudicabis, vt dignum videatur, quod emittatur in vulgus præfationem adiiciam, qua & operis fructum explicabit, & quàm varia in quauis Philosophiæ parte contineat edocebit. Iam verò ne hoc opere absoluto horis succisiuis nihil agerem, eiusdem Philoponi Commentarios in libros Aristotelis de anima Latinos facere sum aggressus. Quod opus mihi omnium pulcherrimum esse videtur, quæ à Philopono in Philosophia scripta fuerunt, eorum certè, quæ ad nostram ætatem peruenerunt. Nam in tota Philosophia cùm nulla sit ea parte suauior, quæ in naturæ obscuritate explicanda consumitur: in hac tamen primum locum sine controuersia tenet, quæ de anima, & partibus eius instituta est disputatio: ea est enim, propter quam tam celebratum est illud, γνῶθι σεαυτόν, id est, nosce teipsum, vt Deo autori feratur acceptum. Cicero enim putauit non solùm pertinere ad minuendam arrogantiam, sed etiam, vt bona nostra norimus. Bona autem nostra tum demum probè nouimus, cùm animi nostri naturam, vim, & originem diuinam cognouimus. Nam ab animo, vt homines & simus, & dicamur, obtinemus. Sunt alia pleraque huius viri scripta, quæ omnia latinitate donare est animus: si hæc initia tibi placere intellexero. Quanuis enim autoris huius scripta nonnulla conuersa fuerint, ita tamen conuersa mihi esse videntur, vt à linguæ Græcæ ignaris, qui ex barbara & inepta translatione græcas phrases diuinare non possint, vix, aut ne vix quidem cognosci possint. Itaque me & huic meo instituto (cui, quandiu in tuo Gymnasio meus labor tibi non erit ingratus, ætatem meam deuoui) rem conuenientissimam, & à tua amplitudine, qua Philosophiæ studia omni fauore semper es amplexatus, non abhorrentem facturum esse putaui. si quod otij & temporis à prælectionibus mihi superest, id huic autori illustrando pro virili parte totum impendero. Omnes enim te, cùm omnium literarum, tum veteris Philosophiæ tam studiosum esse nouerunt, vt eos laude maiore dignos esse putes, qui veterum scripta in omni disciplinarum genere illustrare, ornare, & diuulgare student, quàm eos, qui in simili argumento noua cudunt volumina. Hi enim præterquàm quòd

nihil

nihil boni omnino tradunt, quod non illis acceptum ferre debeant, sæpenumero quæ ab illis planè & disertè explicata fuerunt, ab his inuertuntur, corrumpuntur, obscurantur. quanquam non ignoro hac nostra ætate quamplurimos inueniri, qui vtroque scribendi genere, hoc est, & veteres clariùs illustrandi, & noua feliciùs excogitandi, rem literariam tam diligenter prouehunt: vt sperem futurum, vt aliquando quæ in omni disciplinarum genere inculta iacebant, & orationis & interpretationis lumine in quauis lingua splendescant illustriús. In quibus etsi locum tenere fortasse non possim: mihi tamen abunde meus labor satisfecerit, si ea scribere possim, quæ tuæ amplitudini, & illi tuo tam exquisito iudicio non ingrata esse possint. Vale, Turnone quinto Nonas Iulias, Anno à Christo nato 1555.

NICOLAVS
EDOARDVS, CAMPANVS,
AD
GENEROSVM VIRVM
HENRICVM
A' GABIANO.

HENDECA-
SYLLABVM.

*

Qui diuina sapis, petísque, dextro
Ανθρώπινα terens pede, caduolánsq;
Quò fæcunda vehit, trahit, rapítq;
Diuini ingenij tui venustas,
Isthæc, Henrice, si legas lubenter,
Flores inde duos legas, nitorem,
Et fructum. Omne tulit proinde punctum
Autor. quem meritò corona μέσων,
Et cœtus celebris trium Sororum
Iam lauro viridi beántque cœlo.

LAMBINVS MAHOTIO S. D.


HILOPONVS tuus τῆς σῆς φιλοπονίας argumentum certißimum, teſtimoniúmque luculentum, venit ad nos circiter quartum Cal. Sextileis. Noli dubitare, quin Cardinali gratißimus fuerit. Sed ſcire debes, eum tot negotiis impediri, vt vix ſuæ valetudini conſulere, nedum legendis libris operam dare poſsit. Itaque ſtatim vt librum tuum accepit, iuſsit eum me audiente Carolo viro docto, epiſcopo Reſienſi dari, vt legat, eóque lecto de tuo ingenio ac tua diligentia ſententiam ferat. Quod eà fecit, quòd perſuaſum habet, te in illo Autore interpretando ſumma fide, maximáque induſtria eſſe vſum, præſertim cùm ſentiat te in vtriuſque linguæ ſtudio, & Philoſophia ita eſſe verſatum, vt credibile non ſit, quicquam eſſe abs te vel linguarum imperitiâ, vel inſcitiâ titubatum aut peccatum. Tuas ad Cardinalem literas ego ei recitaui. credas mihi, velim, fuiſſe ei iucundißimas. Superioribus tuis quas ad me miſeras, idcirco non reſpondi, quia nihil in iis erat ſcriptum, in quo meam fidem, meúmve erga te officium deſiderares. Verùm quia vereris vt mihi fuerint redditæ, libero te iſta cura: eas enim & accepi, & libentißimè legi, tùm quòd abs te veniebant, tùm quòd me de concordia veſtra certiorem faciebant. Quòd ſi exiſtimaſſem te meas fuiſſe requiſiturum, ego tibi vt in cæteris rebus ſoleo (cupio quidem certé) ſic in hac quoque gratificari ac ſatisfacere ſtuduiſſem. Vale, Compendii Calendis Sextilibus, anno poſt natum Chriſtum 1555.

AD D. IANVM
ANGELUM PAPIUM
PARTHENOPEVM,
PHILIBERTI BV-
GNONII I. C.
MATISCENSIS

*

CARMEN.

Est nihil æternum toto sub corpore cœli,
Quæq; Deus finxit, sunt peritura semel.
Principiis rerum quæ constant omnia, finem
Sunt habitura, Deus semper idémque manet.
Quid tamen hîc Mundum vocet Autor, nescia mens est:
Nam cœlum Mundi nomine turba vocat.
Sunt quoque nonnulli Sophiæ genitricis alumni,
Qui Mundi usurpant nomine Terrigenas:
Qui dicant etiam cuncta inferiora, sub ipso
Comprendi Mundi nomine. Quicquid id est,
Omnia crediderim sub Mundi nomine dicta,
Esse aliquando suum finem habitura grauem.
Pagina sacra docens arcana recondita legis
Diuinæ, Mundum perpetuum esse negat.
Vera fides hîc, vera salus hîc Christigenarum,
Qui mandata Dei, non violanda, timent.
Adductis vtrinque λόγοις, contraria tandem
Soluuntur, rerum sed manet vna fides.
Disputat hîc igitur magnorum more Sophorum
Philponus, assertor summus Aristotelis.

Velle & sperare.

IOANNIS PELISSONIS CONDRIACENSIS GYMNASII APVD TORNONEM IN VOLCIS Rhodanicolis præfecti de Ioanne Mahotio primæ claßis illic ductore ad lectorem.

*

Bis sex impleuit Tornone Mahotius annos,
Dum mecum doctas pergit habere scholas:
Ad me Tornonem ad tradenda Mathemata missus,
A patre Cardineo quem pia Torno dedit.
Doctus homo, eiusdémque patris iam munere diues,
Ac felix, nisi mors abripuisset eum.
Quantum autem idem esset lingua valiturus vtraque,
Hoc operæ illius sat tibi monstrat opus.

IN PHILOPONI LIBROS, CONTRA DVODEVIGINTI PROCLI ARGVMENTA, DE MVNDI

æternitate, Clementij Mahotij Argentenæi, ad Franciſcum à Turnone Cardinalem illuſtriſsimũ,

PRAEFATIO.



SAEPE miratus ſum, hominum noſtræ ætatis deprauatiſsimam ſcribendi libidinem, Cardinalis illuſtriſsime, qui ſine iudicio, & delectu quibuſuis ſcriptis chartas oblinunt, nihil penſi præterea habentes, quàm vt in vulgus aliquid emiſiſſe videantur: vnde apud poſteros, vel, vt veriùs dicam, apud præſentes (ſic enim ſibi perſuadent) ſuum nomen reddant illuſtrius. Ex quo factum eſt, vt noſtra hæc ætas, inſtitutionum Grammatices, Dialectices, Rhetorices, adde Phyſices, Coſmographyſices, & omnium artium & diſciplinarum infinitam multitudinem pepererit, vt iam, quoquò te vertas, libros nouos plures & inutiles proferre, quàm bonos autores hodie poſsis: neque verò id morbi in artes & diſciplinas tantùm inuaſit, ſed in omni ſcripti genere radices altiùs egiſſe videtur. Atq; cùm huic malo remedium vnum vltrò conceſſum eſſe videretur, quòd hi optimi fœtus in oculis ſuorum parentum repentè intermoriuntur, non propterea tamen morbus hic ſerpere & graſſari deſinit. Nam ſubinde noui Scriptores ſuboriuntur, qui ſuis nugis omnia referciant, vt iam Typographi in his tam ineptis libris excudendis magis laborent, quàm in veterum Scriptis, quorum genius tam longinquam ætatem tulit, fideliter promulgandis. Qui autem ideo ſcribunt, vt ea, quæ in quauis arte obſcura ſunt, clariùs illuſtrent, & inuoluta apertiùs & diffuſiùs euoluant, perpaucos ſanè reperias. Quæ cauſa mihi eſſe videtur, cur hodie, cùm literæ ſuauiùs, quàm vnquam antea florere dicuntur, tam pauci tamen reperiuntur, qui in optimis diſciplinis & ſalutaribus artibus probè inſtituti, ſolidam eruditionem ſint conſequuti. Nam vt omnes rerum nouarum naturâ auidi ſumus, quæcunq; ex Typographicis officinis ſpecioſo aliquo titulo noua prodeũt, ea incredibili cupiditate arripimus, legimus, & vt rarum aliquem theſaurum, cuius frequenter inſcriptio libri ſpem oſtentat, diligenter excutimus: ſed magnis ſæpe ſudoribus, longo exantlato labore, nos iuxta prouerbium ἄνθρακας θησαυρὸν εἶναι reperimus. Ita fit, vt cùm ſine fructu, in iſtis legendis ætatem noſtram tranſigimus, bonarum artium, & rerum bonæ frugis inanes conſeneſcamus. Iis itaq; plurima deberi confitendum eſt, qui acriore mentis acie, & vi ingenii maiore præditi, in id maximo conatu incumbunt, vt res poſteritati vtiles & ſalutares, & veteribus inauditas exquiſitiore philoſophandi genere incitati excogitent, & inueniant, inuentas omni ſtudio excolant & perpoliant, & orationis cultu exornata poſteritati tranſmittant. Tamen illis quoque magnam gratiam deberi puto, qui ſtudium ſuum huc omne conferunt, vt à veteribus quæ bene inuenta

fuerunt,ea modis omnibus illustrare contendunt,dum aut ex vna lingua in alienam transferunt,aut obscuriùs dicta,apertiùs exponunt,aut concisiùs & breuiùs explicata, latiùs & diffusiùs interpretantur, & non satis exculta, melioribus commutant. Quæ omnia Ioannes Mahotius, frater meus germanus, & præceptor iuxtà doctus atque non pœnitendus, cùm in tuo tam celebri Gymnasio, maximæ auditorum frequentiæ præesset, auspiciisque tuis profiteretur publicè Philosophiam, in hoc nostro Philopono præstitit, quem tuo iussu, ea orationis facilitate latinum fecit, vt interpres potiùs composuisse, aut Commentarios scripsisse (nondum tamen perspecto Autoris titulo) quàm è Græco in Latinum sermonem vertisse cuilibet viro docto inter legendum, prima fronte videatur. Quare non potest non magnopere probari consilium & propositum tuum, amplissime Cardinalis, quòd tam studiosè cõtendis, vt boni Autores, qui adhuc in Græcis delitescunt, in Latinorum lucem proferantur. Nam præter nomen Autoris, quo nihil est in Peripateticorum familia, celebrius, Operis argumento plurimùm es incitatus. Vbi enim ad nostram religionem opus pertinere intellexisti (nihil huius præter auditum ab interprete dico) desiderio statim ardere cœpisti, illud vt non solùm cognosceres, sed etiam vt Latinis hominibus inotesceret ac patefieret. Tu itaque id negotii Ioanni Mahotio fratri meo protinus iniunxisti, opus vt ipsum latinitate donaret. Ad quam ille prouinciam accersitus, tuis sanctissimis votis non parêre, omnino nefas esse duxit. Et vt nonnullis fortasse non sit satisfacturus, non dubito tamen, quin sint opus probaturi, qui codicis Græci, quem nactus erat, deprauationem priùs animaduerterint. vnico enim est vsus (rem expertus loquor) eóque corruptissimo. Is enim præter cicatrices permultas per totum corpus fœdissimè sparsas, ita mutilus ac deformatus erat, vt & capite & pedibus esset truncatus, vt in quo neque principium neque finis reperiatur. Nam præter ipsius Philoponi præfationem, quam & elegantissimam & copiosissimam eum scripsisse oportuit (sic enim vt coniiciamus, tum Procli, quem refellendum suscepit, celebre in Philosophia nomen, tum ipsius Autoris in diffusissimis præfationibus scribendis consuetudo facit) desideratur primum Procli Argumentum, vnà cum Philoponi cõfutationibus primis duobus capitibus. In fine autem postremi argumẽti, aliquot solutionis capita partim extant valde trunca, partim interciderunt. Quæ tamen in Græco reperit, ea, quàm summa potuit fide, interpres latina fecit. Nec dubito, quin si illi vita longior contigisset, quæ iam desiderantur, & mutila propter situm longo temporis spatio contractum, & imminuta remanserunt, ea, præter præfationem, suo facili iudicio & industria fuisset suppleturus. Id quod adhuc penes quemlibet virum doctum est agere. Hoc prætereà addam, quòd omnia Philoponi scripta, latina facturus erat, & Commentarios in diuini Platonis opera scribere decreuerat, vt res de Philosophia elucidiores in vulgus emitterentur. In disciplinis item mathematicis, in quibus maximam suæ ætatis partem consumpserat, longè pulcherrima & acutissima cum suis demonstrationibus excogitarat, & excogitaturus erat theoremata ac problemata: quorum Ptolemæus, Euclides, & cæteri alii Mathematici nunquam meminerunt. Porrò, quàm sit amandus hic Autor, qui

nostram religionem aduersus sceleratorum linguam tanta diligentia defendit, pii omnes intelligunt, qui norunt quanta sedulitate iis sit occurrendum, qui captiosarum conclusionum fraude, veluti cuniculis quibusdam, conantur ea subuertere, quæ nostræ religionis persuasit veritas, inter quos insignis fuit Proclus, qui in Christianos tetrum linguæ suæ virus eiaculatus est. de quo & nostri huius Philoponi toto hoc opere, Suidæ Autoris grauissimi extat huiusmodi testimonium: οὗτός ἐστιν ὁ Πρόκλος, ὁ δεύτερος μετὰ Πορφύριον κατὰ Χριστιανῶν τὴν μιαρὰν καὶ ἐφύβριστον αὐτοῦ γλῶτταν κινήσας: πρὸς ὃν ἔγραψε Ἰωάννης ὁ ἐπικληθεὶς φιλόπονος, πάνυ θαυμασίως ἐπιλυτήσας κατὰ τῶν δεκαοκτὼ προλείων ἐπιχειρημάτων αὐτοῦ, καὶ δείξας αὐτὸν, κἀν τοῖς ἑλληνικοῖς, ἐφ᾽ οἷς μέγα ἐφρόνει, ἀμαθῆ καὶ ἀνόητον. Id est, hic is est Proclus, qui post Porphyrium in Christianos scelestam & contumeliosam suam linguam secundus mouit: aduersus quem Ioannes cognomento Philoponus scripsit, & egregiè admodum duodeuiginti illius Argumētis occurrit, ostendítque eum in Græcis, in quibus sibi plurimùm arrogabat, imperitum esse ac fatuum. Quid hoc testimonio illustrius? Quid ad Philoponi laudem clarius dici potest? Id verò pleniùs verum esse intelliget, qui ipsum opus studiosè euoluere, & in eo sedulò versari volet. quod proculdubio sine maximo fructu, Philosophiæ studiosus facere nullo modo potest. Tanta enim diligentia omnia persequutus est, vt in hisce Procli rationibus refellendis, nullam eius partis Philosophiæ disputationem, quæ in naturæ obscuritate explicanda consumitur, intactam omiserit, imò, vt veriùs dicam, totius Philosophiæ parteis omneis, alias quadam ex parte attigisse, alias exquisitè persequutus esse videbitur. Nam cùm Aristoteles & tota Peripateticorum schola Philosophiæ studia in eam partem, quæ cognitione cernitur, & in eam, quæ posita est in actione, diuiserit, vtriusque pulcherrima theoremata diligenter & acutè explanauisse comperietur. Quod vt pleniùs intelligatur, veniam mihi tua concedat amplitudo, dum harum partium vtriusque rationem paulò fusiùs expono. Eius igitur partis, quam cognitione cerni ex Aristotelis & Peripateticorum decreto diximus, parteis tres ipsi fecerunt: tot sunt enim differentiæ rerum, quæ sub cognitionem cadere possunt. Aliæ enim sensibus percipiuntur, rerũ omnium infimæ, quæ Græcis τὰ ἔστιν dicuntur. Atque hæ in materia omnino cohærent, neque ab ea diuelli vllo modo possunt, vt os, vt caro, vt panis. Aliæ sunt ab his plurimùm remotæ, quæ sola mente & intelligentiâ comprehenduntur, quæ materię nullius sunt participes, neque in ea vllo modo reperiuntur, aut sensu vllo percipi vnquam possunt, quæ Græcis τὰ νοητὰ vocantur. Atque vt illæ caducæ sunt & perpetuis obnoxiæ mutationibus: ita hæ omnis mutationis immunes hîc diuinæ sunt & sempiternæ, vt à sua essentia nunquam dimoueantur, vt Deus, vt mens, vt spiritus immortalis. In vtrarumque medio aliæ demum sunt positæ, quæ quamuis in materia cohæreant: non tamen vt illæ cum sua materia necessariò cognoscuntur, sed cogitatione, ab ea separantur, vt quam nullam certam habent. Neque vt hæ modis omnibus materiæ sunt expertes, sed in materia omnino consistunt, à qua tamen, vt dixi, sola cogitatione reuelli possunt, vt circulus, vt triangulus. Vnde quemadmodum superiora Græcis, à mente, qua so-

la comprehenduntur, νόητα, dicuntur: ita hæ à cogitatione, quâ à materia ſeparantur, διανόητα vocantur. Et quemadmodum ab omnibus extremis, hæ ad eum, quem diximus, modum ſeparantur: ita cùm vtriuſque aliquid habent commune, & amborum ſocietate gaudent. Nam cùm primis illis rebus, quas & in infimo gradu poſitas eſſe, & à ſenſibus percipi diximus, hac ſocietate coniunguntur, quòd ambæ in materia cohærent, quod reliquis nullo modo conuenit. Cum ſupremis autem illis, quæ ad mentem referuntur, hiſce hoc conuenit, quòd ambæ ſine materia cognoſcuntur, quod formis primi generis conuenire non poteſt. Ab hoc igitur triplici rerum genere tres diſciplinarum ſpecies exorta ſunt, quorum vnum in earum rerum inquiſitione poſitum eſt, quę ſenſibus percipiuntur, quæ naturæ res ideo eſſe dicuntur, quòd à natura proximè producuntur. Vnde totum hoc phyſicum eſt appellatum. Alterum ab hoc longè diuerſum, altiore mentis cogitatione rerum earum naturã inueſtigat, quæ ſola intelligentiâ comprehenduntur. Hoc genus à præſtantia primam Philoſophiam continere dicitur, & eam ſcientiam, quam Græci Theologiam dixerunt, à quibus etiam, Μεταφυσικὴ nuncupatur. Tertium denique genus earum rerum naturam euoluit, quas medias eſſe diximus, & quod Mathematicum appellatur, atque hoc totum in quantitate aut continua & cohærente, aut diiuncta & diſcreta conſumitur: Vnde diſciplinas Mathematicas quatuor conſtituerunt, duas, quæ diiunctam explicent quantitatem, Arithmeticam & Muſicam, quæque continuatam, duas, Geometriam & Aſtronomiam. Hæ ſunt igitur diſciplinæ, quæ totam eam partem exponunt, cui Veri propoſita eſt inquiſitio, & ſola cognitione conquieſcit. Eius autem partis ſapientiæ, quæ eſt de vita & moribus, & in actione tota eſt poſita, tres parteis fecerunt, vnam, quæ ſingulorum mores informaret: alteram, quæ familiæ ſapienter adminiſtrandæ rationem præſcriberet: tertiam denique, quæ totius ciuitatis, & Reipublicæ formam quàm optimam inſtitueret. Hæc ſunt ſapientiæ ſtudiorum ſpatia latiſsima. Nam tres illæ artes, Græcorum vocabulis dictæ, Grammatice, Dialectice, & Rhetorice, quæ in oratione, qua omnia ſapientiæ ſtudia explicantur, omnino conſumuntur, à ſapientiæ partibus à Peripateticis meritò excluduntur, cùm nullius rei tractationem ſuſceperint, ſed per omnes ſapientiæ partes diffuſæ ſint. Hęc igitur omnia hic noſter Autor mirum in modum eſt perſequutus. Nam in Philoſophia, in qua ſe non minùs verſatum fuiſſe, quàm quiuis alius vnquam fuit, ſuis ſcriptis demonſtrat Ariſtotelem, quique eum ſunt ſequuti Peripateticos, eſt imitatus: ſed ita tamen, vt amicos Philoſophiæ ſtudioſos veritatem nunquàm celauerit, hoc eſt Ariſtotelis, eiúſque interpretum errores, quoties opus fuit, refutauerit ac prorſus euerterit: imò verò præter hos, & Sophiſtas imperitos, inter quos Proclus egregius eſt, ipſum quoque diuinum Platonem ſuorum erratorum, in hoc ſuo opere, damnauit duriſsimè: vt quando Plato non veritus eſt Ideas ſiue ſpecies non ſolùm ſubſtantias appellare, ſed etiam primas ſubſtantias ab omni materia ſeiunctas eſſe pronuntiauit. Multa ſunt præterea à Platone dicta, quibus Proclus tanquam firmiſsimis argumentis Mundi æternitatem oſtendere nititur, quæ vtrum vera ſint an falſa, ſyncerę opinioni & exquiſito lectoris docti iudicio relinquo. Is enim non ſum,

qui tan-

qui tantum virum reprehendere cupiam. Cùm igitur Proclus contra Christianos Mundi perpetuitatem ostendere ac probare vellet, sua sæpius contexuit argumenta ex eo, quod putaret verè à Platone dictum & excogitatum fuisse, quod tamen longè erat à veritate alienum. Aut si certè ab ipso Platone pronuntiatum fuerit, id Proclus sophista perperam intellexit, & ad suum sensum nimia luxurie detorsit, vt inter legendum quilibet Philosophiæ studiosus facilè tum ex Philoponi acutissimis refutationibus, tum ex Procli captiosis cōclusionibus intelliget. Nam fructum Operis, & quàm varia sunt in quauis Philosophiæ parte prolixiùs explicare, in præsens omitto. Hoc enim tantùm ago, vt fratris mei vicem, quam ego meritò sum sortitus, aliqua ex parte supplere possim, eiúsque Latina hæc interpretatio iam tuo nomini dicata, tandem aliquando in lucem edatur: postquàm maiora tibi præstare, aut polliceri, & ingenii mei angustia prohibet, & otium negat. Cæterùm, Deum Opt. Max. precor, vt tibi omnia secunda, & ex tuis sanctissimis votis succedant. Vale. Lugduni, anno à Christo nato 1556. quarto Cal. Iulias.

NICOLAVS EDOARDVS, CAMPANVS,

AD MECOENATEM SVVM CAROLVM A' PORTA.

*

Quicquid Phœbus alit, cælo dispersus opaco,
Quicquid pontus habet, quicquid alumna suis
Saturni coniux complexa est finibus amplis,
Seu quæ latura est, seu tulit antè φύσις,
Omnia compositis soluentur partibus olim,
Natiuum repetent, vnde petita, locum.
Sed magnæ molis, rerum cognoscere causas,
Quo fiat fato ὡς πάντα μέλλεσθαι φθοράν.
Philponus id noster stringit, soluítque disertè
Præ reliquis, quos hæc secla tulêre viros.
Num illum Graij celebrent cælóque locabunt,
Τῆς δρυὸς, Δάφνις τε ἄξιον ἄνδρα πολύ;
Nos verò Mahoti ternis deníque coronis
Te dabimus, qui vel Græca Latina facis.
At tu Mecœnas, lectißime Carole, gnarus
Aera lupinis distinguere, ταῦτα βλέπε.



IOANNES
Grammaticus Philoponus
ADVERSVS PROCLVM,
De Mundi æternitate.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum primum.

Deest principium.

ex æuo, & æternitate in idem, & ex tempore in infinitum deducere: neque enim æuum & tempus idem intelligit. Hinc igitur prius probatum sumamus, quòd, vel ipsomet autore, vires infinitæ sunt in æuo. Quare si tum secundum Proclum, tum secundum Aristotelem, vires infinitæ sunt in æuo, & , vt omnino dicam, si quod ex æuo est & æternitate, perpetuum est & virium in finitarum, certè quod virium compos non est infinitarum, id æui non est partic eps. Quod autẽ æui nõ est particeps, id æternũ non est. Si igitur secundũ prædicta-rum duarum hypotheseωn, Deus infinitarum virium compos non est, nullo modo sempiternus erit. Quòd si sempiternus non sit, sub tẽpore erit necessariò. Omnium enim rerum, quæ sunt, aliæ in æuo sunt sempiternæ, aliæ in tempore, non sempiternæ. Itaque si sub æuo nõ est Deus, neque virium est infinitarũ, neque est perpetuus. Nam quæ finitæ sunt vires, semper sufficere ad perpetuitatem non possunt. propter vires finitas

aut quidpiam erit aliud, quod causa sit, cur ipse constet & permaneat. Rursus igitur in illo eadem requiremus. Quoniam enim illud quoque procreandi vim habet, vt quod tum hoc produxit, tum dedit, vt hoc posset efficere, necesse est & de illo meliora produci quàm quæ producit necesse, vt aut in infinitum euadamus (id quod absurdum est) aut infinitas Dei procreandi & efficiendi vires esse statuamus: aut potiùs Deum in omnibus infinitarum esse virium. Quoniam etsi Deum omnium, tum quæ facta sunt, tum quæ sunt futura, cognitionem habere, sine principio est & fine

carens. Quòd si infinita sunt, tum quæ facta sunt, tum quæ sunt futura, fieri non potest, vt Deus (si quidē finita sit in eo ac non immensa cognoscendi vis) aut ea quæ præcesserunt, aut ea quæ futura sunt, cognitione cōprehendat. Nā finitis viribus infinita tenere, eorū est, quæ fieri nō possunt. Quare neq; quæ facta, neq; quæ futura sunt cognoscet Deus. Nā si cognoscet, aut Mundus ortu & interitu nō carebit, ne infinita sint, tum quæ facta, tum quæ futura sunt: aut certè nō finita facultate cognoscit ea, quæ sunt. Quod si verum est, neq; sanè finita ea vis est, qua gignit & procreat. Cùm igitur si duæ hæ statuantur hypotheses, nempe ea quæ Dei vim vnam eámque simplicem esse ponit, Deum autem finita facultate opera sua efficere, & ea, quæ Dei vires plures quidem esse statuit, cæterùm nullam esse infinitam : cùm inquam, si hæ ponantur hypotheses, absurdissima consequuta sint, nempe tum non sempiternum esse Deum, sed subiectum esse tempori, tum ipsum alio indigere, quod tribuat, vt permaneat in perpetuum. Quod rursus easdem ineptias effugere non possit. Adde etiam, nec eorum quæ antecesserunt, nec eorum, quę futura sunt, Deum habere cognitionem, cùm ipsi confiteantur mundum & ortu & interitu carere. harū igitur hypotheseωn nulla erit vera. Iam tres supersunt hypotheses. Nam si Dei vis est vna, infinita tamen facultate omnia peracta & effecta reddit, seu efficere, seu prouidere, seu cognoscere, seu quiduis aliud dicatur : aut multæ sunt facultates, & harum vnaquæque infinita : aut multæ, & harum aliæ infinitæ, aliæ autem finitæ. Quòd si aliæ finitæ sint, & aliæ infinitæ, in sorte & fortuna posita erit hæc ratio, neque omni iuris libertate vtetur. Quæ enim erit iuris autoritas, cur aliæ Dei vires finitæ sint, aliæ infinitæ? Sic enim futurum est, vt summus Deus aliqua in parte sempiternus sit, & aliqua tempori obnoxius. Atque adeò quæ Dei vires tempus producunt, ipsę tempori subiectæ erunt. Quòd si infinitus non est, quomodo ea, quæ sunt in perpetuum, continebit? Quibus enim viribus procreat, iisdem prorsus continet, quæ procreata sunt. Absurda igitur & eiusmodi, quæ fieri non possit, tertia comprobata est hypothesis. Superest igitur, vt è duabus reliquis altera sit vera: earum dico, quæ habent, aut multas esse Dei vires, & vnamquanq; esse infinitam, aut vnicam esse & eam simplicem, & ab infinita potentia quamlibet Dei actionem manare. Quod & verum magis est, & communibus de Deo notionibus consentiens, propter omnifariam Dei simplicitatem.

III. EX HIS igitur, quæ diximus, palā est, fieri non posse, vt finitis viribus Deus ea, quæ sunt, procreet. Quòd si fieri nō potest, vt finitę sint ꝓcreatrices dei vires, necessariò erunt infinitæ. Infinitas autem dico, non solùm quòd res proferre, ac producere semper possint (nam quæ non sic infinitæ sint, in perpetuum sufficere non possunt) sed quòd, vt ita dicam, in vnoquoque temporis momento singularum rerum, vt solis, vt animæ, vt cœli productio, ab infinitis omnino viribus perficiatur. Huiusce rei autem argumentum ad ea, quæ dicta sunt, accedet, quòd nullo tēporis impendio, sed vnà cū cogitatione, Deus omnia proferat, hoc enim de Deo vt credant omnes, communes efficiunt notiones. Vnde Theologorum, qui apud nos habentur, vnus scribit: Ipse dixit, & facta sunt. Alius autem: Cogitauisti, & facta sunt: animo concepisti, & in naturam producta sunt. Nam qui

tempus

tempus ipsum procreauit, temporis protractione ad res efficiendas indigere non potest. Quid enim? Nónne infinitas eius vires necessariò conuincit, quòd voluntatis concursus vnus, vt ipsa fiant, satis est ad omnium substantiam, & naturam procreandam? His tamen infinitis viribus, tum maximæ, tum minimæ rerum producuntur. Si enim vna & eadem potentia omnia in rerum naturam profert, vt ipsi quoque Proclo videtur. Nam in opere, quod de decem dubitationibus contra Prouidentiam composuit, scribit, quòd Prouidentiæ vniformis cognitio in eodem impartibili, omnium est, quę in partes deducuntur, cognitio, & vniuscuiusque tum eorum, quæ indiuidui, tum eorum, quæ totius rationem maximè subeunt, & vt vnumquodque, inquit, in naturam protulit secundum vnum, ita vnumquodque secundum vnum cognoscit. Si itaq; secundum vnum omnia procreat, facultate, quæ neque vnà cùm iis quæ procreantur, diuisa sit, neque completa: varia autem sunt ea quæ fiunt, nempe alia meliora, alia inferiora, vi autem infinita omnia in naturam profert; vt demonstratum est, vnica certè, & eadem infinita facultate res, tum maximas, tum minimas procreauit. Cùm igitur confirmatum sit, fieri non posse, vt rerum procreandarum vis diuina terminata sit, & ipsam immensam esse & infinitam necesse est, non certè verè dictum est, res plures, aut meliores factas non fuisse, neque propter solam efficientem causam, neque propter vtrunque, tum id nempe quod efficit, tum id quod efficitur, has enim hypotheses consequebatur, terminatam esse in Deo vim procreandi. Quod quàm absurdum & dictu obtusum sit, iam ostensum est. Relinquitur igitur, vt ex propositis hypothesibus ea sola vera sit, quæ statuit, causam, cur plura aut meliora effici non posśint, in sola eorum, quæ procreantur, natura positam esse. Quòd si quis causam, cur aut plura, aut meliora effici non posśint, in ambobus positam esse concesserit, nempe tum in eo, quod efficit, tum in eo, quod efficitur, omnino est necesse, ob quam causam id quod efficitur, effici non potest, ob eandem quod efficit, efficere non posse. Quamcunq; igitur causam quisquam reddiderit, cur fieri non posśit, vt plura, aut meliora facta sint iis, quę facta sunt, cùm in Deo, vt probatum est, vis procreandi modis omnibus sit infinita, hanc eandem à nobis accipiat, cur fieri non posśit, vt ex æternitate Mundus non constiterit, quanuis semper bonus, & semper opifex Deus existat. Atque hæc causa est, quam nos de his naturæ accommodatiśsimam reddere possumus. Infinitum nullo modo actu & re ipsa constare posse, longiore oratione Aristoteles tum in libris de Naturæ principiis, tum in libris de cœlo, necessariis rationibus confirmauit. Infinitum nunc intelligo, aut in magnitudine per productionem, aut in numero. Nam quod facultate infinitum est, in iis esse quæ secundum Naturā æterna sunt, omnino est necesse. Atq; in hoc omnes inter se consentiunt. Cùm autem infinitum in magnitudine, & in numero constare in natura actu non posśit, prorsus est necesse, rerum omnium finitum esse numerum. Cùm autem hoc ita se habeat, ridiculum est inquirere, quam ob causam non plura constiterint. Quando enim cunque res plures constitisse quisquam statuerit, cùm infinitum re ipsa euenire nunquam posśit, in iisdem nihilo minus hærebimus angustiis, & eadem manebit dubitatio. Hac igitur ratione re-

rum numerum finitum esse oportet. Rursus, res meliores factæ non fuerunt, quia omnino oportuit opifice ea esse inferiora, quæ ab eo producta sunt. Quando igitur cunque meliores, quàm sint, res esse quis statuerit, cùm futurum sit, vt nihilominus vincantur ab ipsa, quæ supra mentem est Dei potentia, nihilominus eadem relinquetur hæsitatio. Quare iterum est necesse, eorum, quæ facta sunt, vt numerum, ita & qualitatem certam & circũscriptam fuisse. Quòd si natura earum rerum quę procreatæ sunt, causa posita est, cur nec plures, nec meliores factæ sint, & hoc nullo modo Dei aut vires, aut bonitatem imminuit, apta sanè consecutione, nos Mundum ortu non caruisse statuimus. Neque verò procreatoris arguimus imbecillitatem; neque accusamus, quòd bona proferre, & in naturam producere non semper voluerit: sed rerum potiùs, quæ procreãtur, naturam excusamus. Quemadmodum igitur aut plura, aut infinita Deo procreari non contingit, quia infinitum reipsa constare non possit, sic & mundũ aio vnà cũ Deo ex æternitate stare non posse, ne rursum reipsa infinitũ cõsistere credamus & infinitũ percurri dicamus posse. Nam si ex ęternitate staret mũdus, omnino esset necesse eorum, quę anteà ad hũc diem pręcesserunt, vt hominũ, vt stirpium, vt reliquorũ cuiusque generis indiuiduorum, numerum actu & reipsa infinitum fuisse. Nam si quis aut hominum, aut stirpium, aut quorumcunque indiuiduorum, quæ pręcesserunt, numerum finitum, ac certum poneret, quoniam illorum quodque in tempore finito suum esse obtinuit, vniuersum etiam tempus finitum esse esset necesse. Nam quod ex finitis compositum est, & ipsum est finitum. Quoniam igitur si ortu caret mũdus, & tempus quod antecessit reipsa immensum est, & infinitum, necessariò efficitur, vt & quæ infinito tempore præcesserunt indiuidua, in infinito reipsa numero sint. Quare eueniet vt actu infinitus numerus cõstiterit. Idque hoc ipso euenerit, quia mundus ortu carere dicatur. Porrò quod nullo pacto reipsa infinitum constare potest, neque repente, & confertim in natura prolatum, neque vicissim & per partes productum, progressi longius alibi, Dei ope adiuti, pleniùs docebimus. Vbi confutatis omnibus controuersiis, quæ mundi æternitatẽ tueri videãtur, ipsi de nostra sentẽtia deinceps confirmabimus fieri non posse, vt ipse sit sempiternus. Ipsum quoque Arist. producemus, qui ad verbum hoc ipsum confirmet: nempe fieri non posse, vt infinitum reipsa vllo modo constet. Atque hoc ipsum per se & sua vi clarum & apertum esse puto. Quæ enim causa est cur confertum, & simul infinitum cõstare non possit, eadem efficit, cur per partes productum in actum educi nunquam possit. Si enim omnino fieri posset, vt per partes productum actu euaderet infinitum, quæ iam ratio prohiberet, quominus ipsum simul actu constaret infinitum? Nam vicissim & per partes reipsa infinitum constare, & veluti vnitate vna deinceps post aliam connumeratum, in ortum actu educi, multò magis eorum est, quæ fieri nõ possunt, quàm si simul, & confertim infinitum in natura rerum constare dicatur. Si namque simul & cõfertim cõstet, fortasse non erit necesse per vnitates singulas percurri, & tãquã enumerari. Per partes autẽ si fiat, & ita alia post aliã in naturã producatur vnitas, vt posteà actu infinitę euadãt vnitates, etsi non simul & confertim infinitũ ipsum

constiterit, propterea quòd aliæ partes ipsius iam corruptæ sunt, aliæ autem adhuc sunt, huiusmodi tamen factum est, vt percurri potuerit. Illud quod fieri nullomodo potest. Nempe quod infinitum est veluti per singulas vnitates connumeratum percurri etiamsi sempiternum id sit quod enumerat. Nam quod infinitum est natura sua, pertransiri non potest. Aliôqui enim infinitum non esset. Si itaq; infinitum percurri nequit, per vnumquodq; autē indiuiduum progressa generis successio, & continuatio per infinita indiuidua ad ea peruenit, quæ nunc sunt, percursum sanè est infinitum. Quod fieri non potest. Non igitur immensus eorum, quæ antecesserunt, indiuiduorum est numerus. Generis enim cōtinuatio ad nos vsq; non peruenisset. Percurrere siquidem id, quod infinitum est, eorum est, quæ fieri non possunt. Præterea, si sine principio Mundus fuisse statuatur, omnino annorum numerus, qui, verbi gratia, ad Socratem vsque præcessit, fuit infinitus, illi autem numero adiuncti, ii qui à Socrate ad hoc vsq; tempus sequuti sunt anni, quiddam infinito maius efficiunt. Quod fieri non potest. Et hominum, qui anteà fuerūt, numerus erit infinitus. At verò & equorum, qui antecesserunt, itidem infinitus. Adhuc infinitum igitur duplicabis. his si canum numerum adieceris, infinitum rursus triplicabis. Et ita reliquorum indiuiduorū si numerus quisq; addetur, sæpius multiplicabitur infinitum. Quo nihil dici potest obtusius. Nam infinito maius nihil esse potest, nedum multiplicatū ipsum cōcesserimus. Si igitur quia Mundus ortu carere dicatur, hæc absurda, & pleraq; alia euenire necesse est, vt nos aliâs docebimus, fieri certè non potest, vt ortu & initio careat Mundus. Nam ita eueniet vt infinitum percursum sit & re ipsa cōstiterit. Atq; semper infinitum amplificari erit necesse: & semper seipso maius euadet. Atque sæpius, ne dicam infinitè, infinitum erit. Quæ igitur causa est cur Deus plura non procreet, eadem est cur ex æternitate Mundum non procrearit. Quòd si fieri nequit, vt ex æternitate Mūdus procreetur, palā est certè quòd nullus quæstioni relinquitur locus, cur non prius constiterit. Quantò enim cogitatione longius progrediemur, tantò magis mentis nostræ cogitationē præuertet consistentiæ Dei æternitas, quæ principiū nullum agnoscit. Et ob id rursus nihilominus eadem relinquitur dubitatio, quare non adhuc prius cōstiterit. Quòd si quis ambitiosè huic rationi repugnans, non ad infinitum causam referet, cur plura facta non sunt, quæ naturæ causa est accommodatissima, necessariò: sed absolutè ita dicat, non solùm infinita fieri non potuisse, sed nec omnino plura: cùm rerum procreandarum natura hunc tantùm admittat numerum, qui fuit, huiusce rei sanè causam nullam proferre poterit. Nam si tot res factæ fuerunt, quid vetabat alias duas, verbi gratia, aut tres species in Mundo extitisse? Nam si homines, asinum equo permiscent, arte mulum effecerunt, & in volucribus per multas formas commistas produxerunt, nónne absurdum est dicere Deum non posse, natura tantùm duce, huiusmodi animalia in naturam producere? hîc autem dico natura tantùm duce, vt propter similitudinem formarū non opus fuerit homines differentes animantes componere ad horum procreationem, sed naturalem successionem in his, vt & in reliquis, retineri. Cur enim non potuit Deus seminales rationes continuationis horum animaliū in naturā

producere,cùm humana arte & induſtria procreentur? Nam in aliis, vt tradit Ariſtoteles,perpetuã ſucceſsionis continuationẽ ſeruare cũ vellet Deus, eo qui ſupererat modo totũ ſuppleuit,dum perẽnem generationẽ effecit. Quid igitur prohibebat huiuſmodi animãtibus,iis dico,quę hominũ induſtria naſcuntur,cõ tinuationis generis rationẽ naturaliter inſerere? Tamen,etſi hoc cõceſſerimus, nos certè nihil prohibet eadẽ vti defenſione,cur ex æternitate Mundus non cõſtiterit:ne re ipſa infinitũ conſtiterit, & ne infinito quicquam eſſet maius: néue multiplicatũ,& permeabile eſſet infinitum:hæc enim fieri nõ poſſunt.Dicta eſt igitur cauſa cur cũ probus ſemper ſit Deus,nõ ex ęternitate Mundũ procrearit.

IIII. ET aliôqui ſi probus Deus eſt,probus autem nulla in re tangitur inuidia, vt inquit ſapiens Plato, & ob id res omnes in eſſentiam ſuam & in naturam produxit,cur nihil eorum quæ facta ſunt,ſecum modis omnibus idem procreauit, vt eiuſdem ſecum eſſentiæ & facultatis eſſet particeps?Aut enim cùm id poſsit, non voluit,& quod conſequens eſt,quia blaſphemum eſt,reticeo.Neq; enim inuidiam effugere poſsit.Aut omnino ideò non voluit,quia non potuit.Verũ hoc Dei arguet infirmitatem. Non enim fieri poterat, vt quicquam eorũ quæ procreantur,idem eſſet cum ęterna,non genita,& ipſius opifice cauſa.Aliôqui ipſemet Deus ſeipſum procrearet:& fieret,vt quod ortu caret,naſceretur,ſiquidem natura illa ſua vi ingenerabilis eſt.Gigneretur autẽ, & iterum naſceretur, ſi quid eorũ quæ generata ſunt,eiuſdem eſſet cum ipſa eſſentiæ. Quod ſi, quia nihil eorum quæ effecta ſunt,idem cum opifice eſſe poteſt,neq; Deo probitatẽ adimit, neque quin ſibi omnia perſimilia efficere voluerit,inducit,neq; imbecillitatis & impotentię ipſi notam inurit:& nos certè cum Mundum nõ ſempiternum eſſe ſtatuimus,neq; quin Deus perpetuò ſit probus efficimus,neq; effectricis eius facultatis imbecillitatem arguimus.Verùm perpetuò Mundum eſſe non poſſe,cũ propter eius quod procreatur,naturam, propoſuimus:tum quia infinitũ re ipſa conſtare,aut permeabile eſſe non poteſt:tum quia id quod fit,vnà cum faciente æternitatem conſequi natura non patitur.Nam ſi eſſentiam ſuam,& vt eſſet in natura ab opifice Deo accepit Mundus,cùm nihil cum ipſo penes eſſentiam cõmune haberet,quî fieri poteſt,vt ipſe ex æternitate vnà cum Deo ſteterit? Nam quod ſemper eſt, quomodo ad ipſum eſſe produci poſsit? Præterea, ſi modis omnibus opus cedit opifici,& ſubſtãtia,& viribus,& actione, planè neceſſariò cõſequitur vt ipſo etiã eſſe cedat,& poſterius ſit.Nullam enim neq; naturæ,neq; artis procreationẽ eſſe videmus,in qua cauſa non antecedat id quod oritur de cauſa.Nam quas nobis,vt Mundus ſimul cum Deo ſit ſempiternus,proferunt imagines,dum probare ſibi videtur,effecta eſſe nonnulla, quæ ſimul cum cauſis ſuis cohæreant,nihil video quid habeant cõmune cum eo quod in diſquiſitionẽ nobis eſt propoſitũ.Sol enim,aiunt,cũ cauſa ſit luminis,ipſo ſuo eſſe efficit lumen, neq; ſole lumen prius eſt,aut poſterius:neq; cõtrà ſol lumine. Et quæ in lumine ſunt corpora,cũ ea vmbra ſunt ſimul quæ ab ipſis educitur, & cuius ſunt cauſa.

V. EGO verò ſecundum horum exemplorum, ne verbis quidem, vt reprehendatur dignum eſſe puto.Quis enim neſcit vmbram nihil eſſe aliud, quàm luminis priuationem?Priuatio autem per ſe eſt id quod non eſt, vt paulò antè docuimus.

cuimus. Quis igitur, qui ſenſu non careat cõmuni, dixerit corpus, quod eſt in lumine, eius eſſe cauſam, quod per ſe non ſit, atq; ipſum producere? Nam quod nõ eſt, nõ gignitur. generatio enim rei eſt quę ſit. Neq; enim quia luminis priuatio nomine ſignificatur, cúm vmbrã & tenebras ipſam nuncupamus, ideo eſſentiã aliquam & formã habere exiſtimare debemus. Nam viſus priuatio, nomine aliquo deſignatur, dum cæcitatẽ ipſam nuncupamus. Et eum qui peruerſis eſt pedibus, & progreſsione, quæ eorũ miniſterio perficitur, eſt priuatus, claudum appellamus, nemo tamen dixerit ſpeciẽ aliquam, & eſſentiam eſſe cæcitatem, aut hanc ingrediendi priuationem. Neque igitur luminis priuationem, ſeu ea tenebrarum, ſeu vmbræ nomine deſignetur, ſpeciem aliquã eſſe arbitrabimur. Propoſitum autem nobis erat ad diſquirendum, an eorum quæ ſunt, quidpiam ſit, quod cùm per effectricẽ rationẽ ab alio acceperit, & vt eſſet, & vt in natura conſtaret, nõ ſit poſterius eo quod ipſum produxerit? Vmbra aũt luminis eſt priuatio, quę per ſe nõ eſt res quę ſit. Qũi igitur corpus cauſam vmbrę efficientẽ eſſe dicit, perinde dicit ac ſi mortẽ eius quod nõ eſt, causã eſſe diceret. Quẽadmodũ igitur id quod nõ eſt, nõ naturã aliquã conſiſtentẽ, ſed eius quod eſt, priuationẽ tantũ eſse intelligimus, ſic & vmbrã luminis ſolã eſse priuationẽ, nõ aũt naturã vllã eſse conſiſtentẽ, informatã ſpecie, & quę è corporibus effecta ſit, perſuaſum habemus. Quî fieri igitur põt, vt quiſquã luminis interitũ, ab obiectis corporibus prouenientẽ, imaginẽ eſse dicat mũdi procreationis à Deo, & eius in natura cõſiſtẽtiæ? Iam verò & illud apertũ eſt, iis certè, qui in Mathematicis ſunt acutiores, quod neq; ex toto verũ eſt, corpus quod ſit in lumine, vmbrã neceſsariò emittere. Nã ſi cõtigerit vt ſol in eo ſit pũcto, quod corpori reſpõdet ad verticẽ (quẽadmodũ apud eos interdũ fieri ſolet qui in iis locis habitãt, tũ quę æquatori ſubiecta ſunt, tum quę ad tropicũ æſtiuũ vſq; producũtur) palã eſt quòd ſine vmbra ſunt corpora ſubiecta, ea certè quę terris cõtinuata ſunt, & eam ita contingũt, vt aër nullus interiectus ſit, in quo vmbra & tenebræ ſtare ſuapte natúra ſolent, quẽadmodũ & lumẽ. Nã in quo lumẽ conſtat, in eodẽ ſtãt & tenebræ, vt in libris de anima etiam Ariſtoteli eſt viſum. Quare aliquo tempore eſt opus, vt dum ſol in puncto eſt quod vertici reſpondet, inde diſcedẽs ad latera vmbræ locum faciat, quo radii non incumbunt. Et ideo terra in iis partibus eſt ſine vmbra, ad quas radii perueniunt, & ad eas paulatim vmbram emittit, vnde ſolis radii ſenſim ſe ſubducunt. Quare etiamſi vmbra per ſe res eſset, non tamen eius quod inquirimus, imaginem referre poſsit, neque omnino vnà cum corpore quod in lumine eſt, vmbra cohæret.

AD illud autem exemplum quod à ſole ſumptũ eſt, hoc reſpondemus. Geminum omnino eſt lumẽ, vnum quod in ipſo ſolis globo cohęret. Alterũ quod per aerẽm eſt diffuſum. Illud igitur quod in ipſo ſolis globo naturam & eſſentiam ſuam obtinet, ad ſolis ſpeciem perficiendam, & eius naturam explendam omnino pertinet, vt in confeſſo eſt apud omnes. Vnumquodque autem ſuum eſſe, & ſuam ſubſtantiam ab ipſa forma habet & ſpecie. Nihil verò ſui ipſius efficiens eſt cauſa. Neque igitur ſol ſui eſt effector luminis, cùm ab ipſo ſit informatus, & ab eodem vt ſit, obtineat. Quare ſi quis Mundum eſſentiam opificis explere dixerit, omnino fatebimur, ſic Mundum affectum eſſe ad Deum, vt ad ſolem VI.

ſe habet quod in ipſo eſt lumen. Verùm hoc modo Deus Mundi procreator nõ erit. Quoniam neq; ſol eius luminis eſt opifex: quod ſubſtãtiam ipſius informat. Siquidem ſol nõ ſe ipſe procreauit. Quòd ſi remota & à diuina natura aliena ea ſunt omnia quæ per opificem rationem ab ipſa in naturam producta ſunt, non ſanè vt lumen, quod in ſole eſt, cum ipſo ſole comparatur, ſic proportione Mundus cum procreatore comparari poteſt.

VII. ILLVD autem quod per aërem diffuſum eſt lumen, non ſemper idem cõſtat. Nam interitui ſubiectum eſſe in confeſſo eſt. Ipſum enim tenebræ excipiũt. Nam neq; idem conſtanter manet: ſed in ipſo gignendo habet, vt ſit & conſtet: perinde atq; motus & tempus. Vnde cum primum quod illuſtrat corpus diſiũgetur, ſtatim & quod erat in aëre, eò deficit vt non ſit amplius, perinde atque ſi quod moueatur nihil ſit, neq; motus erit, neq; tempus. Quare neq; id verum eſt cuius gratia luminis & ſolis imaginem aſſumpſerant. Nempe aliquid eſſe quod gignatur ab alio, nec ſit efficiente poſterius. Vnde efficitur, vt ſi non ſemper lumen idem manet, proculdubio ei quod nunc ſemper in aëre nouũ gignitur, lucidum corpus antecedere eſt neceſſe. Nam aliâs aliud per continuitatem quandam à lucido corpore lumẽ defluere ſolet, perinde atq; aqua de fonte ſcaturire. Ipſe autem effector Mundi Deus, Mundum vnum, vt ait Plato, vnigenam in naturam produxit. Quare quicquid tandem ſit lumen illud quod in aëre diffuſum eſt (nam magna eſt de eius eſſentia inter autores controuerſia) ſeu illuminantis actus ſit corporis, ſeu ſpecies, ſeu aëris affectio, quoniam non vnum & idem numero ſemper manet, ſed aliâs aliud efficitur, ea quæ à ſole fit in aëre luminis procreatio, probare certè quidẽ poſsit, quod conferta aliqua ſit procreatio, quæ non in tẽporis productione fiat, quemadmodũ, verbi gratia, in tanto tẽpore hominem procreat, & effingit natura, & item repentinæ rerum productionis, quę à Deo vnà cum ipſa conceptione perficiatur, imaginẽ referre poſsit. Quòd autẽ vnà cum efficiente ęternũ ſit id quod efficitur repręſentare non itẽ poſsit. Cum enim vnum ſit quod illuminat, aliâs aliud numero lumen efficitur. Quòd autẽ lumẽ per aërem diffuſum, obnoxium ſit interitui, & aliâs aliud numero euadat, ipſa rei confirmat euidentia. Quin Proclus hoc ipſum in opere de lumine, clarè
« docuit. Sic enim habet: Quòd ſi lumẽ aliud in materia eſt, aliud expers eſt mate-
« riæ pro lucidorum corporum ignis & ſolis varietate, illud quidem quod mate-
« riæ expers eſt lumen, interit quodammodo. Quod autem in materia eſt, quodã-
« modo per materiata permeat. Nam nihilo magis totus aër nobis illuſtratus eſſe
« videtur à ſole, quam ab eo lumine quod ab igne noſtra paratur induſtria. Atqui
« cum nubes ſoli ſubiicitur, ab altera parte lumen intercipitur, neq; ex toto lucet.
Hęc igitur Proclus. Obſerua igitur quòd lumen interire, vt indubitatum ſtatuit. Verũ cũ hoc cõfeſſum ſumpſerit, inquirit, quî fiat vt ſi expers eſt materiæ, quod à ſole manat lumẽ, intereat: & cũ nubes ſubit ſolẽ ex altera parte omnino nõ lu-
« ceat. Et paulò pòſt rurſus idẽ hæc ſcribit: Quî enim fieri poſsit, vt lumẽ quod eſt
« in cœlo, cũ eo cõtinuatũ ſit, & cohærens quod eſt in aëre? Hoc enim perimitur,
« illud verò minimé. Prætereà illud à ſuo principio pẽdet, hoc autẽ interciditur, ſi
« ita res tulerit, & interdũ non eſt. Ei porrò quod perimitur, illud nõ eſt cõiunctũ

& cohærens,quod nequit interire.Nam quæ duo ſunt eiuſmodi, ſpecie quoque "
ſunt differentia.Quod igitur interire poſsit lumẽ,quod in aëre eſt, perſpicuè do "
cuit Proclus. Iam verò quod perinde atq; illud quod in aëre eſt, illud etiam intereat quod per cœleſtes globos diffuſum eſt, nec ſit expers interitus, vti vult Proclus,apertum ex iis eſſe puto,quę in Aſtronomia demonſtrata ſunt.Nam ſi vmbrę terræ conus partem globi lunæ contingit, & hanc ſuperat, vt luminum eius defectiones apertè confirmant, quando tota luna in vmbræ terræ conum incidit,perſpicuũ eſt omnino lumen quod in cœleſtes globos diffuſum eſt, ſubiectum eſſe interitui.Nam ſi oberrans vmbræ conus aliâs aliã lunaris globi partem occupat, nec in ea parte ſolis lumen lucere ſinit, vnde lunam obſcurari & deficere contingit,palam eſt quòd lumen eo diffuſum non eſt expers interitus, vti vult Proclus,ſed omnino ſubiectum interitui. Nam ſi totum cœlum ſubſtãtiæ & naturæ eſt eiuſdem, quod autem in prima & ſecunda ſphæra lumen diffunditur,interire poſſe probatum eſt,& pręterea lumen lunę quod à ſole ſuam, vt ita dicam,conſiſtentiam habet,apertè & gignitur & interit:confertim quidẽ in lunæ defectionibus, ſenſim autem in reliquo toto tempore, perſpicuum ſanè eſt quòd in toto etiã cœlo interire poſsit.Quanuis,quia ſuperioribus globis ſemper adeſt quod illuſtret,nec quicquã incurrit quod eos obſcuret,propter continuitatẽ, idem perpetuò & vnũ lumen manere videatur. Quemadmodũ ſi ignis proxima ſibi ſemper aut illuſtraret,aut calfaceret,propter continuatam cõmutationẽ,qui in aëre ingeneraretur calor aut lumẽ,perpeſsionis carere videretur.

QVOD ſi quis quod in aëre lumen efficitur,non interire contendat, ſed VIII.
vnà cum lucido corpore circunferri,omniũ maximè falſa eſt hæc opinio.Quoniã cum ſe ſoli nubes ſubiicit,id totũ quod eſt infra nubem, obſcuratur, eo corrupto lumine quod antè in aëre fuerat,quanquam ſol demigrarit.Quare digreſſus,non circunfert ſecum lumen,ſed illud,quod in iis erat locis, à quibus digreſſus eſt,perimitur: aliud autem in iis locis gignitur, ad quæ ſol acceſsit. Iam verò etſi vnà cum ſole id quod in aëre eſt lumen, circunferri quiſpiam conceſſerit, certè à lucido corpore ſeparari omnino non poterit.Quòd ſi verum eſt,eius aut forma,aut affectio erit.Hoc autem ſi cõceſſum ſemel erit, adhuc magis aliena ab inſtituto erit ſimilitudo.Nam ſol lumen ita habet,vt ab eo ſeparari non poſſit,vt quod ex eo formam ſuam ac ſpeciem nactus ſit: formæ enim ac ſpecies à ſubiectis ſuis reuelli non poſſunt:opera autem artificis ſubſtantiæ formã ac ſpeciem non tribuunt.Sol igitur,luminis effector non eſt.Nam ſubiectum nullum eius ſpeciei efficiens eſt cauſa, à qua completã ſuam habet ſubſtantiã. Quinetiã neq; eſt quicquã,quod affectionẽ propriã,aut accidentia, quibus eſt præditum, ſoleat efficere.Idem autẽ dixerimus,ſi ſecundũ Plotinum, lumẽ eſt actus lucidi "
ad alia progrediens.Quare,inquit,præſente agente,actus quoque præſens adeſt: "
digreſſo autẽ illo,& hic ſimul digreditur. Nam ſi lumen,quod in aëre eſt,actus "
eſt ſolis,aut eius complet eſſentiam, aut non. Si igitur eius perficit ſubſtantiam, cum ſole neceſſariò ſemper adeſt. Nam quæ rerum naturas complent, cum ipſis ſemper ſunt neceſſariò. Porrò Mundus vim & naturam opificis non complet. Non igitur ita comparatur cum Deo Mundus, vt cum ſole lumen.

Quòd si luminis actus ad solis vim, & substantiam perficiendam non pertineret, cogitatione saltem hunc actum non esse conciperemus. At hoc fieri non potest. Nam si præstò sunt perlucida, aut omnino ea, quæ lumen recipere possint, fieri non potest, quin hæc sole præsente lumine collustrentur. Nam si ipso præsente non illuminantur,neque sol esse dicetur.Præterea,si lumen in aëre actus est solis, hoc solis naturam & essentiam complere omnino est necesse. Si verò lumen est solis affectio(quæ omnium, quæ de lumine feruntur, mihi opinio videtur esse verissima) translucidi erit immutatio, aut omnino eius quod lumen suscipit. Sic enim in secundo Commentario de anima Aristoteles pronuntiauit: eius enim verba sic habent: Lumen actus est huius perlucidi,quia est perlucidum.In quibus autem hoc facultate inest,in iisdem sunt & tenebræ.Lumen autem veluti color est perlucidi, quando actu fuerit perlucidum ab igni, aut simili corpore,cuiusmodi est corpus superum. Hoc enim vnum his & idem inest.Quid igitur sit perlucidum,& quid lumen,diximus. Hæc ergo de lumine prodidit Aristoteles.In quibus euidenter speciem quandam, ac perfectionem translucidi lumen esse dixit.Si igitur in aëre & in aqua, & eius generis corporibus est perlucidum, nimirum lumen affectio est, quæ hæc corpora immutare potest.Cùm igitur hoc ita se habeat,nihil est miri,si cùm vnum idoneum sit ad agendum,& alterum ad patiendum,vbi primùm hæc simul præstò sunt, vnum agat vt alterũ patiatur.Nam ignis aëri admotus, qui facultate calidus est, ipsum immutat,& actu calidum reddit.Neque verò res aliena aut peregrina videri debet,si vbi digressum est lucidum corpus,statim obliteratur & euanescit,quod in aëre lumen erat. Nam igne recedente, is etiam deficit, qui in aëre calor erat. Hoc vno differunt,quòd celeris,atque adeò temporis puncto, luminis sequitur interitus,sicut & procreatio.Si sol igitur per commutationem perlucidum immutat,Deus autem est,qui substantias ipsas in naturam profert, immutatio autem ab ortu & procreatione differt:aut doceant in absolutè dicta procreatione, hoc est, in ea, quæ substantiarum est, vnà cum causa simul esse effectum: aut concedant etiam Deum effectorem non esse, nec ipsarum substantias procreare, sed quæ secum sempiterna sint, tantùm immutare. Aliôquin effectum vnà cum causa sempiternum esse, hoc argumento non conficient. Nam si affectio in aëre,& in iis quæ lumen excipiunt,aliâs alia efficitur, neq; numero est vnum, quod in ipsis ingeneratur lumen, siquidem interitui subiectum est, tum vt probatum est, tum vt sentit ipse Proclus, conficitur, vt non vnum & idem maneat cum sole lumen: quemadmodũ neq; cum igni vnus & idem manet, qui in aëre ex ipso suscitatus est calor. Siquidem & sol vnus, & ignis vnus, lumen autem in aëre aliâs aliud, & calor itidem alius atque alius excitatur. Ex hisce igitur hoc modo confirmatis,perspicuum factum est,lumen & solem nullam referre similitudinẽ,quę conficiat fieri posse,vt opus vnà cum efficiente causa ex ęternitate constet.Ipsorũ igitur euanescit ex falsa imagine adlata probabilitas.Aliôqui,doceant aliquod esse opus,quod simul ac eius est opifex, ipsum quoq; constet.Aut cùm omnia quæ fiunt,tẽpore posteriora sint efficientibus, seu artis seu naturæ illa sint, necessariò cõficitur,vt vnà cũ Deo Mundus sempiternus esse nõ posit.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum secundum.

Si sempiternum est Mundi exemplum, & in hoc Mundo vis est naturæ & essentia, vt exemplum sit, neque fortuitò aut per accidens, sed per se hanc habet vim, cùm, quod exemplum est essentia sua, id æternum sit sua vi, ex æternitate certè exemplum erit. Quòd si exempli naturæ hoc inest, vt ex æternitate sit, necessariò imago quoque semper erit. Nam cum imagine exemplum comparatur. Quòd si non erat, quando imago non erat, neque erit vnquam, quando eadem non erit: ne exemplo idem eueniat. Nam aut neque sit exemplum, si imago non sit, aut certè non imaginis exemplum. Eorum enim, quæ inter se comparantur, & sub eandem rationem cadunt, vnum esse non potest, si alterum non sit. Quare si exemplum ex æternitate exemplum est, semper est & Mundus, nempe simulachrum æterni exemplaris.

Capita solutionis secundi Argumenti.

Quòd ex duabus hypothesibus secundum Procli argumentum coagmentatum sit: Platonica vna, quæ habet, ad exemplum æternum factum esse Mundum: Altera, quam Proclus vt Platonicam posuit, cùm Platonis non sit, nempe in hoc Mundi exemplum essentiam suam habere, quòd sit exemplum. I.

Quòd inter Aristotelem & Platonem controuersa sit Idearum hypothesis, cùm Plato rerum Ideas & formas esse constituat, Aristoteles autem hypothesin hanc euertat. II.

Quòd etsi Platonis Idearum hypothesin veram esse concesserimus, non tamen verum erit, quod sentit Proclus, Ideas in eo suam vim & naturam habere, vt sint exempla, cùm eas Plato substantias esse dicat. III.

Quòd si hæc non est vis & essentia Ideæ Mundi, ad quam ipse factus est, vt sit exemplum, nulla relinquitur necessitas, cur Mundus sit æternus, si sempiternum est exemplum, ad quod productus est Mundus. IIII.

Quòd etsi Ideas & formas, non substantias esse quis constituerit, sed rationes efficiendi potentes secundum quas, ea quæ sunt, facta sint, ne sic quidem vllo modo erit necesse, cur vna cum huiusmodi rationibus sint & opificia: sed contrà potiùs, has rationes rebus ante cedere oportet. Vbi etiam docetur, quòd vsque ad ea, quæ maximè sunt indiuidua, ipsa Dei fabricatio & cognitio pertingit. V.

SECVNDI ARGVMENTI
PROCLI SOLVTIO.



CVM Plato rerum Ideas & exempla esse statuat, ad quas opifex, & fabricator omnium Deus respiciens, tum Mundum, tum ea quæ in Mundo conspiciuntur, vt simulachra & imagines tanquam ex archetypis quibusdam effecerit, atque adeò hoc Mundi exemplum sempiternum esse dicat, Proclus hoc Platonis vsus est axiomate, & ipse aliam adiiciens hypothesin: Quòd in hoc ipso formæ & Ideæ rerum suam habent essentiam, quòd exempla sint. Id quod I.

Platonem ſcripſiſſe nuſquam adparet. Ex his igitur duabus poſitionibus conficit Mundum neceſſariò ſemper eſſe. Eorum enim quæ inter ſe conferuntur, imaginem eſſe & exemplum. Quæ autem inter ſe conferuntur & ſub eandem rationem cadunt, ſimul & ponuntur & perimuntur. Quare, inquit, ſi æternum eſt Mundi exemplum, & hæc eſt eius vis & eſſentia, vt ſit exemplar, neque in alio ſuam vim & naturam habet, quàm vt ſit exemplar, exemplar autem, ſimulachri eſt exemplar, omnino neceſſe eſt ſimulachrum, cuius eſt tale exemplar, hoc eſt mundum, ſemper eſſe. Nam ſi imago non ſit ſemper, neque exemplar erit ſempiternum. Si igitur apertè Plato alterum pronuntiauit, mundi æternum eſſe exemplum, alterum quoque neceſſariò concedit, ſemper eſſe Mundum, nempe ſimulachrum æterni exemplaris. Sic igitur habet ſecundum Procli Argumentum.

II. NOS autem, quibus non tam Platonis hypotheſes, quàm res ipſæ ſtudio eſſe debent, non priùs huic argumento occurrere decet, quàm ea, in quibus philoſophi de Ideis diſſentiunt, diſſoluerimus. Quis enim neſcit, quanta de hac re inter primarios philoſophos conflata ſit pugna? Nuſquam non enim in ſuis ſcriptis Platonis diſcipulus Ariſtoteles hanc de Ideis præceptoris ſui hypotheſin vincentibus rationibus impugnauit: præcipuè tamen in metaphyſicis, vbi primum librum terminauit in hac de formis opinione corrigenda. Ibi enim Platonis de rebus philoſophiam recenſens, Platonem dicit, quia perperam Socratis opinionem accepiſſet, in hanc de Ideis opinionem incidiſſe. Eius autem verba ſic habent: Poſt has autem Platonis ſucceſsit diſciplina, quæ in pleriſque hos quidem eſt ſequuta: nonnulla tamen habet propria, præter ea quæ Italici philoſophati ſunt. Nam cùm recèns cum Cratylo eſſet verſatus, & Heracliti opinionibus aſſuetus, perinde acſi ea quæ ſub ſenſus cadunt, omnia ſemper in fluxu eſſent, nullàque de ipſis haberi poſſet ſcientia, hæc ita ſe habere etiam in poſterum eſt arbitratus. Cùm autem Socrates relicta in totum naturæ rerum explicatione, ea, quæ ad mores pertinent, modò tractaret, & in his quod vniuerſum eſt, quæreret, primus ad definitiones animum aduertit. Hunc amplexatus Plato, definitiones eiuſmodi non vlla de re, quæ ſub ſenſum caderet, ſed de aliis ſemper fieri putauit. Fieri enim non poſſe, vt vlla communis definitio vlla de re ſenſibili aſsignaretur: cùm res huiuſmodi mutationibus ſint ſemper obnoxiæ. Itaque factum eſt, vt res illas, Ideas & formas appellarit: quæ autem ſub ſenſum cadunt, ab his formis eſſe diuerſa, & ſecundum has omnia dici. Multa enim, quæ aliôqui ſynonyma ſunt, eodem nomine cum hiſce formis harum participatione dici. Apertè igitur in hiſce Ariſtotelem audiuimus palàm profitentem, quòd cùm Socrates primus ad viam & rationem definitionum animum adplicuiſſet, & eas quæ in rebus, quæ ſenſu percipiuntur, viſuntur, communiones inquireret, & definiret, vt quid ſit abſoluto nomine dicta ſcientia, quæ communiter in ſingulis ſcientiis cernitur, vt, verbi gratia, in Aſtronomia, in Geometria, & in reliquis. Quid item ſimpliciter honeſtum. Quid iuſtum. Et ad hunc modum in omnibus. Hanc igitur Socratis methodum & rationem cùm libenter Plato probauiſſet, putauit Socratem non de iis, quæ ſub ſenſum cadunt, neque de iis

communionibus,quæ ipsis insunt,sed de aliis quibusdam separatis verba facere.
Cùm enim,inquit, Heracliti opinionem sectaretur, nullius rei sensibilis defini-
tionem,quando neq; scientiam,esse putauit : in fluxu nempe & mutatione per-
petua essentiam suam habere, neque statum aut terminum vllius esse rei, quæ
sentiatur.Hinc in Timæo,gigni & interire dicit quæ sub sensum cadunt,omnia:
reuera autem nunquam esse:sed opinione cum rationis carente sensu,nō scien-
tia comprehendi. Ob id igitur communionum definitiones de quibusdam sepa
ratis rebus,quæ ab iis essent diuersæ,quæ sensibus accipiuntur, à Socrate fieri ar
bitratus,formas & sensibilium exempla nuncupauit: quorū participatione quæ
sub sensum cadunt,iisdē cum illis nominibus appellarentur. Animalis enim no
mine cùm ipsa animalis Idea,tum ipsum quod sensu percipitur animal,appella-
tur.Par est hominis ratio,honesti,iusti,& reliquorum.Ex quibus facile est cerne
re Aristotelis orationem contra Platonem, non eos reprehendere, qui perperā
Platonis dicta acceperunt, vt recentiores nonnulli fabulati sunt, quia Philoso-
phos discordes dicere verentur : verùm directò Platonis opinionibus contradi-
cit.Nam si non Platonis decreta de Ideis impugnaret Aristoteles,sed eos,vt vo-
lunt, tantùm reprehenderet, qui Platonis dicta malè intelligunt, primùm, hoc
ipsum definire debuit, ac non simpliciter, & indefinitè Idearum opinionem re-
prehendere:sicut in ipsis,quæ eius protulimus, verbis,non Socratem reprehen-
dit,cùm rerum,quæ sentiuntur,communitates definit,sed Platonem ipsum,qui
Socratem non rectè intellexerit. Inuenias autem ipsum in suis scriptis nusquam
non hoc vsum esse genere doctrinæ. In scriptis enim Physicis, quando naturæ
interpretibus,qui ipsum præcesserunt,in iis contradicit,quę de principiis rerum
censuerunt,nō principia & elementa rerum esse negauit, sed cōfutatis veterum
de initiis rerum hypothesibus, suam sententiam ipse nobis explicauit. Itidem in
libris de anima, cùm perperam de anima sentientes corrigit, non omnino ani-
mam sustulit:sed eam ita,vt illi censebant, esse negauit. Sic & in his, quæ de ac-
cretione & ortu conscripsit,loci & temporis,& reliquorum omnium falsis pri-
mùm sublatis opinionibus,eas,quæ sibi veræ videntur,ponit & constituit.Opor
tuit igitur & in Idearum disputatione, si quidem eas ita vt Platoni videtur, esse
arbitrabatur,non omnino ipsarum euertere hypothesin : sed docere,quomodo
nonnulli doctrinam Platonis perperam acceperunt:& vicissim,quæ de ipsis ve-
ra sit opinio,explicare.Id quod ipsum nusquam fecisse apparet : sed contrà,prę-
ter quàm quod reprehendit, in multis etiam hanc de Ideis ridet opinionem. In
Secundo enim de demōstratione,Valeant,inquit,formæ: strepitus enim sunt ci- «
cadarum, hoc est, voces tantùm, & verborum strepitus, significationis rerum «
prorsus inanes. Et rursus in Primo Metaphysicæ disciplinæ: Verba inania,& «
Poëtarum translationes,eam disputationem esse pronuntiauit,quę de ipsis insti
tuitur. Adde quòd & in Ethicorum principio, in harum reprehensionem in-
gressurus,aduersus præceptorem,reprehensionis calumniam deprecatus, priùs
se verecundè purgauit, dum harum inquisitionem difficilem esse professus est:
quia homini amico(Platonem intelligit) necesse haberet contradicere. Verùm «
etsi, inquit, amicus sit Plato : sanctum tamen,amicitiæ veritatem anteferre. «

« Et æquum eſt,inquit,Philoſophos non ſolùm aliorum hypotheſes, vt retinea-
« tur veritas,reprehendere: ſed ſuas etiam ipſorum, ſi quidem repertæ fuerint ve
« ritati non conſentientes.Eius autẽ verba ſic habent: Melius autem fortaſſe fue-
« rit,vniuerſum bonum conſiderari ,quóque modo dicatur,exquiri. Quæ nobis
« etſi difficilis exiſtit quæſtio,quia amici ſunt,qui Ideas induxerumt: tamen me-
« lius eſt,& decet, veritatis retinendæ cauſa, ſua etiã decreta tollere, Philoſophos
præſertim.Nam vt ambo chari ſint,veritatem pluris facere, ſanctum eſt. Cæterùm & ipſe Proclus, cùm in multis aliis Philoſophorum diſcordiam in Idearum hypotheſi eximiã eſſe ſyncerè eſt confeſſus:tum in Opere quod inſcripſit, Obſeruationes eorum,in quibus Platonis Timæo contradixit Ariſtoteles.Nam
« in primo capite hæc habet ad verbum: Ariſtoteles vel ipſo exempli nomine of-
« fenditur,cùm metaphoricum & per translationem dictũ eſse dicat.Multò ma-
« gis tamen contra id decretum,quod abſolutè Ideas inducit,pugnare videtur: &
« præcipuè contra ipſum animal,vt ſcripſit in Opere Metaphyſicorũ.Videtur au
« tem nullum Platonis decretũ vir ille vſqueadeò eſse auerſatus, vt Idearum hy-
« potheſin:cùm non ſolùm in Logicis inanes ſtrepitus, formas appellet, ſed in
« Ethicis ipſum bonum impugnet: & in Phyſicis nolit procreationes ad Ideas
« referri:quemadmodum ipſe in lib. de ortu & interitu ſcribit:& in Metaphyſic.
« multò amplius,vt in quibus de principiis diſserat,& longam producat Idearum
« accuſationem,ídque in prima,in media & in extrema illa tractatione,& in Dia-
« logis apertiſsimè clamat, ſe non poſse huic doctrinæ aſsentiri, etiam ſi ſint, qui
« eum putent per contentionẽ ambitiosè contradicere. Ad hunc igitur modum
clara voce Philoſophorum diſcordiam confeſsus eſt Proclus: imò verò eam ex ipſo Ariſtotele comprobauit.Quare iure mirari licet excellentem eorum impudentiam, qui hac in re Platonem & Ariſtotelem concordes eſse docere conantur. Nónne igitur ſuperuacaneum erit,nos ei argumento contradicere? quod tantam peperit controuerſiam inter ipſa lumina Philoſophorum. Nam & qui hiſce ſucceſserunt, ſuæ ſectæ duces,& quaſi præſultores ſequuti ſunt. Ne reprehenſiones tamen refugere videamur, cùm aliôqui receperimus,nos Platoni aſsenſuros eſse in iis, quæ de Mundi procreatione ſcripſit, Idearum hypotheſin ipſius admittentes, videamus deinceps, an rectè Proclus acceperit, Idearum hanc naturam eſse, & eſsentiam, vt ſint exemplaria. Nam ſi hoc falsò ſumptum eſse docuerimus,Proclus ex Idearum hypotheſi concludere non ampliùs poterit, Mundum ex æternitate cum ſuo exemplari ſtetiſse. Neque quòd Plato, quia Ideas conſtituerit, Mundum ſempiternum eſse ſit arbitratus. Reprehenſionum autem hoc eſto nobis initium.

III. RERVM, quæ ſentiuntur, Ideas & exempla aut ſubſtantias, aut non ſubſtantias eſse,eſt neceſse. Quare ſi ſubſtantiæ ſunt, vt cenſet Plato (non ſolùm enim ſubſtantias, ſed etiam primas ſubſtantias ipſas eſse dicit. Nam Mundi exemplum,per ſe animal, & perfectum animal appellat, quòd reuera ſit,& ſemper in eodem ſtatu, & eodem modo ſe habeat. Et aliôqui ſi exemplaris
» imago per ſe conſiſtens res eſt, & ſubſtantia, multò magis ipſum archetypum
» eſse ſubſtantiam, & per ſe conſtare oportet) ſi, inquam, formæ ſunt ſubſtan-

tiæ,patet non in relatione ad id,quod alio indiget,vt ſit, ſuam habere eſſentiam. Per ſe enim & ſua vi conſtans res eſt ſubſtantia,& quæ nullo alio indiget. Si igitur ſenſibus perceptæ ſubſtantiæ, & illarum formarum imagines ipſæ per ſe conſtant,nec in relatione ad aliud ſuam habent vim,& naturam,omnium certè minimè,primæ illæ ſubſtantiæ,quæ ſemper ſunt vniuſmodi, & eodem modo ſe habent,in relatione ad aliud ſuam eſſentiam obtinebunt. Quare ſi Mundi exemplar eſt ſubſtantia, per ſe & non in comparatione cum altero ſuam vim habeat oportet. Vnde efficitur, vt non hæc eius ſit vis & ratio, vt ſit exemplar. Exemplar enim eorum eſt,quæ cum aliquo conferuntur, vt ipſemet Proclus profitetur. Imaginis enim & ſimulachri dicitur exemplar. Nulla autem ſubſtantia in iis eſt,quæ cum aliquo conferuntur. Prætereà, ſi eorum, quæ ad aliud referuntur,ſunt formæ, vt Proclo videtur, & hoc eſt ipſarum eſſe, & natura, vt conferantur cum iis,quæ ſenſibus percipiuntur,quorum ſunt exemplaria: quemadmodum hæc eſt vis & natura dextro, vt ad ſiniſtrum referatur: & domino, vt ad ſeruum:quæ autem ad aliud referuntur, non ſubſtantiæ ſunt, ſed accidentia, quatenus certè ad aliud pertinent, neque certè Ideæ erunt ſubſtantiæ. Non igitur ad aliud pertinent, aut referuntur. Porrò exemplar in iis eſt, quæ cum alio conferuntur. Quare non hæc eſt vis & natura exemplari Mundi, vt ſit exemplar,& vt ad imaginis ſuæ,hoc eſt,Mundi relationem,ſuam rationem obtineat. Præterea,ſi de numero eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ſunt Ideæ. Quæ autem cum aliquo conferuntur,propriam cohęrentiam non habent,ſed in aliis ſuam habent eſſentiam,vt in categoriis eſt oſtenſum. Aut enim in ſubſtantia,vt pater & filius: Dominus & ſeruus. In hominis enim ſubſtantia horum relatio cohæret.Aut in qualitate,vt magnum & paruum: vt maius & minus: duplũ & dimidium. Aut in qualitate, vt candidius,vt dulcius,vt ſapientius. Aut in aliqua reliquarum categoriarum. Neceſſe eſt igitur & Ideas,ſi quidem de eorum ſunt numero, quæ ad aliud referuntur, in aliquo alio ſubiecto cohærere, & itidem Mundum. Nam & ipſe in iis erit, quæ ad aliud referuntur. Quemadmodum enim Mundi exemplum,in eo,quod ſit exemplum,habet eſſentiam,ita ſanè exemplaris quoque imaginem, nempe Mundum, neceſſe eſt, quia eſt imago, ſuam naturam & eſſentiam obtinere. Imago autem eorum eſt, quæ ad aliquid referuntur. Mundus igitur, ſecundum ſuam ipſius rationem & naturam in iis erit, quæ pertinent ad aliud. Quæ ſi ſic ſe habent,accidentia & non ſubſtantias, tum Ideas, tum Mundum eſſe oportet. Sed ponitur ipſas eſſe ſubſtantias: & Mundus apertè eſt ſubſtantia. Non igitur in iis ſunt, quæ ad aliud referuntur. Præterea,quæ ad aliquid ſunt,ſub oppoſita cadunt. Nulla autem ſubſtantia ſub oppoſita venire poteſt. Non ergo ad aliquid ſunt ſubſtantiæ,formæ autem ſubſtantiæ ſunt.efficitur ergo,vt ad aliud non referantur formæ. Exemplar autem ad aliud refertur, vt dictum eſt: imaginis enim exemplar dicitur. Non in hoc igitur ſuum eſſe habent formæ,vt ſint exemplaria. Quare ſi ſubſtantiæ ſunt,neceſſariò conficitur,per aliud quiddam ſuam ipſis ineſſe ſubſtantiam,& per aliud eſſe exemplaria.

QVONIAM igitur non in eo, quòd exemplaria ſunt, formæ habent IIII.

vt ſint,& conſtent, certè non eſt neceſſe, ſi Idea ad quam Mundus eſt factus, æterna eſt,protinus Mundum quoq; eſſe ſempiternum. Plato enim hominem & Mundum tanquàm policitæ felicitatis exempla eſſe dicit: & ad eum, qui in ipſis viſitur, ordinem,dum is reſpicit,qui verè politicus eſt, ciuitatis res bene digerere,& ordine diſtribuere.Quemadmodum igitur,quoniam cœlo non in hoc eſt eſſentia, vt ſit politicæ felicitatis exemplar, non neceſſe eſt, quando eſt ordo in cœlo,protinus huius quoq; eſſe ſimulachrum, nempe beatam ciuitatem: ita planè vt ſempiternæ ſint formæ,quoniam non in hoc ipſis ſua eſt eſſentia,quòd exemplaria ſunt, cùm non ad aliud referantur, ſed ſint ſubſtantiæ, non prorſus eſt neceſſe, harum imagines, eas dico, quæ ſentiuntur, ſemper eſſe ſubſtantias. Neceſſarium enim in hiſce contraria reciprocatione commeat. Nam ſi eſt imago, exemplar eſſe neceſſe eſt. Non tamen ſi exemplum ſit (dum non ſit vt exemplar, ſed quia eſt etiam ſubſtantia) imaginem eſſe oportet: regiæ nanque imaginis rex ipſe eſt exemplum, non tamen eſt neceſſe, ſtatim vt rex eſt, ipſius eſſe imaginem: quoniam per aliud quiddam regi ineſt,vt rex ſit: per aliud autem, vt ſit imaginis exemplar. Quando enim eſt exemplum, tunc omnino eſt imago. Sicut cùm factus fuerit pater, vnà prorſus intelligitur & filius. Non tamen ſimul ac rex,protinus eſt & imaginis exemplum. Quemadmodum neque vbi primùm quis homo eſt, protinus eſt & pater, aut dominus, aut dexter, aut aliquid eorum, quæ ad aliud referuntur.

V. HAEC ſunt igitur, quæ conficiuntur, ſi Ideas ſubſtantias eſse poſuerint, ſicut Platoni videtur. Sin autem non ſubſtantias ipſas eſse dicent, ſed notiones & effectrices quaſdam rationes, ſecundum quas opifex, ea componit,quæ ſunt. Quid enim aliud ſint, ſiquidem ſubſtantiæ non ſunt? ne ſic quidem vllo modo videbitur eſse neceſse, vt vnà cum rationibus artificialibus ſimul ea ſint opera, quæ fiunt ſecundum eas. Hîc enim rurſus contraria reciprocatione ſe habet neceſsarium. Nam ſi opera ſint,neceſsariò rationes erunt, ſecundum quas ipſa facta ſunt.Non tamen res retrorſum commeat.Neque enim rationes ipſas opera neceſsariò conſequuntur.Quoniam & domorum & nauium fabricatorem eſse licet, qui nauis aut domus alicuius rationes & notiones contineat, nondum tamen ſecundum eas fabricetur.Hiſce enim rationibus ſua in eo eſt eſsentia, quòd notiones ſunt aliquæ. ipſis autem accidit, vt tum exemplaria ſint, cùm ex ipſis opifex aliquid effecerit. Cùm igitur non prorſus vnà cũ rationib.artificialibus, illa ſint opera,quæ ſecundum eas efficiuntur,nihil vetat,ſi opifices Mundi rationes ſempiternæ ſint, non ſemper eſse Mundum. Quòd autem neceſse non ſit, vnà cum effectricibus rationibus, ſimul eſse res eas, quarum ſunt rationes, ſed contrà potiùs, rationes rebus antecedere, hinc didiceris. Deum futura prænoſcere,nullus eſt, qui non confiteatur. Et apud Græcos in pleriſque locis, vaticiniorum atq; oraculorum templa excitata ſunt:in quibus prauus aliquis dæmon veras Dei prænotiones ementitur.Res tamen omnes diuinam ſentire Prouidentiam,neque quicquam Deo eſse neglectui, communis eſt omnium animis inſita ſententia,eorum præſertim, qui, vel leuiter, Dei bonitatem & potentiam ineffabilem agnouerunt. Atque eadem hæc nobis Proclus ipſe confiteri videtur,

in eo

in eo Opere, quod de decem contra Prouidentiam dubitationibus, composuit. Hæc enim habet in illo: Cùm itaque Prouidentia vt dictum est, secundum " ipsum vnum, & ipsum bonum definita sit, & bonum mentem præcedat (Mens " enim bonum ipsum expetit, vt quod expetunt omnia, quæ sunt, non autem " mentem ipsum bonum) necesse est prænoscentem cognitionem esse supra in- " telligentem, & ita Prouidentiam sua vnitate omnia cognoscere, sicut omnia " bona efficit, non solùm, quæ intelligunt, sed etiam, quæ non viuunt: & tam ea, " quæ sunt, quàm ea, quæ non sunt, dum se sua vnitate repræsentat omnibus in- " cumbens. Et paulò pòst: Vt summatim igitur dicamus, omnia procreandi, & " omnia conseruandi vim habere vnum illud dicimus: vt quod omni substantia " hyparxin & naturam habet veriorem, & quauis cognitione clariorem. Nec di- " uiditur cum iis, quæ cognoscuntur: neq; circa eadem mouetur. Animalis enim " & intelligens cognitio horum habet proprietates. Et mens omnis vna, multa " tamen & in sua essentia & in ipso intelligendo. Atque omnis anima cùm motio " sit, etiam cum motione intelligit. Illud autem cùm in vno maneat spatio carens " simul & indiuisum, omnia eodem modo intelligit: nec hominem solùm & so- " lem, & quod est huiusmodi, sed etiam rem quamque sigillatim. Nihil est enim, " quod vnum illud effugiat, seu esse, seu cognosci dicas. Et iterum paulò pòst: Sic " & Prouidentiæ in vnitate cognitio, in eodem impartibili rerum omnium est " quæ diuiduntur cognitio, tum earum quæ maximè sunt indiuiduæ, tum earum, " quæ totius naturam maximè retinent. Et quemadmodum sua vnitate rem " quamque produxit, ita sua eadem vnitate vnamquamq; cognoscit. Quod igi- " tur prima omnium causa, quam res omnes expetunt (hæc autem est ipsum bonum & ipsum vnum. Nam huic soli primi nomen tribuunt, si quod certè omnino est verbum, quod de ipso liceat pronuntiare) etiam eas quæ inter ipsas res maximè sunt indiuiduæ, procreat & cognoscit: & ad omnia suam producit Prouidentiam. Proclum ipsum apertè dicentem audiuimus: iam & Plotinus Philosophus in eo Opere, quod De iis, quæ mente percipiuntur, & de bono cõscripsit, persimilia de opifice, & prouidente Dei potentia hisce verbis enuntiauit: Attamen si quamque actionem non imperfectam esse oportet. Neque " fas est Dei quicquam aliud arbitrari, quàm totum, & vniuersum. Oportet in re " qualibet quæ ipsius sit, omnia simul adesse. Quare ipsum quoque semper esse o- " portet. Vnde efficitur, vt sit necesse futurum, vt iam præsens adesse. Quapropter " non posterius quicquam in illo. Sed quod iam illic præsens est, posterius in alio " efficitur. Quare si iam adest futurum, necesse est ita adesse, vt quod mente anti- " cipatum sit, & præuisum in posterum. Hoc autem est perinde, vt nulla re tum " indigere: Atque hoc eius est, quod nulla re defecturum sit. Omnia igitur iam " erant, & semper erant. Atque ita erant, vt posteà dicamus propter hanc causam " hoc esse factum. Extensum enim & quasi simplex factum potest ostendere, " hoc post hoc esse factum. Illud autem omne, quod simul est, vnum id est. Hoc " autem est id, quod in se causam continet. Plotinus igitur non solùm præsen- " tia, sed & futura per prænotionẽ Deo adesse dicit. Quod enim in iis, quæ oriuntur posterius producitur, id in illo semper adesse testatur. Deinde modum sub-

ierit,quo Deo præſens adeſt futurum.nempe dum ea quoq; intelligit,quæ nondum ſunt. Neceſſe eſt enim,inquit,ſic adeſſe,vt quod cogitatione anticipatum eſt,& præuiſum in poſterum.Quare ſi per prænotionē omnia etiam quæ nondum ſunt,Deo perinde adſunt,ac ſi iam eſsent præſentia, nouit profectò ad quē modum,& ad quas rationes futurum ſit vnumquodq; eorum, quæ ſunt futura: & vbi quidque factum erit,quibus rationibus in qualibet ineundæ vitæ ratione ea ſuccedent:qua ab illa,quę falli nequit,Prouidentia caſura ſint. Omnia,enim, inquit Plotinus,iam erant, & ſemper erant. Illud enim iam Deo adeſſe indicat, quæ in poſterum futura ſunt,antequā facta ſint.Ac nequis illud iam vllius principii ſignificationem dare arbitraretur,ſubiecit, Et ſemper erant. Et ſic,inquit, erant vt poſteà dicamus,hoc propter hanc cauſam eſſe factū. Hoc eſt,quorū ortus & procreationis cauſas,poſteaquàm effecta ſunt,mente percipimus. Vt verbi gratia,quod propter rationis operationes,vnus omniū animantiū homo manibus vtitur, nempe quòd rationi conuenientia inſtrumenta ipſe opifex manus ſit fabricatus.Hoc igitur poſteaquam res ipſa extitit,nos cognouimus.Quapropter hoc ob hanc cauſam fieri in Dei cognitione ſemper anteceſsit. I'dque non ſolùm in vniuerſis formis & toto genere,ſed in iis etiam, quæ priuatim in ſingulis eueniunt,eadem valet ratio. Explicans itaque ſeipſum ſubiecit: Extenſum enim,ait,& quaſi ſimplex factum,hoc poſt hoc oſtendere poteſt. Hoc eſt,deductum in generationē.Vt verbi gratia,quod poſt elementorum permiſtionem ac craſin efficitur coagmentatio,& immutatio,deinde conformatio,tū animæ immiſsio. Atque ad hunc modum in omnibus. Illud autē, inquit,omne quod ſimul eſt,id vnum eſt.Hoc autē id eſt,quod in ſe cauſam cōtinet. Simul dicit,roeo quod eſt in Dei cognitione.In illa enim omniū rationes ita habentur, vt partitionem nullam admittant.Hæc ſunt igitur,quæ de ea Dei Prouidentia,quæ futura præuidet,ac pręnoſcit, tum ex omnibus hominū notionibus,tum ex Philoſophis,quos produximus,comprobata ſunt. Iam verò qualiſcunq; de facto concepta habeatur opinio(differentes enim de ipſo fuerunt opinationes)ipſum tamen vniuerſas futurarū rerum cauſas cumulo ſub vnū ab initio tēpus comprehenſas habere,& eaſdem res futuras prædicere,& perficere poſſe, Gręcis eſt hominibus perſuaſum.His igitur nobis conſtitutis & confeſsis, omnino eſt neceſſe per vtramq; opinionē,tum eam,quæ de Prouidentia, tum eam, quæ de rerum futurarū fato prolata eſt, iam cognitas & perceptas rationes antecedere. Cùm hęc autem ſe res habeat,cuiuis eſt apertum,non neceſſe eſſe,vt vnà cum earum rerum,quæ fiunt,efficientibus rationibus & cauſis,ipſę quoq; res ſimul adſint: ſed contrà potiùs,omnibus quæ oriuntur, rationes ipſas antecedere, ex iis, quæ confirmauimus,neceſſariò intelligimus. Quare vt rerum Ideæ & exemplaria, notiones ſint quædam & rationes opifices, ſecundum quas Mundum hunc produxerit,non neceſſariò conficitur,ex æuo ſempiterno vnà cum Dei de Mundo concepta cognitione, Mundum ipſum ſimul fuiſſe. Neque vlla ratio Platonem eò compellet, vt quia æternum Mundi exemplum eſſe dixerit, Mundum etiam ſempiternum eſſe conſtituat. Demonſtratum eſt enim,ipſas Ideas in eo ſuam vim & eſſentiam non habere, quòd exempla ſint.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum tertium.

SI cuiuſquam rei quis eſt opifex,is aut actu erit ſemper,aut ita poteſtate interdum, vt non ſemper operetur. Si igitur actu opifex, ſemper eſt opifex, opus quoq; quod fit,ſemper efficietur.Quando enim, inquit Ariſtoteles, cauſa fuerit actu, tum quoq; eodem modo actu erit effectus: nempe ſi ſemper actu fuerit, qui ædificet,erit & quod ædificetur: Et ſi qui ſanet, erit & qui ſanetur. Et Plato in Philebo,teſtatur quòd efficiens,alicuius quod efficiatur, efficiens eſt,non autem eius,quod effici poſsit,efficiens eſt:neque eius quod efficitur,vim & potentiam habet efficiendi.Nec, ſi quod efficitur, non ſit actu, quod efficit, actu erit. Quòd ſi actu non ſit efficiens, poteſtate erit, nempe antequam agat efficiendi præditum facultate. Quicquid autem poteſtate quidpiam eſt, inquit idem, ab aliquo quod actu ſit,ad actum deducitur.Vt,quod poteſtate calidum eſt, ab eo, quod actu ſit calidum:& quod potentia eſt frigidum,ab eo,quod actu frigidum ſit,in actum traducitur.Sic album,ſic nigrum. Erit igitur opifex actu, qui priùs erat potentia,ab aliquo qui actu ſit,in actum eductus. Quare ſi ille ſemper actu autor eſt & cauſa cur hic ſit opifex,hic quoq; ſemper erit actu opifex,per prius axioma quod dicit:Quandiu actu erit cauſa, tandiu actu erit & effectus. Quare id ſemper eſt quod efficitur. Quòd ſi quando poteſtate tantùm autor ille fuit, cur hic actu operaretur, rurſus ille quoq; alio indiguit, à quo in effectum ipſemet produceretur,per ſecundum pronuntiatum quod habet,Id quod in potentia eſt,aliquo quod actu ſit,indigere,vt ipſum ſit actu. Atq; eadem rurſus in hoc ratio valebit,vt aut in infinitum progrediamur, dum ſemper aliam ante aliam cauſam inquiremus; quæ propoſitam potentia cauſam prouehat in effectum: aut eò neceſsitatis compellamur,vt ſemper actu cauſam aliquam eſſe confiteamur.Quòd ſi receptum erit,neceſſariò conficietur,actu ſemper eſſe,quę oriuntur de cauſis: & item Mundum ſemper effici: ſiquidem opificem ſemper eſſe opificem, per duo honoraria pronuntiata demonſtratum eſt. Vnum, quòd quemadmodum ſe habet vnum eorum, quæ ſub eandem rationem cadunt, ita ſe habet & alterum.Vt ſi vnum ſit potentia,alterum quoq; ſit potentia: ſi actu, actu.Alterum,quòd omne quod poteſtate eſt,& in aliud actu migrat, ab aliquo excitatur,quod actu ſit,vt priùs idem poteſtate,ſit deinde actu.

Capita ſolutionis tertii Argumenti.

Quòd propter homonymiam & ambiguitatem eius, quod poteſtate, & eius quod actu dicitur,captioſum ſyllogiſmum in hiſce Proclus contexuit. I.

Expoſitio variarum ſignificationum eius, quod poteſtate, & eius quod actu dicitur. II.

Quòd cauſam per habitum (quæ prima eſt ſignificatio eius quod actu dicitur) non omnino neceſſariò effectus actu conſequitur.Vnde nihil vetat ſemper per habitum Deum actu eſſe opificem,non ſemper tamen Mundum eſſe. III.

Quòd id,quod progreditur ex ſecunda poteſtate,quæ per habitum eſt,& ipſa eius,quod actu dicitur prima ſignificatio, vllo alio non indiget, quod ipſum ab habitu ad actum producat. IIII.

V. *Citantur verba Procli, quibus docetur quòd captiosum syllogismum confecit: quia confusè quod potestate, & quod actu est, acceperit: ob id, quòd actu per habitum opifex Deus, neque necessariò Mundum secum ex æternitate fuisse inducit, neque aliquem alium desiderat opificem, qui ipsum ab habitu in actum traducat.*

VI. *Quòd neque in priore potestatis significatione, in vniuersum verum est, eum qui potestate est aliquid, omnino indigere alio quopiam, qui id ipsum sit actu, quod ipse potentiâ, vt in actum educatur: sed simpliciter aliquo, qui actu sit, non tamen qui omnino sit talis.*

VII. *Quòd fieri potest, vt ipsa natura vi sua traducatur in actum, & in habitum eius rei, ad quam est aptitudo, & habilitas: nec vllo extrinsecus indiget, qui perficiat.*

TERTII ARGVMENTI
PROCLI SOLVTIO.

I. MIRVM, quàm captiosum hoc sit Philosophi argumentũ, quanquam decuit eum, qui celebre est Philosophiæ ornamentum & decus, quíque ad summum Dialectici acuminis peruenit, cùm res tanti momenti tractet, non adeò fraudulenter ambiguis nos (vt Sophistæ adolescentes solent) in errorem impellere: sed veritatis studio, tum quod potentia, tum quod actu dicitur, vt ambiguas & homonymia implexas voces in varias significationes debuit distinguere, & docere, in quánam significatione eius quod potestate dicitur, confessum sit alterum eorum pronuntiatorum, quæ ab ipso sunt prolata: & rursus in quánam eius quod actu esse dicitur alterum: deinde, vnamquamque significationem eorum, quæ potestate, & quæ actu dicuntur, cùm in opifice posuisset, videre, quæ cuiusque hypotheseos essent consequentia. Nos igitur cùm vnum hunc nobis scopum proponamus, vt veritatem inueniamus, Dialecticorum canones sequuti, priùs in varias significationes, quod potentia, quódque actu dicitur, distinguamus. Deinde, quàm vera sint, quæ à Philosopho in ipsis axiomata ponuntur, ex quibus argumentationem tertiam contexuit, diligenter expendamus. Nam propter eos, qui huiuscemodi rationum sunt imperiti, nihil melius, quàm paucis sensum eius quod potentia, & eius, quod actu dicitur, oculis omnium subiicere.

II. POTESTATE bifariàm aliquid dici, & item actu bifariàm, cùm accuratè Aristoteles docuit, tum apud omnes est in confesso. Dicitur namque vno modo potentia aliquid esse, quod ad aliquid naturalem quandam habilitatem habet: quemadmodum dicimus puerum potestate grammaticum esse. Habilis est enim eius natura ad idoneo tempore grammaticorum præceptiones accipiendas. Vna igitur hæc est potestatis significatio, quæ primum potestate, seu prima potestas dicitur, nempe per habilitatem & aptitudinem. Quando autem quispiam in habitu grammaticorum theorematum positus, ipsorum scientiam animo conceptam habet, per ipsa tamen neque operatur, neque in eorum perspicientia versatur, aut quia edat, si ita sors tulerit, aut quia in aliis animum habeat occupatum, aut quia in his esse nolit, is potentia grammaticus esse dicitur, non tamen, vt prior ille, non enim in habitu præceptorum ille positus erat, sed tantùm quia natus aptus esset & habilis, potestate grammaticus

maticus eſſe dicebatur. Appellatur autem hæc ſignificatio alterum poteſtate, ſeu altera poteſtas, & poteſtas per habitum. Hoc ipſum autem, quod alterum poteſtate, & per habitum poteſtas nuncupatur, actu prius etiam dicitur: Nam ſi ad priorem potentiam reſpicias (quæ per naturalem habilitatem eſſe dicitur, & quam qui habet, quia præcepta ſuſcipere natura ſit idoneus, potentia grammaticus dicitur) qui præceptorum habitum iam ſibi pepererit, actu grammaticus meritò dicatur, vt iam actu habitum ipſum nactus. Verùm quoniam eſt & alter actus, per quem ipſe grammaticus ſua iam promit theoremata, aut alteri ea tradens, aut ipſe ſecum exercens, huius actus comparatione, qui habitu ſolùm præcepta tenet, potentia dicetur eſſe grammaticus: potentia dico, ex ſignificatione ſecunda. Itaq; efficitur, vt idem, qui ſolùm grammaticorum præceptorum habitum tenet, & non ex ipſo operetur, & potentia grammaticus, & actu eſſe dicatur. Sed potentia quidem, vt cùm ſecundo actu confertur, per quem docens ſua profert theoremata: actu autem, vt cùm priore aptitudine comparatur, per quam habitum quidem theorematum nondum habebat: tamen vt valens hunc aliquando ſibi comparare, poteſtate grammaticus eſſe dicebatur.

CVM hæc ad hunc modum nobis diſtincta ſint, & geminum ſit quod potentia, geminum quod actu dicitur, cúmq; poſterior potentia cum priore actu concurrat, pronuntiatum illud prius quod habet, quando actu cauſa fuerit, actu quoq; erit quod oritur de cauſa, in ſolo actu poſteriore verum eſt, non item in priore, qui poſterior potentia quoque dicitur. Quando enim præceptor iam docet, neceſſe eſt eſſe, qui doceatur: & ſi ædificator iam ædificet, neceſſariò erit, quod ædificetur. In priore autem actu non item verum erit pronuntiatum. Fit enim, vt ædificator partum habeat ædificandi habitum, non ædificet tamen: & qui docendi habitu præditus ſit, non doceat. Quare vt ſit actu cauſa ad hunc modum, hoc eſt, vt ſit habitu ædificator, aut præceptor, non protinus erit effectus, hoc eſt, quod ædificetur, aut doceatur. Licebat præſtantiſsimos quoſque Philoſophos eadem nobiſcum propemodum ſentientes, ad verbum proferre, cùm alios, tum Alexandrum, Ariſtotelis interpretem in commentariis in libros De demonſtratione. Verùm cùm aperta ſit & clara ratio, omnia hæc in præſenti miſſa faciam. Hoc igitur modo verum eſt primum axioma. III.

SECVNDVM autem, quod habet: Quando id quod poteſtate eſt, in actum euehitur, omnino eſt neceſſe ab aliquo alio mutari, & in actum excitari, quod tale ſit actu, quale ipſum eſt facultate, ſolùm in priore poteſtate locum habet, puer enim poteſtate grammaticus eò traducitur, vt actu ſit grammaticus, ab eo, qui actu grammaticus eſt. Et aqua facultate calida, actu calida efficitur ab igni, aut omnino ab eo, quod actu ſit calidum. Non item in poſteriore potentia verum ſit hoc enuntiatum. Nam qui habitum habet grammaticorum præceptorum, & hac modò facultate grammaticus dicitur, quando ab hac poteſtate excitatur in poſteriorem actum, quo iam profert & exercet ſua theoremata, non ab alio, qui actu ſit grammaticus, commutatur; ſed ipſe ſe, nullius ope adiutus, ad operandum excitabit. Atque in omnibus eadem valebit ratio. IIII.

V. HIS igitur sic à nobis apertè distinctis, ad rem propositam accedamus, si
« priùs ipsa Philosophi verba protulerimus: Si actu,inquit,opifex semper est opi-
« fex, opus quoque quod fit,semper efficietur. Quando enim, inquit Aristoteles,
« causa fuerit actu,tum quoq; eodem modo actu erit effectus. Vides vt non di-
« stinguit,qua significatione actus,opificem,ponit actu opificem: sed simpliciter
& indistinctè causam actu,actu effectum consequi dicit: vt quod in certa quadam actus significatione tantùm verum est axioma, illud omnino de actu pronuntiet. Quod falsum esse docuimus, cùm in vno actu posteriore locū habeat. Si nos igitur per habitum actu opificem (quæ prior est actus significatio) Deū semper esse statuimus, cur necesse erit, Mundum semper esse? Hoc autem captiosè fecit Philosophus: vt si dicamus,non semper esse Mundum, statim neget in vniuersum Deum semper esse opificem. Sinautem cōcesserimus Deum nulla actus significatione opificem fuisse,priusquam Mundum efficeret,consequutione quadam concluderet, potentia esse opificem in priore potestatis signi
« ficatione. Audi igitur quæ intulit: Quòd si quod efficitur,non sit actu,neq; effi-
« ciens actu erit. Vide rursus,vt indefinitè vtitur actu,neque addit in vtra actus significatione pronuntiatum sit verum. Constat autem in posteriore actu verum esse,in priore non item. Nam vt domus actu non sit, nihil tamen vetat ædificatorem esse actu,eo nimirum,qui ab habitu dicitur. Aedificator siquidem est,qui habitu præditus est,etsi non ædificet:& medicus itidem, etsi non curet. Neque verò ædificare,& curare actu potest,nisi sit prorsus & quod ædificetur,& quod curetur. Quòd autem reuera, quia in fraudem nos homonymia impellere vellet,non distinxit eius quod facultate, & eius quod actu est,diuersas significationes,vt si,quemadmodum dixi,dicamus nō semper esse Mundum, conficiat ipse neque Deum vllo modo actu esse opificem, priusquam Mundum effecerit, sed
« potentia tantùm,eáq; priore,planum ex iis, quæ subiecit. Si enim,inquit,actu nō
« sit efficiens,potestate erit, nempe antequam agat efficiendi præditum faculta-
« te. Quicquid autem potestate quidpiam est,ab aliquo quod actu sit tale,ad actū
« deducitur. Vt quod potestate calidum est,ab eo quod actu sit calidum: & quod
« potētia est frigidum,ab eo quod actu frigidum sit,in actum traducitur. Sic albū,
« sic nigrum. Erit igitur actu opifex,qui priùs erat potētia,ab aliquo,qui actu sit,
« in actum eductus. Obserua igitur quod diximus,vt cùm euerterit,Deum actu esse opificem,quia Mundus non sit actu,statim conficit ipsum potentia esse opificem, ídque in priore potestate, quasi vtranq; actus significationem euerterit. Alium igitur aliquē opificem desiderare dicit,qui hunc,qui priùs potestate erat, actu opificem efficiat. Id quod non ei qui habitu sit ornatus,sed ei,qui aptus tantùm sit,euenire probauimus. Quanquam vt non sit actu Mundus, non protinus conficitur priore potestate esse opificem. Potest enim, vt dixi, facultas ex habitu, hoc est prior actus, concludi. Verùm Philosophus captiosè quod priori potentiæ conuenire dicitur (nempe quòd aliquid actu tale postulet, quo in actum prouehatur) simpliciter & nulla adhibita distinctione, potestatem consequi dicit. Deinde ex rationis consequutione prolixas opificum nugas subnectit, opificem opifici connectens, & quæ primam ineptam hypothesin

conſequuntur. Verùm nullus(qui ſaltem communi ſenſu non careat) in priore poteſtatis ſignificatione Deum opificem eſſe dixerit, priuſquam eſſet operatus. Hoc igitur euerſo, omnes, qui quaſi ex aranearum telis à Philoſopho contexti ſunt ſyllogiſmi, diſſoluti corruunt & collabuntur. Cùm enim ab habitu opifex, & fabricator ſit Deus, priuſquam fabricetur, neq; alterum poſtulat, qui in actū ipſum educat, neq; quia actu eſt opifex, Mundum ideo ex æternitate ſecum eſſe conficit. Si enim ex habitu ſit ædificator, non neceſſariò domus erit. Sed neque quando ædificator ex habitu tranſit ad agendum, alio vllo indiget actu ædificatore, qui ipſum eò producat. Porrò quod Sophiſtarum proprium ſit, & nimium graue prudentibus, captioſas concluſiones ex homonymia contexere, abunde ſignificauit Ariſtoteles in libro Περὶ ἑρμηνείας, vbi talem paralogiſmorum formam, moleſtias propriè appellauit. Dico enim, inquit, enuntiationem oppo- “
ni eiuſdē, de eodē, non ambiguè: & quæcunq; alia diſertè definiuimus aduerſus “
Sophiſtarū moleſtias. Nam, nónne in moleſta & inani verborū turba verſan- “
tur, qui neglectis rebus, dictionū & verborū captione, eos conuincere conantur, quibuſcū differūt? quod certè egregius Proclus hîc nobis facere nihil dubitauit.

Cæterùm, operæpretiū eſt animaduertere, quomodo in ipſa axiomatis ſum- VI.
ptione ſatis magnas captioſarum concluſionum occaſiones ſibi ſuppeditat Philoſophus. Nam vt longas opificum nugas contexere poſſet, cùm poteſtate opifex alium poſtulet actu opificem, qui hunc actu opificem faciat, & ille rurſus, quia priùs poteſtate eſſet, tertio indigeat actu opifice, & hic rurſus alio, vt ita in infinitum producat, abſurdum. Et cùm dixit, id quod poteſtate eſt, alio indigere actu, quod ipſum ad actum deducat, tale dicit eſſe debere illud, quod actu eſt, quale eſt ipſum potentia: veluti, ſi quid calidum ſit poteſtate, illud quidem vim perficiendi habet id, quod poteſtate eſt calidum, actu debere eſſe calidum. Hoc in quibuſdam verè quidem dicitur. Poteſtate enim grammaticū actu grammaticus, actu reddit grammaticum. Et ignis actu calidus, aquam, quę poteſtate calida erat, immutat, & facit actu eſſe calidam. Non in omnibus tamen vera hæc eſt oratio. Verùm aliquo quidem quod actu ſit fortaſſe, eſt opus, vt quod poteſtate eſt, in ſuum actum excitetur, non tamen quod actu eſt, neceſſariò tale eſt actu, quale eſt potentia quod ab ipſo in actum educitur. Nam cùm ligna ſint poteſtate nauis, efficit actu nauem, non actu nauis, ſed nauium actu fabricator. Neque enim quæ in nauium fabricatore efficiendæ nauis rationes inſunt, iam ſunt actu nauis. Præterea, quod poteſtate dulce, aut amarum, aut rubrum eſt, nō omnino ab actu dulci, aut amaro, aut rubro in actum prouocatur. Aqua enim qua irrigantur ſtirpes, poteſtate vnamquamq; qualitatem habet, in quam mutatur, id quod ipſis adglutinatur ſtirpibus. Neq; verò quicquam actu dulce, aut amarum, aut rubrum aquam immutat, vt iis ornetur qualitatibus, ſed quę in natura eius, quod actu eſt, efficiendi potentes rationes ſunt. Et quod potentia durum eſt, à frigido actu durum efficitur, cùm frigidum non ſit actu durum, ſed actu ſit frigidum. Quare hîc quoq;, vt opificum opifices longa ſerie connectendi occaſionem inueniret, addit axiomati, oportere quod actu eſt, & in actum deducit, id quod eſt potentia, huiuſmodi eſſe actu, quale illud eſt potentia.

VII. NVM verò ne id quidem, quod vim habet & habilitatem ad aliquid, alio indigebit actu, à quo à facultate in actum traducatur? Fit enim, vt quis ipse sibi causa sit, vt ex priore potentia in actum eat. Reuera enim ex Platonis sententia, duæ sunt ad scientiam viæ, Disciplina & Inuentio, vt in Alcibiade scribit. Planum est igitur, quòd qui primus artem aliquam, aut totam, aut partes eius inuenit, vt qui primus lignorum sectionem excogitauit: priusquàm inuenisset, cùm potestate tantùm sector esset, idque priore potentia, tum actu factus est sector, nō ab vllo alio, qui actu sector esset, sed ipse se è potentia in actū excitauit. Iam quid dixeris in recèns nato catulo? cùm enim potestate & videndi, & latrandi vi sit præditus, non ab vllo alio, quod actu sit, eò deducitur, vt actu videat aut latret, sed ipse à sua natura perficitur. Nisi quis in priore vniuersalem mentem causam esse dicat, cur potentia mens in actum euocetur: in secundo autem vniuersalem naturam. Verùm etsi istud concesserimus, nunquam tamē quisquam dixerit vniuersalem animum actu aut sectorem, aut ædificatorem, aut quicquā esse simile: neque vniuersalem naturam actu videre, aut latrare: sed simpliciter actu esse. Ne longiùs progrediar oratione, inquisiturus, quî fiat, vt vniuersalis animus nonnullorum potentiam in actum ducat, nonnullorum non item: sic & in natura vniuersali, sine illa omnino, & in aliquo constet, & habeat essentiam? Neq; enim vnum aliquod corpus est vniuersale in hoc Mundo, præter quodq; singulorum. Quare neque natura est vniuersa: quod enim vniuersale est, secundum Aristotelem, aut nihil est, aut posterius: & in nostra cogitatione tantùm cohæret: nisi vniuersam naturam quis dixerit consensum esse, & concentum Mundi partium inter ipsas.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum quartum.

Quicquid ex immobili fit causa, id vi & natura sua sempiternum est. Nam si quod facit, est immobile, est & immutabile. Porrò si immutabile est sua essentia, & ipso suo esse facit, non ab effectione ad non efficiendum migrans, neq; ex non faciēdo ad faciendum. Nam si migrabit, mutationem subibit: nempe ipsam ex vno in alterum migrationem. Mutationem autem si subibit, non erit immobile. Si quid igitur immobile est, id aut nunquam, aut semper faciet: ne, quia aliquando faciat, motu cieatur. Quare si qua cuiusquam rei immobilis est causa, quæ neque nunquam sit causa, neque interdum, ea semper causa sit est necesse. Quod si verum est, rei erit sempiternæ causa. Cùm igitur vniuersi causa sit immobilis (Nam si moueatur, priùs imperfecta erit: deinde perficietur. Omnis siquidem motus, actio est imperfecta. Et prętereà tempore indigebit, cùm tempus ipsum producat) necesse est, vniuersum esse sempiternum, vt ab immobili causa productum. Quare si quis quia ita se pium erga Mundi autorem futurū putet, illum solum sempiternum esse dicat, Mundum autem nō æternum, sanè hunc cùm non æternum dicit, illū moueri ac non immobilem esse pronuntiat. Moueri autem cùm dicit, ac non immobilem, illum non semper perfectum, sed interdum etiam imperfectum fatetur, quia omnis motus actio est imperfecta, & quæ deteriore indiget, nempe tempore, sine quo motus nō perficitur. Imperfectum

fectum autem nonnunquam, ac non semper perfectum, & deterioris indigentem, cùm dicit, insigniter est impius. Si quis igitur vniuersi autorem, dum pius erga eundem videri cupit, solum æternum esse dicat, insigniter est impius.

Capita solutionis quarti Argumenti.

Exponuntur duæ quarti Argumenti conclusiones. Et quòd à minore propositione, quæ communis est ambobus syllogismus, Proclus captiosum syllogismum confecit. I.

Quòd plerique contra ea, quæ sentiunt, vt nostram veritatis persuasionem euertant, fallaces consuunt conclusiones. II.

Id quod prius non faciebat, deinde facit, & omnino quod ex habitu in actum educitur, non moueri, neque omnino immutari. III.

Dei actionem, motum non esse. Et quæ imperfecta, quæ perfecta dicatur actio. IIII.

Imperfectam actionem, quæq; in temporis interuallo perficitur, motum esse non agentis, sed patientis: cùm nulla in re id quod mouet, immutatum sit, quia prius quidem moueat, posteà autem non moueat. V.

Aristotelis quibus hæc confirmantur, testimonia. VI.

De eo, quod potestate, & eo, quod actu dicitur, ex iis, quæ scripsit Aristoteles: & quòd neque immutatio nec omnino motus est, quando ab habitu actio producitur. VII.

Quòd non ex ignoratione, sed sponte ad fallendos imperitos huiusmodi captionum forma vsus est Proclus. VIII.

Dubitatio & solutio, quòd non tollimus, quin semper vniusmodi, & similiter affectus sit Deus, quando ipsum Mundi opificem habitu semper esse constituimus, non tamen ex æuo sempiterno Mundum effecisse. In quo docetur habitum & actionem idem in Deo valere, & necesse esse vnà cum ea, quæ in Deo est, rerum notione, res ipsas simul constare. IX.

Non in hoc esse immutationem, quod Deus interdum velit, & idem nolit interdum. Nec omnino differentes esse Dei voluntates, sed vnicam esse & simplicem, eámque semper vniusmodi, & in eodem statu constantem, quia boni sit perpetuó. Mutationem autem in iis cerni, quæ sunt participia. X.

Expositio dubitationis, & reprehensio, quæ habet, quòd si semper non erat Mundus, antequàm fieret, potestate Deus opifex erat, & ideo imperfectus. In quo ostenditur, omnem substantiam ipsam à se sine vlla relatione, per eas, quæ in ipsa visuntur, naturales facultates, perfectionem habere, non per eas, quæ ab ipsis facultatibus extrà progrediuntur ad alias actiones. XI.

Per se sibi satis esse Deum, & ipsum se complere, nullius eorum, quæ extra ipsum sunt, ad sui perfectionem indigentem. Et in sempiterna efficientium rationum constantia, non in ipsa effectione suam habere perfectionem. XII.

Non solùm vniuersorum, sed etiam maximè particularium opificem esse Deum. XIII.

Quòd per ea ipsa, per quæ nostram de Mundo hypothesin absurdam videri volunt, cùm dicunt, quòd si factus est Mundus, priusquam fieret, ipsius opifex potestate erat, & ideo imperfectus, ipsi in rem ineptam magis, & obtusiorem abducuntur, cùm ipsi Deum semper potentia opificem, & semper imperfectum suis faciant hypothesibus. XIIII.

Quòd Proclus iterum conuincitur agere malitiosè in suis Argumentis. XV.

Tum secũdum cõmunes notiones, tum secundũ Philosophũ Plotinũ, opificẽ Deum ipsum per se esse perfectum: nec quicquam ex eo, quod posteà efficiat, suæ addere perfectioni, XVI.

quia omnia per prænotionem ipsi adsint, etiam cùm nondum sunt in ortum producta.

QVARTI ARGVMENTI
PROCLI SOLVTIO.

I. CVM duæ conclusiones in quarto Argumento à Philosopho propositæ sint,& minor propositio in vtraq; sit communis,ab hac vna nimirum falsa, tota captionis & imposturæ ratio pendet. Reuera enim concessa semel vna re absurda, sexcentas alias consequi consimiles est necesse.Operæpretium est autem,ipsas primùm producere Philosophi conclusiones: tum ad falsæ, hoc est, minoris propositionis reprehensionem veniemus.hac enim reprehensa,detegitur magni Procli contra veritatem fraudulenta molitio.Sic igitur habet vna conclusio: Quod, inquit,à non agendo ad agendum migrat,mutationē habet. Quicquid autem mutatur, illud mouetur: reuera enim omnis mutatio,aut est motus aliquis,aut non sine motu.Motus autem omnis, actio est imperfecta, vt Aristoteli demonstratum est: vt dealbatio. Neque enim nigrum est, neque adhuc album,id quod dealbatur.Via enim est à nigro ad album,dealbatio.Quare si motus imperfecta est actio,Deus autem imperfectus non est,certè non mouetur.Si non mouetur,neque immutatur.Quòd si non mutatur, à non agendo ad agendum non commigrabit. Mutatio enim, inquit,& motus est, quod est huiusmodi. Sic igitur habet altera ratiocinatio. Huius autē maiore propositione cōmutata,ad aliud absurdum deducit orationem:Quod enim, inquit, prius non faciebat, posteà autem facit, immutatur. Quod immutatur,mouetur.Quod mouetur, tempore indiget. Est enim omnis motus in tempore.Quod igitur prius non faciebat,& posteà facit,tempore indiget. Si igitur temporis autor & fabricator Deus est, non certè à non agendo ad agendum traducitur,ne temporis indigens fiat,cuius ipse est autor. Ex quibus conficit, quòd si Deus & perfectus & immobilis vndequaq; & immutabilis est, nec temporis est indigens,qui tempus ipsum fecerit. Quod autem anteà non faciebat,& posteà facit,mouetur:& ideo imperfectum est,& indigens temporis: id certè Deus aut nunquam,aut semper faciet,vt immobilitatem & immutabilitatem in altero saltem obtineat. Si igitur prius esse non potest, nempe vt ipse nunquam faciet,semper certè faciet. Quòd si Mundum semper faciet, necessariò Mundus semper erit. Conclusionum igitur Procli ratio sic habet.

II. CAETERVM, mirari mihi succurrit, quî fiat,vt suæ conscientiæ reprehensionem deprecantes, plerunque etiam contra ea, quæ probè ab ipsis demonstrata sunt,nonnulli aduersus veritatem armentur: & omni arte à conclusionum vi & acumine imperitos fraudulenter auertant.Nam quòd omnis motus actio sit imperfecta,& quòd omnis mutatio,aut motus sit, aut non sine motu,verum id quidem est.Quod autem id,quod à non faciendo,aut omnino à nō agendo,posteà ad faciendum,aut omnino ad agendum transit, nullum motum aut immutationem subeat,nobis,opinor, probandum non est, sed ipsa tantùm Aristotelis verba in medium producenda sunt,quibus in permultis scriptis suis, euidenti probatione nos hoc docuit. Et quibus nec Proclum contradicturum puto.Verùm ne in alienis opinionibus conquiescere videamur, ipsi per nos primum

mùm rationem ipsam expendamus, deinde Aristotelis testimoniis veritatem quasi impresso sigillo confirmemus.

QVOD, inquit, ex otio ad agendum transit, mutationem subit & motum. III.
Illud imprimis in hisce necessariò obseruandũ esse nemo nescit. Id scilicet, quod antè non erat in opere, & posteà accedit ad opus, ex secunda potentia (quæ per habitum dicitur, quéq; ipsa primus est actus) ad secundum actum progredi. Exempli gratia, ædificator, qui cùm priùs non ædificaret, posteà ædificat, ex ædificandi habitu ędificationis actionem promit. Nam à priore potentia ad habitum commigratio, non effectio, sed potiùs est perpeſsio. Et quod ex priore potentia in habitum mutatur, potiùs perpetitur, quàm facit. Veluti puellus potentia grãmaticus, quando habitum artis grammaticæ sibi parat, patitur ipse à præceptore, non autẽ agit in alterum. Atq; par est in omnibus ratio. Quare, si quod priùs non faciebat, & posteà facit, à secunda potentia ad secundũ actum progreditur: & huiusmodi ab habitu progreſsionem Proclus motionem esse dicit, apertè ab habitu ad actum progressum, motum & mutationem esse pronuntiat. Quòd si id, quod ex habitu actionẽ promit, mouetur, modis omnibus est necesse, vt aut illa affectio, quæ effectionem ipsam pręcedit, sit motus, aut ipsamet effectio, aut certè aliam quampiam affectionem esse oportet, quæ inter otium & effectionẽ interiecta conspiciatur. nihil est enim præter hęc. Verùm fieri non potest, vt illa affectio efficientis, quæ effectionem pręceſsit, motus esse dicatur, hoc est, ea, per quam efficiendi habitu, sine actione, præditus erat. Nam nõ facere, quies est potiùs, quàm motus. Quod & Proclus ipse censet. Si quid enim, inquit, immobile »
est, id aut nunquam, aut semper faciet. Quia non facere, quies est, & otium, non »
autem motus. Non igitur faciendi habitus sine actione motus esse potest. At verò neq; inter actionem & otium, seu in medio efficiendi & non efficiendi, motum vllũ animo concipere poſsis. Nam vt ab habitu expromatur actio, tempore non est opus. In eodem enim est finis non agendi, & agendi principium. In vno enim & eodẽ temporis puncto, non scribendi finẽ faciens, ad scribendũ acceſsi. Atq; eadem in omnibus obseruatur ratio. Nullum igitur tempus est interiectũ inter ipsum facere, & non facere: & omnino inter habitum & actionem. Nam si quod tempus inter faciendum, & non faciendum interiectum esset, & omnino inter contradictionis partes, in hoc eodem neq; non faciet. Iam enim non faciendi finem fecit, neq; faciet. nondum enim facere cœpit. In eodem igitur tempore neq; faciet neq; non faciet. Quod fieri non potest. Simul enim vera esset tota contradictio. Quòd si inter otium & actionem nullum est interiectum tempus, & omnino inter habitum, & ab eo progredientem actionem, quia nulla alia affectio interiecta esse potest, motus certè medius nullus erit: nec vlla omnino commutatio. Omnis enim mutatio in tempore perficitur. Tempus autem in medio nullum esse, necessaria ratione docuimus. Neq; igitur ante faciendũ neq; inter effectionẽ & otium, fit vt moueatur id, quod cùm priùs non faceret, posteà facit: & omnino id, quod de habitu actionem promit. Superest igitur, vt ipsa effectio motus sit. Quòd si ita est, per ipsos autem semper facit Deus, certè semper etiam mouetur. Si quid enim, inquit, immobile est, aut nunquã, aut semper

faciet.ne,quia interdum faciat, moueatur. Si igitur ſemper facit, & effectio ipſa motus eſt (hoc enim relictum eſt diuiſionis membrum) certè ſemper Deus mouetur.Motus autem,imperfecta eſt actio,eáq; in tempore.ſemper igitur per ipſos in motione numen erit:& ob id planè imperfectum,& temporis indigens. In illorum igitur caput ſolers ipſorum inuentum relabitur. Per ſe enim falſum ita eſſe deprehenditur,& reuoluitur in ſeipſum.Si igitur neque ante faciendum, neque inter non faciendum,& faciendum,interiectus motus vllus cernitur,neque ipſa Dei effectio motus eſt,nullo prorſus pacto efficitur, vt cùm de faciendi habitu actionem promit Deus, moueri poſſe dicatur. Sed quid Deum dico? cùm neque aliud quicquam, quod habitum habeat, deinde per ipſum ad opus accedat, ob id immutationem vllam aut motum ſubire poſsit, quòd ex habitu proferat actionem. In omnibus enim eadem argumenta valebunt: atque adeò id ipſum in progreſſu docebimus apertiús.

IIII. QVOD autem nefas ſit,Dei effectionem, & omnino actionẽ ſtatuere eſſe motum,cùm ea ſola voluntate omnia proferat,nec, vt rebus eſſentiã impertiat, tempore indigeat,aut interuallo,nemini non notum eſſe puto.Neq; enim quælibet actio, motus eſſe protinus dicitur. Nam actio latiùs patet, quàm motus,vt ipſi quoq; Ariſtoteli placet.Actionem enim duplicem eſſe dicit:perfectam vnã, imperfectã alteram.imperfectam igitur actionẽ, motum eſſe cenſet.Eſt enim, ex ipſius ſententia,motus,à prima potentia ad habitum mutatio.Sic enim in tertio Phyſicæ Auſcultationis lib. ipſum definiuit :Motus, eſt entelechia, & actus eius,quod poteſtate eſt,quatenus eſt tale. Entelechiam autem appellat, ipſam poteſtatis actionem,& perfectionem.Motus igitur hoc pacto actio eſt imperfecta.Perfectam autem actionem appellat,cõfertam & repentinã ab habitu productionem,ita vt nulla in re immutetur habitus. Conferta autem & repentina eſt productio,quæ vnà cum motu temporis nihil emittit, ſed in puncto temporis, & momento perficitur: qualis eſt luminis ab illuminante corpore progreſſus.Cumprimùm enim id,quod vim habet illuſtrãdi,comparuit,vt ignis aut ſol, repente quicquid vt illuſtretur idoneum eſt, lumine completur. Huius generis eſt & viſus actio.Simulac enim ſuſpeximus,nullo temporis impẽdio aſpectabilia percipimus.Vnde nec ſenſus tum moueri dicit Ariſtoteles,quando ea,quæ ſentiuntur,apprehendunt.At verò neque mentis actio,motus eſt.Confertim enim ac repente,& ſine vllo interuallo id attingit, quod cadit ſub intellectum. Quare ſi horum actio nullo in tempore perficitur,& ob id perfecta eſt,ac non motus, quî fit,vt Dei actionem motum eſſe dicere quiſquam audeat?

V. QVANQVAM nec ipſas imperfectas actiones,quę nõ niſi in tẽpore perficiuntur,agentium motus Ariſto.appellandas eſſe cenſuit,ſed potiùs patientiũ. Nam mens, aut ædificandi, aut docendi potens, in ædificando aut in docendo nullam ipſa mutationẽ, nec motum omnino ſuſtinet. Sumatur enim numeris omnibus abſolutus tum ædificator,tum præceptor,& qui nõ, quia imperfectus ſit, ob id doceat vt exerceatur. Talis igitur præceptor ſi fuerit, qui doceat, ipſe quidẽ nec immutationẽ vllã,nec motũ vllũ ex docendo ſubibit, ſed ex doctrina in ipſo diſcipulo motus erit excitatus.Is enim eſt, qui immutatur à nõ intelligẽdo ad

do ad intelligendũ. Itidem ædificandi potens animus, qui artis numeros omnes impleuerit, ſi ad ædificandũ corpus traducat, ipſe à ſe nihil erit immutatus: ſed motus in eo cernetur, quod ędificatur, nempe in lapidib. & lignis. hęc ſunt enim quæ ſubeunt immutationem. Atq; in omnib. par eſt ratio. Quanquã in hiſce omnibus actio nõ ſine tẽpore perficitur. Verũ in patiẽte motus & cõmutatio, nõ in agente recipitur. Nulla enim euarians affectio, neq; in docẽdi neq; in ędificãdi potente animo, ideo effecta eſt, quia, aut docuerit, aut ædificauerit. Nam etſi corpus moueatur, vt inſtrumentum tamen, atque alio motu mouetur, non eo, quo ſubiecta mouet. Loci enim mutatio, corporis eſt motus. Deus autem ipſa ſola voluntate omnia producit, nullo inſtrumento actionis ſocio indigens.

NON alienum autem, opinor, fuerit, ſi ad verbum Ariſtote. teſtimonia, quibus hæc confirmat, propoſuerimus. In tertio igitur de natura, vbi motum definiuit, hæc ſubiicit paulò pòſt: Quòd autem motus id ſit, quod diximus, hinc cognoſci poteſt. Quando enim quod ſanabile eſt, quatenus ipſum eiuſmodi eſſe dicimus, actu erit, tum ſanabitur. Atq; hoc ipſum eſt ſanatio, eodémq; modo & diſciplina & ędificatio. Et paulò pòſt: Fit enim, vt vnaquęq; res aliâs operetur, aliâs non operetur: veluti ſanabile, & ſanabilis actus, vt ſanabile ipſa eſt ſanatio. Aut enim hoc ſanatio eſt, aut ipſum corpus actu ſanũ. Verũ quando corpus ſanũ eſt, nõ ampliùs eſt ſanabile. Sanatur autem ſanabile. Sanatio igitur actus ſit neceſſe eſt. At verò ſanatio motus eſt quidam. Eadem in cæteris motibus valebit ratio. VI. Cap. ij. „ „ „ „ „ „ „

Hiſce verbis apertè ſanationem, non eius qui ſanare poſſit, hoc eſt medici, perfectionem eſſe dicit, ſed ipſius ſanabilis, hoc eſt, eius corporis, quod ſanatur. hoc idẽ & in diſciplina, & in ędificatione ſpectari dicit: nempe, quòd diſciplina perfectio eſt, non ipſius præceptoris, neq; ædificatio ipſius ædificatoris, ſed eius, qui docetur, & eius, quod ædificatur. Atq; hęc ad omnem motum pertinet ratio. Et paulò pòſt rurſus dubitationem quandam de motu diſſoluens, hiſce affinia ſubiecit. Sic enim loquitur: Atq; etiam id, quod in quæſtionẽ vocabatur, clarum eſt, motum in eo eſſe, quod mouetur. Eſt enim actus eius & entelechia ab eo profecta, quod vim habet mouendi: nec mouentis alius eſt actus. Vtriuſq; enim actũ eſſe oportet. Facultate ſiquidem mouens ex eo dicitur, quod motum afferre poteſt: mouere autem ex eo, quod agat. Verùm agendi vim habet in illud, quod moueri poteſt. Cęterùm, quod ſignificat hiſce verbis, eſt huiuſmodi. Etſi vna ſit ſanatio, ipſa & eius, quod ſanatur, & ſanantis eſt actus, non tamen in ſanante motus eſt, ſed in eo, quod ſanatur. Sanabilis enim eſt perfectio, quę ab ipſo ſanante efficitur. Idem in omni motu dicetur. Ex iis igitur, quæ tradit Ariſto. confirmatum eſt, effectionem non agentis, ſed eius, quod efficitur, eſſe motum. Quòd igitur Dei actio motus non ſit, ipſi confiteri debent, tum Ariſtotelis ſententia compulſi, tum iis, quæ à nobis demonſtrata ſunt. Nam ſi procreare, moueri eſt, ſemper in motu Deũ eſſe ipſos ſtatuere neceſſe eſt: per ipſos enim ſemper procreat. „ „ „ „ „ „ „

QVOD igitur id, quod priùs in opere non erat, & poſteà ad opus accedit, &, vt in ſumma dicam, id quod ex habitu actionem profert, non immutatur, nec omnino motũ vllum ſuſtinet, ſatis oratio noſtra euidenter comprobauit. Nam ſi demonſtratum eſt, quòd in medio agendi & non agendi nullum eſt interiectũ VII.

tempus: Omnis autem commutatio, atq; adeò motus omnis in tempore perficitur, opificem certè non immutari necesse est, qui quidem plenum efficiendi habitum obtineat, non autem ex æuo sempiterno Mundum producat. Cęterùm non alienũ, opinor, erit, quod in principio propositæ disputationis, facturos nos esse recepimus, docere Aristotelem hoc ipsum in Secundo Cõmentario de Anima definiuisse. Et certè eius verba paulò altiùs repetita proponam, vt eius quod potestate, & eius quod actu dicitur, diuisionem, quam nos in superiore disputa-

Cap.v. tione exposuimus, per ipsa Aristotelis verba rudioribus proponamus. In Secũdo " igitur de anima ad verbum hæc habet: Potentia autem & actus nobis sunt di- " stinguenda. Adhuc enim hisce absolutè vsi sumus. Etsi enim aliquid ita sciens, vt " si hominem scientem dicamus, quia homo sit in iis, qui scientia præditi, & scien " tiam habere dicuntur. Etsi etiam sic sciens, vt scientem eum iam esse dicimus, in " quo grammatica insit: horum autem vterq; non eodem modo potens esse dici " tur. Sed alter ideo, quia genus tale est & materia. Alter verò, quia contemplari " quandocunq; volet, potest: nisi sit quod aliunde adferat impedimentum. Qui au " tem iam contemplatur & in actu ipso est positus, is propriè sciens est hoc A. " Ambo igitur priores potestate scientes esse dicuntur, sed alter quidem per disci " plinam immutatus, & sæpe ex contraria affectione translatus. Alter autem ex " eo quod cùm aut sensu, aut grammatica præditus esset, nec ageret tamen, ad a- " gendum traducitur, ídq; alio modo. Aristotelis igitur verba hæc sunt. Ego autem nisi orationis prolixitatem refugerem, ipsorum quoq; Aristotelis interpretum commentationes in hunc locum proferrem. Sed in pręsenti satis mihi erit, si paucis dictionem ipsam interpretatione mea illustrare conabor, vt Philosophi sententiam planam iis faciam, qui horum audiendorum sunt insolentes. Cæterùm, quæ ad potestatis, & actus diuisionem pertinent, ex iis, quæ iam à nobis dicta sunt, plana esse debent. Quoniam igitur simpliciter & non distinctè, in iis, quæ præcesserunt, ea, quæ citauimus, potentię & actus nomine vsus erat Aristo " teles (hoc enim significat cùm dicit: Adhuc enim hisce absolutè vsi sumus) huiusce rei gratia, iis quæ proposuimus verbis, diuisionem horum facit. Vno igitur modo omnem hominem potestate scientem dici tradit, quanuis scientiæ, vt grammaticę, habitum nondum comparatum habeat. Altero modo iterum potestate scientem eum dici vult, qui iam habitum scientiæ perceperit. Verùm non eodem modo, inquit, vterque horum sciens est: sed prior, quia genus est tale. Exponens autem quid genus dicat, subiecit, & materia, hoc est ipsum scientiæ subiectum, id scilicet, quod ipsius est capax: atque hoc hominis est natura. Communiter enim omnis homo facultate sciens dicitur, quia ad suscipiendam scientiam natura sit aptus. Mentis enim & scientiæ capax homo, & est, & esse dicitur. Atque hoc est, quod primo modo potestate esse dicitur. Qui autem grammaticæ habitum iam perceptum habet, is, inquit, potestate sciens esse dicitur: quia ipsi liceat, quandocunque volet, scientiæ actionem depromere, nisi quid extrinsecus interueniat, quod impedimento esse posit. Docebit enim præceptor, nisi morbus, aut discipulorum penuria, aut ruditas prohibuerit. Itidem & ædifi-

cator ædificabit, & in reliquis eodem modo. Et hoc est, quod secundo modo potestate dicitur: quod & primo actu nuncupatur. Hic igitur, nempe, qui habitum sibi peperit, quando iam docet, ipsa promens theoremata (hoc enim significauit, cùm dixit hoc A, perinde ac si hoc theorema diceret) actu fit sciens: Idq; per secũdum actum. Cæterùm, vbi ad hunc modum actum & potestatem diuisit Aristoteles, quòd qui per habitum theoremata tenet, quãdo ex habitu actionem profert, non per immutationem id facit, subiunxit, Per ea, quæ consequuntur. Ambo igitur priores, inquit, potestate scientes esse dicuntur, sed alter quidem per disciplinam immutatus, & sæpe ex contrario habitu traductus. Qui per primum modum facultate sciens dicitur, sciens actu efficitur, hoc est, actum scientiæ recipit, per disciplinam immutatus. Est enim disciplina, immutatio. Quam enim rationem habet in eo, quod dealbatur dealbatio, eandem & in eo, quod ad disciplinam traducitur, habet disciplina. Plerunque autem, inquit, is ex contrario habitu in contrarium immutatur. Nam qui discit, aut ex ignoratione in cognitionem mutatur, per disciplinam, aut ex falsa opinione in veram. Falsum autem vero est contrarium. Atque hoc est, id quod propriè dicitur immutatio. Nam immutatio, quemadmodum Aristoteles ipse in Physica docuit, ex vna specie est in aliam commutatio, dum scilicet id perimitur, ex quo est mutatio, gignitur autem id, in quod ipsa fieri dicitur: veluti in dealbatione & calfactione. Qui dealbatur, ex nigro in album commutatur, nempe ex specie in speciem, perempto nimirum nigro, producto autem albo. Eodem modo in calido & frigido efficitur, cùm quis in calidum commutationem facit: quia perimitur frigidum, & gignitur calidum. Commutatio autem, quæ fit ex inscitia in cognitionem, & in summa ex priuatione in habitum, procreationi similior est, quàm immutationi. Ad hunc igitur modum, qui priore modo potestate dicitur, ex potentia in habitum progreditur. Alter quomodo? hoc est, is qui cùm habitum iam habeat, posteà actionem promit? Alio modo, inquit, ab habitu ad actionem traducitur. Nam qui sensus habitum habet, vt aspectus, is si non videt, aut propter tenebras, aut quia conniueat, & oculos claudat, aut propter aliam causam quidpiam non immutato sensu videndi actionem profert, eo tantùm sublato, quod impedimento erat. Non enim ex vna specie in aliam est immutatus, qui priùs non operabatur per aspectum, & posteà operatur: neque ex perpetua priuatione in speciem. Sensus enim habitum habebat, etsi per ipsum non operaretur. Alius igitur, inquit, præter hæc modus est, quo ab habitu ad actionem progredimur. Et rursus paulò pòst ait (ne, quæ in medio interiecta sunt, citantes, orationem nimiùm producamus.) Quod enim scientia præditum est, ad contemplandum conuertitur, id quod aut immutari non est (eôdem enim est progresio, & in actum ac perfectionem) aut aliud est commutationis genus. Quare non rectè sentiunt, qui sapientem cùm sapit, immutari confirmant: vt nec ædificantem, quando ædificat. Vide vt nuda voce pronuntiat, sapientem, hoc est eum, qui habitu scientiæ præditus est, quando sapit, id est, quando scientiam promit, non commutari: Neque rectum esse, quod eiusmodi est, commutatio-

Cap. v.

nem nominare. Neque enim ex ſpecie in ſpeciem facta vlla eſt mutatio: quod in omni alteratione & motu fieri ſolet,ſed tantùm in apertum producitur habitus.Hoc itaq; confirmans Ariſto.addidit:eôdem enim eſt progreſsio,& in actū, ac perfectionē.Atq; hæc indubitata eſt demonſtratio,actionis ex habitu productionem,commutationē non eſſe.Nam ſi,vt dictum eſt,immutatio ex vna ſpecie in aliam eſt cõmutatio,ita vt prior quidē intereat,gignatur autem poſterior: Quod autē in actionē ſuam progreditur,non in aliud,ſed in ſeipſum proficit,idē manens & tantummodo per actionē habitum in apertum producit. Non certè cõmutatio eſt ipſa actionis productio, neq; omnino motus aut mutatio. Quòd ſi cui,inquit,quod eiuſmodi eſt,cõmutationē nominare placuerit,aliud certè cõmutationis genus erit,nominis tantùm ſocietate dictū:non illud,quod in qualitatis mutatione tritū eſt. Veluti,ſi quis colorē noctu cõmutari dicat,quando recedētibus tenebris cœperit videri,cùm priùs nõ videretur. Verùm nõ de nominibus verba facimus.Quòd ſi reuera mutatio vlla ſpeciei & cõmutatio ſit in ſubiecto,quãdo ex habitu actio depromitur,motus certè erit. id quod non eſſe cõprobauimus.Si igitur quod huiuſmodi eſt,non eſt immutatio,neq; motus,certè omnino neq; mutatio erit. Motus enim tria ſunt genera. Aut enim in loco, aut in accretione & decretione,aut in qualitatis immutatione perficitur.Quod autem de non agendo agendi actionem profert,nullo reliquorū motuum genere mouetur,quid attinet dicere?Neq; enim augeſcit,neq; imminuitur, neq; de loco in locū migrat. Nullo igitur motus genere mouetur, quod de habitu actionem profert. Atq; in tertio eiuſdem Operis libro, tum in aliis permultis eadem ad verbum Ariſtoteles enuntiat. Verùm quæ nunc ſunt expoſita, homini præſertim non omnino pertinaciter contentioſo ſatisfacere debent.

VIII. CVM hæc igitur ad hunc modum neceſſariis rationibus confirmata ſint, quis magni Procli(quod initiò dicebam)rectum in ratiocinando iudicium non miretur,& ſuſpiciat,cùm res ipſa tam apertè loquatur,& propemodum omnes Ariſto.demõſtrationib.cõſentiant,tum in iis,quæ de differentib.actus & facultatis ſignificationib.dicta ſunt,tum in eo,quod nullam motionē ſubire id diximus quod ex habitu actionē promit:hęc tamē Philoſophus omnia diſsimulat.Quãquã quis harum rerū ignorantiã huic audeat obiicere? Verū ſcopū hunc vnum ſibi propoſuit,vt aduerſus oraculorū,quæ nos perſuaſa habemus,veritatē armetur, perinde acſi apud eos verba faceret, qui harū rerū prorſus ſint rudes & imperiti.Nam in ſuperiore Argumēto ex ambiguitate eius,quod facultate,& eius quod actu eſſe dicitur,captioſam concluſionē contexuit,in hoc autē dicere non dubitauit,id quod priùs nõ facit,ſi poſteà ad opus accedat,hoc eſt, ſi ex habitu faciēdi actionē proferat,motū & mutationē ſubire vt hoc pacto cõficeret,aut numen neceſſariò moueri,hoc eſt immutari,aut,ſi hoc fieri nõ poteſt(nulla enim apud Deū immutatio,nec vlla cõuerſionis aut varietatis vmbra,vt alicubi ſacra prodūt oracula)ex ęuo ſempiterno vnà cū Dei eſsētia Mundū ſemper cõſtitiſſe. Cæterū,ſi ſine motu ex habitu in actū itur,fieri ſanè põt, vt cū Deus immobilis prorſus & incõmutabilis permaneat,Mūdus ipſe aliquãdo ſit,& aliquãdo nõ ſit.

IX. AT verò, inquit, qui Deum priùs non facere, & poſteà facere dicet, hoc

hoc est, priùs habitũ solum,deinde vnà cum habitu ipsum etiam actũ habere, is Deum omnino incommutabilem esse tollet. Non enim semper sub idem & eodem modo erit,si interdum faciat, & interdũ non faciat.Maximè certè,ô imprimis admirande.Abunde enim nobis & ratio ipsa probauit,& Aristotelis testimonium confirmauit,quòd ne in iis quidem,quæ generationi obnoxia sunt,nedum in Deo, immutatio est aut motus, dum ex habitu in secũdum actum quidpiam progreditur.Immutatio siquidẽ subiectum ipsum diuersum facit,& commutat. Qui autẽ præditus habitu pleno,ad opus accedit,is in nullo ipse à se immutatus euasit. Verùm cogitationem tuam fortasse conturbat,aut potiùs occasionem prębet,vt captiosè concludas,quòd qui apud nos artibus & scientiis sunt prędití,quando ad habitũ opera prodire volũt, organorũ corporis motu omnino indigeãt:quia ipsa sola conceptione sua opera producere nõ possunt: & ideo varia aliqua affectione sunt immutati,non illa quidẽ in intelligendi vi,sed in organico corpore recepta. Atq; hinc quasi laruam quãdam & terriculũ proponis adolescentulis,in Deo diuersam aliquã affectionẽ omnino imprimi,vt qui priùs nõ faciebat, posteà faciat. Verùm si Deus omnium fabricator & opifex,semper perfectus est (quia rationes operũ eodem modo semper habet, & sola volũtate omnia facit,& creat,nullius indigens instrumenti, ad rerũ substantiã procreandam)nihil ipse à se cùm facit,& non facit,diuersus efficitur.Notiones enim & rationes rerũ ex ęternitate similiter & eodẽ modo continet,per quas opifex est,nihil ex eo quod faciat,aut nõ faciat,immutatus.Nam,vt in summa dicatur,habitum & actũ in Deo differre,nefas est dicere:Idem est enim vtrunque.Sed in eo quod particeps est,diuersitas cõspicitur.Cæterùm,per similitudinẽ quandã rem ipsam altiùs repetens,quod dicimus,planũ facere conabor. Duo enim sunt scientiæ genera.vnum,quod in animæ affectione cernitur,quã contẽplationẽ & conceptionem dicimus.Alterũ,quod foras progreditur,vt quãdo nostras cõceptiones aliis enuntiamus.Quãdo igitur in concipiẽdo tantùm & contẽplando scientias habemus,per habitum ipsas habere dicimur. Quando verò animi agitationem & contemplationẽ foras expromimus,aut per syllabas & voces,vt in Logicis artibus,& disciplinis,quæ oratione tradũtur,quã doctrinã dicimus, aut manuum opera,vt fit in artibus practicis, tũ ex habitibus operari dicimur. Quemadmodũ igitur in artibus,quæ oratione traduntur,si quis animos nostros nudos ipsos per se,& corporibus liberos,cogitatione cõciperet, eos cerneret nullius instrumẽti adminiculo indigere,vt suas notiones sibi mutuò significarẽt,sed nudis alios aliorũ cõceptibus incũberẽ:ita vt nihil inter id, quod habitũ cõtẽplaretur, & id,quod per illam notionem in aliud ageret, prorsus interesset : in alio autem quod illius cõceptiones exciperet,diuersa affectio fieri cerneretur.Ad hunc planè modum & animus, qui in practicis contemplationibus versatur, posset sine vllo instrumẽto ipsa sola notione quãdocunq; vellet,ipsa ad notiones efformata opera producere. Itaq; hic rursum rerũ cõceptio & habitus nihil ab ipsa actione & effectione differret.Quoniã igitur nullius instrumenti adminiculo indiget Deus ad procreandã rerum substantiam, sed ipsa sola cõceptione,omnia quandocunque libet procreat,& nihilo magis,aut minus,ex eo quod aut res sint, aut

non ſint,ipſarum notiones habet,conſequitur profectò,apud Deum inter habitum & actum nihil prorſus intereſſe. Non ideo tamen, quia ſola conceptione omnia in naturam rerum procreat & profert, & notiones rerúmque omnium rationes vniuſmodi & ſimiles ſemper continet,protinus eſt neceſſe, ex æternitate vnà cum Dei notionibus res ipſas in rerum natura cohærere. Hoc enim iam à nobis in ſecundo Argumento demonſtratum eſt. Neq; enim naturæ neceſsitas in inuitum Deum cadit.Nec ſicut ſol,ſtatim vbi comparuit,illuſtrat,& ignis accendit: ſic Deus neceſsitate naturæ, velit nolit, in rerum naturam ſua profert opera.Quod enim omnium rerum eſt cauſa, ſupra omnẽ neceſsitatem poſitum eſt.Quare non eſt neceſſe, vnà cum Dei conceptione, prorſus id adeſſe,quod concipitur.Nam futura,& quę nondũ ſunt,Deum cognoſcere,in confeſſò eſt. Veluti,quot & quales animi deinceps cum corporibus in hac vita verſabuntur,& quam ſinguli vitam ingredientur,& quénam vniuſcuiuſq; ſuſceptã vitam,ex ineuitabili prouidentia conſequentur.Futurum quoq; tempus prænotione ipſi temporis opifici iam præſens adeſt.Et quæ cœleſtium corporũ futuræ ſint conuerſiones,quéq; in quo tempore ipſarum inter ſe futurę ſint habitudines(aliâs enim alii aſtrorum aſpectus fiunt,& cõcurſus)hæc ſcilicet Dei prænotione indiuiſim concepta tenentur.Neq; enim ea ignorabit Deus, quorũ nullo adiutore ipſe eſt autor.Quòd ſi futura priuſquàm facta ſint, notione Dei anticipata ſunt,futura autem nondum ſunt(aliôqui enim futura non ſint)non ſanè vnà cum Dei notione id ipſum quod concipitur,ſimul comparere eſt neceſſe.Semper igitur efficientiam & perfectam abſolutionẽ continent,quæ in Deo ſunt effectrices rerum rationes,vti probatum eſt. Procreat tamẽ & in naturam ac ſubſtantiam vnumquodq; ipſe producit quandocunq; libet,ſola nimirum voluntate omnia excitans.Libet autem tum,cùm iis,quæ oriuntur, bonum eſt, vt oriantur.Bonum eſt autem omnino,quod ſecundum naturam eſt. Porrò ſecũdum naturam eſt iis quæ oriuntur, vt non ex æternitate ſint ſemper vnà cum producẽte: vt in primo Argumento cõfirmauimus.Niſi fortè aliquando velle, & aliquando nolle, immutationem eſſe dicant. Verùm ſi hoc eſt immutatio, imprudentes neſciunt ſe ſtatuere Deum in perpetua eſſe commutatione.

X. VTRVM enim ſingularum rerum vnamquanq;,vt Socratem, vt Platonẽ, Deus ſempiternam eſſe vult,an non? ſed harum quamq; interdum eſſe vult, interdum eſſe non vult.Atqui planum eſt,quòd res ſingulas ſempiternas eſſe non vult. Nam prorſus ſempiternæ eſſent,ſi vellet. Rerum igitur ſingularum quãq; interdũ eſſe vult,interdum eſſe non vult.Quòd ſi ita ſe habet, ſemper in cõmutatione Deus eſt.Nam ſi hoc ipſum eſt immutari,nẽpe interdũ velle eſſe, & interdum nolle,Socratis autem animũ(vt exempli gratia dicam)interdũ in ipſius corpore eſſe nolebat.neq; enim ſempiternus erat Socrates.Interdũ autem volebat,tum certè,cùm ipſum Socratis corpori adligauit.Et rurſum noluit, quando ipſum corpore liberauit.certè ex ipſorum ſententia opifex cõmutationẽ ſubiuit, cùm idẽ interdũ voluerit, & interdũ noluerit. Eadẽ eſt ratio & in reliquis rebus ſingulis.Quare ſi è rebus ſingulis aliæ gignuntur,& aliæ intereunt,ſemper certè nõnulla eſſe & nõnulla non eſſe ipſi placet.hoc autẽ ipſis autoribus eſt immutatio.

tio. Semper certè in commutatione Deus erit. Neq; enim profectò dicent, quòd neq; nō vult ipsa oriri, neq; non vult nō oriri. Sic enim vera simul enuntiabit tota contradictio. quod fieri nullo modo potest. Et aliôqui, si fieri non vult, quomodo gignuntur? Sin autē non vult non oriri, omnino oriri vult. Ex traductione enim enūtiata negatio idem efficit, quod simplex affirmatio. Prætereà, si nō volebat ipsa oriri, quomodo secundū Platonis Timæū cœlestia iussit ad mortaliū animalium procreationem conuerti? Neq; verò solùm iussit, sed etiam ipsis efficiendi vim dedit. Iam verò, si prouidere, effectricis causæ est propriū: Prouidentia autē pro eo, quod conueniens esse videtur, aut corporibus animos alligat: aut à corporibus ipsos dissoluit, perspicuum, quòd ipsos cum corporibus interdum esse vult, interdum autē à corporibus separari. Hoc autē, vt sapientibus istis videtur, est immutatio. Numen igitur per ipsos in perpetua est cōmutatione. Quòd si hoc obtusum & absurdum dictu est, non certè interdū velle esse quidpiam, interdum autem nolle, immutatio est. Semper enim id vult Deus, quod bonū est, vel potiùs ipse est ipsamet bonitas. Rerum autē, quæ procreantur natura, quantum in ipsis est, boni illius naturam participat. Quare si hoc quiddam velle pro eorum vtilitate quibus beneficia conferuntur, in Deo mutationem nullam efficit, architectandi autem facultatem semper eodem modo retinet ipse Deus, & ipsa sola voluntate in naturam & substantiam suam res omnes profert, nulla certè immutatio in Deo intelligetur, ex eo, quòd interdum faciat, interdum non faciat. Nam quæ bona sunt, vult semper. Siue igitur quidpiā faciat siue non faciat, id omnino bonum est. Singulis enim rebus, quæ factæ sunt, bonitatē impertit, quantum procreationi subiectarum rerum natura capax esse potest. Vna igitur & simplex est Dei voluntas, quæ sub eodem statu semper & eodem modo manet. vult enim semper quod bonum. In iis autem rebus, quæ huius sunt participes, mutatio cernitur. perinde atque solis vna est, & simplex facultas, seu de lumine collustrandi, seu calfaciendi vim dicere quis voluerit: quæ tamen vtramque hanc participant, neutrius ex æquo nec similiter sunt participia: Neque vnūquodq; eiusdem ex æquo semper est particeps. Aliter enim vespertilio, & aliter homo, & aliter qui oculorum sensu valens, & in lumine assiduè versatus, ex obscuris & tenebricosis locis in clarissimā lucē traducatur. Nō igitur participantiū mutatio, & varietas vllam in efficiente enarrationem intelligere nos compellet. Quòd si Deus faciens, deinde non faciens non immutatur, temporis certè ad faciendum non indigebit, qui vnà cum ipsa voluntate omnia profert.

EX HISCE, quæ comprobauimus, illud exclusum est, ac solutum, quod XI.
in adolescentulorum fraudem in medium ab ipso subinde producitur, quòd si Mundus non erat semper antequam ortus esset, potentia tantùm Deus erat opifex. Quicquid autem potentia est, imperfectum est. Quare Deus priusquam effecerit, imperfectus erit. Perfectus autem tum demum factus est, cùm est fabricatus. Quicquid enim actu est, aiunt, eo est perfectius, quod est potentia. Hoc enim ipsum nobis hic sapiens Proclus obscurè significauit, cùm dicit: Ne si moueatur, priùs imperfectus sit, deinde perfectus. «
Et rursus; Moueri autem, qui dicit, & non immobilem, illum non semper «

perfectum,sed interdum etiam imperfectum fatetur.Et in Opere,quod inscribitur: Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles, hæc habet ad verbum Proclus: Cùm semper sit, quod efficit, semper est & quod efficitur, vt quod à semper efficiente fiat. Aut enim Deus non semper procreat, aut ille quidem semper procreat, vniuersum autem non semper procreatur.Verùm, si non semper facit Deus, proculdubio potentia erit efficiens, & posteà actu. Quare imperfectus opifex, & temporis indigens. Vt autem ille semper efficiat, & vniuersum interdum efficiatur, fieri profectò nullo modo potest.Quando enim efficiens actu est,actu quoque fit,id quod efficitur.Ambo igitur semper,nempe vniuersum efficitur,& efficiens facit.At quî fieri potest,ô sapientissime,vt imperfectum sit,quod nullam immutationem sustineat,seu efficiat, seu non efficiat? Hoc enim iam demonstrauimus. Quo enim ipse seipso perfectior efficitur præceptor,cùm docet, quàm cùm non docet? aut architectus cùm architectatur, quàm cùm quiescit? Quod dicimus ad hunc modum, expende, sol lucidum quoddam corpus est,& splendens.Si quis igitur proposuerit nihil esse eorũ quæ solis lucidas vires participẽt:veluti si nec aër nec cœlestia corpora perlucida sint, vt actione luminis solis perfruantur, an imperfectus sol erit proptereá? Non certè puto hoc dicturum esse quemquam:non enim vires, quæ rerum substantias complent, in relatione ad res externas suam vim & naturam habent. Ita enim imprudentes Anaxagoræ sententiam inducemus, qui nullius rei naturam certam & finitam esse dicebat, sed in mutua comparatione omnia vim suam habere. Verùm necessariis rationibus, tum à Platone, tum ab Aristotele reprehensa est hæc sententia.Quare si vnaquæque substantia non in comparatione ad aliud suam vim habet, sed absolutas in se suam complentes naturam vires continet,planum hinc esse debet, quòd sol quoque per suam naturam & substantiam,plenus & perfectus erit,etsi nihil sit eorum, quibus lumine collustrandi vim suam impartitur.Vt sint igitur quę lumen solis participent, nihil,quod ad vires quæ ipsius naturam complent,attinet,amplius ipse propterea habebit. Idem dicetur & in ignis calfaciendi facultate. Nam etsi nihil sit, quod calefiat, nihilominus plenus & perfectus erit ignis, quod ad eius essentiæ rationem attinet. Et contrà, si quid calefiat, nihilo magis ipse seipso erit perfectior.Quoniam non vt quidpiam,quod ad aliud referatur, neq; igni calor, neq; soli lucida vis inest.Nam quæ rerum substantias perficiunt vires,& quę si absint, subiectum non constet, ipsæ per se sine vlla relatione rebus ipsis insunt. Quoniam & in profundo testa sui coloris plenam & numeris omnibus absolutam rationem obtinet,etsi nullo comprehendatur sensu. Quòd si in corporibus hæc ita habent,nónne is verè blasphemus,& insigniter impius sit,qui tantundem rerum omnium effectrici causæ adesse non concedat, neque essentiales eius vires sine relatione constare velit? Quemadmodum enim natura & sua vi, & calidus ignis & lucidus est sol,calfacit autem ille, & hic illuminat in quadam ad externas res relatione:ita sanè,& Deus per efficientium rationum omnibus partibus absolutum habitum sua vi semper opifex est, & creator, vt ædificator per ædificandi rationes. Opus autem facit, quando foras suam iam profert actio-

nem:

nem : non tamen ab hac completus.neque enim per foras progredientes actiones,sed per essentiales vires,vnaquæque res naturæ suæ characterem habet.Rationis enim capax homo per habitum est, & in hoc suam vim habet, & vt sit, non autem in eo,quòd ratiocinetur. Nam vt non differat,rationis capax nihilominus erit: & nix frigida, etsi non refrigeret, quia quod refrigeretur, non adsit. Idem in omni actione est dicendum. Quòd si ambitiosè contendere pergunt, Deum non alia ratione perfectum esse, quàm si ex æternitate Mundum fabricetur,paulisper sciscitantibus nobis respondeant.

VTRVM enim ipse sibi satis est Deus, & suam ipse vim, & substantiam complere potest,an non?Si igitur ipse sibi satis non est,in aliorum capita recidat hæc blasphemia. Sinautem ipse sibi est satis, & ad plenitudinem, & absolutam perfectionem ipse sibi sufficit, nec vllius externæ rei indiget (omnino enim extra diuinam essentiam sunt omnia,quę ab ipsa per efficiendi facultatem producta sunt,& ab omni essentiali relatione,quæ ad ipsam fiat,aliena sunt)perfectus certè Deus est, ipse à se perfectionis suæ absolutionem recipiens, etiamsi nullum eius extet opus. Et aliôqui perfectio & ea diuinæ essentiæ absolutio, cui nihil desit, aut intrinsecus ex eadem ipsi inest, vt nullo prorsus externo momento indigeat : aut aliunde ipsi suppeditatur. Si igitur aliunde id quod suppeditat, eo cui suppeditatur,& beatius, & multò antiquius, & minus indigens erit. Nam quomodo dederit,quod non habeat?Quid igitur istud est?Quid autem ipsis autoribus aliud esse posit, quàm eius opera, sine quibus Deum perfectum non esse dicere non formidant? Nam si citra operum adminiculum Deus perfectus non est futurus, certè opera vim habebunt eius perficiendi, qui fecit & autor fuit. Hæc igitur eueniunt, si non ex ipsa sua essentia, sed aliunde Deo suppetit perfectio. Sinautem non aliunde (hoc enim planum est iis, qui vel tenuem de Deo opinionem habent) sed ex ipsa eius natura Deo accedit, vt nullius sit indigus, sed vndique absolutus : non tamen alia ratione sit perfectus, quàm si vnà cum ipso,ea semper sint præsentia,quæ ab ipso producta sunt,certè omnia,quæ sunt, diuinæ ipsius essentiæ partem efficient, atq; adeò rerum omnium infima materia. Nam quæ substantiarum naturam absoluunt, ipsarum sunt partes. Si Dei namque perfectionem ex eius essentia eidem adesse conceditur, non aliter, per Græcas hypotheses,perfectus sit Deus, quàm si ex æternitate Mundus vnà sit cum ipso. Quæ autem substantiam cuiusque rei complent, & perficiunt, ea ipsius substantiæ partem efficiunt: vt rationale hominis,& corporis nostri manus, aut pes. Pars igitur diuinæ essentiæ Mundus erit. Quæ autem hæc consequuntur,ipsi colligant.Nam hoc pacto & corpus erit Deus,& iis omnibus afficietur, quæ corporibus insunt. Et aliôqui si Deo sua non adsit perfectio, nisi ex æternitate vnà cum ipso res omnes constiterint, à suis operibus plura certè accipiet,quàm illis impertiat.Cùm enim illis det vt sint, ipse ab illis accipiet, vt sit perfectus. Iam multò præstantius est, perfectum esse, quàm simpliciter, & omnino esse. Quare res ipsas Deus efficiet, non pro bonitate sua, neque vt aliqua sint,quæ ipsam participent: sed vt ipse sine labore degat, & molestia, & vt nihil ipsi desit, cùm suæ perfectionis causam ita sit consequuturus perinde atque XII.

nos (vt hoc vtar exemplo) vt constemus, & permaneamus, ædes nobis & vestes & eiusmodi res conficimus: non vt in hæc benigni simus, sed vt tranquillitati, & commoditati nostræ consulamus. Nescientes igitur se isti sapientes fallunt, cùm per ea Deum ipsum imperfectum reddũt, per quæ perfectionem ipsi tribuere volunt. Ita enim ipsum sibi non satis esse statuunt: sed vt constet, iis indigere, quæ ab ipso producuntur. Verùm hisce opponet fortasse quispiam, ipsos ad Dei perfectionem quicquam conferre, ea quæ sunt, non statuere, sed potiùs ipsum actum omnium efficiendi facultate præditum, qui Deo essentialiter inest, & quem rerum omnium natura omnino consequitur. Verùm nihilominus ex hisce rei absurditas conuincetur. Nam si tum imperfecta est actio, cùm nondum sunt ea, quæ procreata sunt: imperfecta autem quando est actio, Deus perfectus non est, perfectio certè ipsi accedit ex operibus, ídque accedẽte actione. At, ô sapientissimi, actiones, quæ in relatione cernuntur ad res externas, agentia ipsa perficere non valent. Et ideo negauit Aristoteles præceptorem, & omnino eum, qui quidpiam agat, ex ea actione, quæ ad res externas referatur, immutari. Iam quod perficitur, aliqua in re afficitur, atque immutatur. Qui agit, nullam nec affectionem nec immutationem sustinet, vt sępe docuimus. Quare neque perficitur præceptor, quando docet. Quòd si ipsum docere, perfectum & numeris omnibus absolutum habitum non perficit, ipsum sanè fabricari, aut efficere, opificis essentiam non perficit, sed ipse efficiendi habitus, & ipsa facultas: ne in relatione ad ipsa opera Dei essentiam esse statuamus. Nam si ipsum operari, diuinam complet essentiam: Operari autem in relatione ad opera suam vim habet (qui enim operatur, ita operatur, vt eorum quæ facit, sit opifex) certè in relatione ad opera, vt compleatur & perficiatur diuina habebit natura. Itaque efficietur, vt ad suam essentiam ea requirat, quibus vt sint, ipsa dedit. Quo quid impium magis, aut quod conceptæ de Deo opinioni magis repugnet, dici aut fingi potest? Si igitur eiusmodi de Deo cogitare, nedum dicere, impietatem omnem superat, cur eò adductus est, vt diceret, si Mundus non sit semper, Deum antequàm Mundus procreatus fuerit, imperfectum fuisse futurum? Plenus igitur & perfectus est Deus, vel si nihil adsit eorum, quæ ab ipso producta sunt.

XIII. OPERAE PRETIVM est autem ad hunc modum rem expendere: A primis ad extrema vsque Deum omnium autorem, & causam esse, credere nos ea subigit opinio, quæ rerum omnium principium vnum esse persuasit. Nam in omni rege omnia esse posita scribit Plato, & ad hunc omnia referri: atq; hunc omnium honestorũ esse causam. Et rursus idem Plato principiũ, finem & medium rerum omnium Deum continere dicit. Et quod tum Aristoteli, tum Homero videtur: Non multos regnare, bonum: Rex vnicus esto. Nam etsi nonnulla eorum quæ oriuntur, mediis quibusdam causis oriantur: tamen constat eam, quæ omnium maximè princeps est causa, primam esse causam essentiæ horum, vt quæ illis quoque mediis causis vim præbet, & facultatem, cur ipsæ sint causæ. Porrò, quòd prima illa causa rationem causæ magis subeat, quàm continens & proxima causa, ex ipsis etiam rebus planum esse debet: cùm, vt dixi, secundis causis facultatem, cur causæ sint, illa suppeditet. Sed nihil erit

antiq

antiquius,quàm Ariſtotelem hæc eadem dicentem producere. In octauo enim lib. de natura,cùm dixiſſet,id quod mouetur,à mouente moueri, & ipſum mouens,aut nullo medio mouere, aut per interiecta media plura : vt ſi quis baculo fores mouerit. hîc enim anima eſt, quæ primum mouet : baculus autem, qui poſtremum.Nam animus manum mouet,manus baculum,baculus fores.Hæc, inquam,cùm dixiſſet,ſubiicit,quòd non ſolùm illud primum, ſed etiam poſtremum mouere dicimus, magis tamen primum : quia illud mouet poſtremum. hoc autem non mouet primum.Et ſine primo poſtremum nihil mouebit:illud tamen ſine hoc mouerit. Baculus enim mouendi vim nullam habet, ſi homo ipſum non moueat. Et paucis interiectis idem habet : Planum enim, quòd à ſu- »
periore mouente cietur,quicquid in motu eſt : & magis ab eo, quod cæteris eſt »
prius. Et iterum paulò pòſt : Neque quicquam erit, quod primum moueat, ſi »
vtrunque ſeipſum mouebit.Nam quod priùs mouet, mouendi cauſa magis eſt, »
quàm quod conſequitur, atque magis mouebit. Bifariàm enim quidpiam mo- »
uere dicebamus. primùm, id quod ipſum ab alio mouetur. Deinde, quod à ſe »
mouet. Propius autem ad principium accedit, quod remotius eſt ab eo, quod »
mouetur,quàm quod interiectum eſt medium. Apertè igitur hiſce verbis enun »
tiauit,etſi plura interiecta media ſint,quæ moueant,illud quod motus omnium maximè eſt cauſa, primam eſſe cauſam mouendi. Vt in eo exemplo, quod adpoſuit. Animus enim magis eſt cauſa, cur fores moueantur, quàm baculus. Et ob id meritò ad id, quod mouetur, propius accedere dicit id, quod mouet remotius.Veluti, animus ad fores propius accedit, quàm baculus, non loco, ſed cauſa, & viribus mouendi. Quoniam igitur animus prima eſt mouendi cauſa, animum foribus propiorem eſſe dicit, quàm baculum. Quod autem in motu dicit Ariſtoteles, id in omni cauſa certè locum habet. Nam ſi præceptor per ſuppoſitam perſonam doceat, docendi cauſa magis eſt præceptor, quàm is, qui vicem ſubit præceptoris. Et in ortu eadem eſt ratio. Quod enim ortus cauſam primam tribuit,cauſa magis eſt, quàm quæ ſunt cauſæ viciniores. Nam etſi pater procreationis eſt autor : cauſæ rationem tamen magis retinet Deus, vt qui efficiendi vim naturæ tribuit.Nam ſine prima cauſa opificem eſſe nolunt.Prætereà,quoniam etiam ipſorum ſententia, Deus opifici tribuit, vt ſit opifex, ille certè omnium naturæ & eſſentiæ maximè cauſa eſſe debet. Quæ cùm ita demonſtrata ſint, omnino eſt neceſſe ſingularum rerum procreationis Deum eſſe cauſam, etiamſi mediæ cauſæ infinitæ ſtatuantur. Et in ſecundo Procli Argumento, verba eius produximus ex Opere, quod inſcripſit, De decem contra Prouidentiam dubitationibus. In quibus apertè pronuntiauit, efficientem & prouidentem Dei facultatem, ad extrema vſque & minutiſsima pertinere. Ad hunc modum enim ſcribit: Vt ſummatim igitur dicamus,omnia in rerum na- „
turam procreandi vim habet illud vnum. Omnia enim ipſum conſeruare di- „
cimus, quod omni ſubſtantia hyparxin & naturam veriorem habet, & qua- „
uis cognitione clariorem. Et iterum : Illud autem cùm in vno maneat, ſpatio „
carens, & omnis expers diuiſionis, omnia eodem modo intelligit : nec homi- „

" nem solùm, & solem, & quod est eiusmodi, sed etiam rem quamque sigillatim.
" Nihil est enim quod vnum illud effugiat, seu esse, seu cognosci dicas. Et ite-
" rum: Sic & Prouidentię in vnitate cognitio, in eodem impartibili omnium est,
" quæ diuiduntur, cognitio, tum earum rerũ, quæ maximè sunt indiuiduæ, tum
" earum, quæ totius naturam maximè retinent. Et quemadmodum sua vnitate
" rem quamque produxit, ita vnitate vnamquamque cognoscit. Ex his igitur omnibus planum est, quòd vsque ad ea, quæ maximè indiuidua sunt, efficientem Dei facultatem pertinere est necesse.

XIIII. QVONIAM igitur Deus autor est, & causa, vt res hæ sint & cohæreant, quæ singulæ sunt, & maximè particulares: verbi gratia, vt Socrates sit, vt Plato, vt hic equus, vt hæc arbor, dicant iam nobis, vtrum omnium indiuiduorum Deus actu semper est opifex, nécne? Si igitur omnium actu est opifex, quî fit, vt non simul omnia compareant, sed alia iam extincta sunt, alia nunc constant, alia sunt futura? Et futurorum si actu est opifex, quare non adsunt futura? Sin autem potentia, cùm, vel his autoribus, imperfectum sit, id quod est potentia, imperfectus certè per ipsos erit Deus, siquidem ex indiuiduis alia semper intereunt, alia sunt futura. Quòd si, sapiente Proclo autore, dum Mundus erit potentia, eius quoque opifex potestate erit, vt Argumento tertio conclusit, & ideo alterum requirit, qui ipsum in actum prouehat: & secundus actu si sit, necesse & primum actu esse opificem. Nam si potentia sit, secundus quoque erit potentia: qui rursus, inquit, tertio indigebit, ídque in infinitum. Per hanc certè hypothesin omnino consequens est, vt aut indiuiduorum, quæ futura sunt, continens causa potestate sit, aut continentis causæ causa. Atque ad hunc modum ad primam vsque progredientes, ipsam quoque potestate dicere necesse habebimus. Nam si prima causa reipsa & actu causa est, cur sit secunda, secunda quoque actu causa erit. Et si hæc, tertia rursum actu causa erit. Atque ita progrediemur vsque ad extremam causam. Quemadmodum & extrema si potentia est, veluti si potentia pater est, necessariò prima quoque potentia erit. Quoniam igitur semper nonnulla indiuidua futura sunt, vt homines, vt stirpes, vt reliquarum rerum singulæ, certè proxima & continens causa procreationis harum rerum, potestate est causa. Quare & huius causa potentia erit causa: & ad primam vsque si progrediemur, rem ita habere comperiemus. Iam quicquid potestate est, imperfectum est, vt volunt. Semper igitur, ex horum sententia, prima causa potentia erit & imperfecta. Nam vt eorum, quæ iam facta sunt, actu opifex sit Deus, eorum certè, quæ futura sunt, prorsus opifex erit potestate. Aut igitur necessariò confitendum est, perfectum esse, & numeris omnibus absolutum, quod per habitum potentia est, aut rerum futurarum imperfectus semper Deus erit opifex. Nam futurorum semper opifex erit potentia. Non solùm autem in rerum singularum effectione hoc euenire necesse est, sed in rerum etiam vniuersarum procreatione, quarum Deus nullius medii adminiculo est opifex. Cœlum enim & formas vniuersas, vt habet

bet Plato, nullo vsus medio, fabricator in rerum naturam produxit. Nam in Timæo post hominis procreationem, ad Deos, qui in cœlo sunt, tum eos qui intelligentia tantùm cognoscuntur, tum eos, qui sub sensus cadunt, solem, lunam, & reliquos huiuscemodi, nonnulla fabricator est loquutus. Verba autem sic habent: Quando igitur omnes, & qui mouentur, palámque ostenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipsi volunt creati sunt, tum ad eos, is Deus, qui omnia genuit, fatur: Hæc vos, qui Deorum satu orti estis, attendite. Quorum operum ego parens, effectórque sum. Et paulò pòst: Nunc igitur, quid sentiam, cognoscite. Tria nobis genera reliqua sunt, eáque mortalia, quibus prætermissis cœli absolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu non tenebit: teneat autem oportet, vt ex eodem ne quid absit: quæ si à me ipso effecta sint, Deorum vitam possint adæquare. Vt igitur mortali conditione generentur, & vt vniuersum reuera vniuersum sit, vos suscipite, vt illa gignatis. Imiteminíque vim meam, qua in vestro ortu me vsum esse meministis. In quibus qui tales creantur, vt Deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, diuini generis appellentur. Tenea̋ntque omnium animantium principatum. Vobísque iure, & lege volentes pareant, quorum vobis initium statúsque traditur à me.

Quòd si ea quæ in cœlo sunt vniuersa, & omnino ea, quæ, vt ipsis videtur, sempiterna sunt nullo interiecto medio ab ipso fabricatore & opifice Deo producuntur, nunquid ea semper producit Deus? an vbi semel ea est fabricatus, producendi finem facit? Quod autem reliquum est, continet & conseruat: Quòd si producendi finem facit, omnino initium quoque fecit. Quicquid enim desinit, id omnino cœpisse oportet. Quòd si semper fabricatur. Hisce enim ita videtur: vt Proclus ipse in præcedentibus sæpe pronuntiauit. Nam & in tertio Argumento dicit, quòd si actu & reipsa opifex, est semper opifex, id quoque quod efficitur, semper actu efficitur. Et rursum in eodem: Conficietur semper esse quæ oriuntur de causis, & Mundum semper effici. Atque adeò in quarto & in quinto eadem habet. Et in eo, quem nuper citauimus libro, quem pro Timæo scripsit contra Aristotelem, ad verbum habet Proclus, quòd semper Mundus efficitur, & quòd quemadmodum opifex, & procreauit semper, & procreat; sic & Mundus semper efficitur: & dum efficitur, factus est: & factus, semper efficitur. Et non ita multò pòst: Quare Mundus semper procreatur. Et sicut ille, & procreauit semper, & procreat, sic & Mundus & procreatus est, & semper procreatur. Et dum fit, factus est. Et factus, efficitur semper. Quæ si vera sunt, mirum, quî non aduerterit, quòd suis ipsius alis corripietur. Nam si Mundum Deus, & iam procreauit & procreat nunc, & ob id Mundus tum procreatus iam est, tum procreatur nunc, tum in posterum procreabitur. quia hy-

parxin & consistentiam simul vniuersam non habet, perinde atque illa quæ æterna sunt, sed vnà cum tempore diuisam, certè necesse est, eum, qui nunc gignitur, priusquàm illud *Nunc*, in quo procreatur, instaret, potentia fuisse. Nam etsi priùs actu erat, non tamen secundum instans illud, in quo nunc efficitur, sed actu constabat secundum illud instans, in quo tunc gignebatur.

Si enim priusquam hoc *Nunc*, instaret, in quo nunc efficitur, & est, iam re ipsa erat Mundus, certè semper fieri, & gigni non poterit. Nec eius natura & cohærentia vnà cum temporis dimensione diffundetur, & extendetur, sed vniuersam simul hyparxin, & naturam perinde atque æterna possidebit.

Verùm nec Proclo ipsi talis Mùndi natura, & consistentia ita videtur. Nam in eo libro, quem citauimus, hæc ad verbum scripta sunt:

« Quòd si Timæus aliquando futurum Mundum Deum appellat (hoc enim « nonnullos fortasse turbauerit) nunquid in temporis parte procreationem & « ortum illi tribuat? Nam ipsum *Aliquando*, partem aliquam temporis esse, « nobis est dicendum. Sic sanè quicquid in tempore est seu finito, seu infi- « nito, semper erit aliquando. Quantula enim ipsius portio sumi potest, hæc « certè in aliquo est tempore. Neque enim simul vniuersum tempus cohæ- « ret, sed vicissim, & per partes.

« Quare si quid in tempore est, etiamsi in tempus producatur infinitum, « interdum quidem est: fit tamen & gignitur in infinitum. Sed ab vno tem- « pore in aliud semper migrans, & erat quidem interdum, & est interdum, « & erit interdum. Atque hoc, vt dicam, *Interdum*, semper est diuersum. « Est tamen in quo est interdum.

« Quod igitur in temporis parte cohærentiam habet, & constat, id & in- « terdum procreatur, & interdum est, & interdum erit. Quod autem in o- « mni tempore, id interdum quidem est, efficitur tamen semper. Atque in « eo quod semper efficitur, eius quod semper est, naturam imitatur.

Cùm igitur, vt ipsi Proclo quoque videtur, quia cum tempore sit Mundus, interdum esse, semper ipsi conueniat, quî fit, vt quantum Mundi constat, & in natura est, id in aliqua sit temporis parte? Quia certè non aliter tempus constiterit: sed vicissim & semper ab vno (vt ita dicam) *Interdum*, ad aliud migrat.

Et quemadmodum tum erat aliquando, tum aliquando nunc est, sic & aliquando erit. Quod autem aliquando futurum est, quatenus aliquando erit, nunc actu non est. Quoniam nec quæ pars temporis aliquando futura est, nunc est actu. Ita enim quod futurum est, iam actu esset præsens. Necesse est igitur futuram aliquando Mundi consistentiam, nunc esse potentia. Quare & qui futuræ autor est Mundi cohærentiæ, facultate nunc ipsius est autor.

Quemad

Quemadmodum enim iam aliquando actu esse Mundum, non tollit, quin sit potentia, quatenus erit interdum, quia vnà cum tempore eius diuiditur cohærentia; sic nec quod cohærentiæ Mundi autor, iam actu autor fuerit, quatenus iam fuit, facit quin ipse sit potentia, quatenus ipse autor erit, cur iterum sit.

Quemadmodum enim id, quod efficitur, se habet, sic & quod efficit, se habere est necesse. Et contrà, vt se habet quod facit, ita & quod efficitur: vt in præcedentibus sæpe asseruit Proclus. Nam si quatenus aliquando Mundus erit, nunc ipsius actu autor est Deus: quando autem causa & efficiens actu sunt, id quod oritur de causa, quódque efficitur, actu sint est necesse, vt nuper de Proclo audiuimus in iis ipsius verbis, quæ paulò antè produximus, aliquando certè futura Mundi cohærentia, nunc actu erit.

Quare futurum quoque tempus, in quo erit aliquando futura Mundi consistentia, nunc actu erit. Futurum igitur iam actu instans fuit. Id quod & obtusum est dictu, & tale vt dici nullo modo posit.

Non igitur fieri potest, vt quatenus aliquando Mundus erit, nunc ipsius Deus actu sit opifex.

Quare si quatenus aliquando Mundus erit, nunc nondum est actu, sed potentia, autor certè futuræ ipsius consistentiæ, nunc potentia ipsius est autor, quatenus efficietur, quoniam futuri quoque temporis nunc potentia Deus est autor. Semper autem futurum est tempus, & semper aliquando futurus est Mundus. Quare Deus quoque potentia semper erit, & Mundi & temporis autor.

Quemadmodum enim quia quis iam ædificauerit, non facit, quin potentia sit ædificator eorum, quæ ædificabuntur: verùm quia ipsa fabricatus est, actu est fabricator, potentia autem quia fabricabitur: Sic certè & Deus quia aliquando & Mundum, & tempus in rerum naturam produxit, actu ipsorum est autor. quia autem erit aliquando tum Mundus, tum tempus, idque semper, semper certè ipsorum potentia fabricator Deus erit.

Quantò igitur deterius, & imperfectius est, potentia semper esse, quàm interdum: in tantò absurdius incommodum incurrunt illi, qui per suos ad veritatem impugnandam planos & fallaces conatus, perennem Mundi procreationem esse statuunt.

OPERAE PRETIVM autem, vt opinor, erit Procli in argumentando fraudulentam astutiam, in iis etiam eius verbis, quæ modò citauimus, expendere. Nam cùm videret quorsum eius euaderet oratio, nempe vt Creatorem seu opificem potentia semper esse confiteretur, hoc rationis acumine occultare conatur. XV.

Verùm nihilominus hac via factum eſt, vt per veritatis lucem fraus detegeretur. Nam cùm dixiſſet, omne quod in tempore eſt ſeu finito, ſeu infinito, id ſemper eſſe aliquando, propterea quòd quantum ipſius eſt, id in aliquo eſt tempore. Neque enim ſimul vniuerſum tempus cohæret: ſed viciſsim, & per partes. Et rurſum: Si quid in tempore eſt, etiamſi in infinitum tempus producatur, id aliquando eſſe, & quod, vt ita dicam, ab vno *Quando,* ad aliud ſemper migrat, & aliquando fuiſſe, & aliquando eſſe, & aliquando eſſe futurum, diuersúmque ſemper eſſe illud *Aliquando*, eſſe tamen in quo eſt aliquando: hæc, inquam, cùm dixiſſet, viderétque omnino eſſe neceſſe ex ſuis ipſius hypotheſibus, eum qui aliquando futuri eſſet autor, quatenus eſſet aliquando futurum, nunc poteſtate autorem & cauſam (Neque enim actu eſſe poſsit. Fieri ſiquidem non poteſt, vt quod futurum eſt, quatenus eſt futurum, nunc actu ſit) hoc ſanè occultare volens, adiecit eſſe quidem interdum, fieri tamen in infinitum, ac « non interdum. Et iterum: Quod igitur in parte temporis naturam ha- « bet, id & fit interdum, & interdum eſt. Quod autem in toto tempore « cohæret, eſt quidem interdum, fit tamen ſemper. Nam ſi ſemper fieri ac non interdum diceret, ſe effugere putauit, vt non haberet neceſſe dicere facultate eſſe factorem eius, quod efficitur. Et illud, ſi ſemper in continua & indefatigabili procreatione Mundus conſtitit, & in ipſo generari ſuum eſſe poſsidet, ſi non interdum fit, ſed ſemper, non erit interdum, ſed ſemper. Nam ipſius natura in ipſo fieri cohæret. Quòd ſi quia in tempore cohæret Mundus, nec confertam ſimul ſuam habet cohærentiam, vt ea quæ æterna ſunt (Quoniam neque tempus totum ſimul conſtat, vt æuum) ob id Mundus ſemper eſt nonnunquam, & in parte temporis. Et fuit interdum, & interdum eſt, & interdum erit, ab vna temporis parte ad aliam ſemper commigrans. Ipſius autem eſſe idem eſt quòd gigni, neceſſariò certè, vt interdum erat, & interdum eſt, & interdum erit: ſic etiam interdum generatus eſt, & gignitur interdum, & interdum gignetur. Neque enim aliter eſt eſſentiæ particeps, quàm in ipſo gigni & fieri. Quare ſi ipſum gigni aut idem eſt, quod eſſe ipſius, aut cauſa cur ſit, prorſus eſt neceſſe, vt quemadmodum ipſius eſſe ſe habet, ſic ipſum gigni ſe habeat. Si idem ſit, ob hoc ipſum. Sinautem cauſa ob id quod, ipſorum etiam ſententia, vt ſe habet id quod oritur de cauſa, ita ſe habet & cauſa. Et retrorſum: vt cauſa, ita & effectus. Quare ſi interdum eſt Mundus, neceſſariò etiam gignitur interdum. Iam & ſine ipſo gigni. Si ipſum Mundum aliquando futurum eſſe dicamus, neceſſe eſt (niſi ſine procreante cauſa ſit futurus) futuri cauſam, quatenus eſt futurus, nunc eſſe facultate, etiam per ea quæ ipſi ſtatuunt. Quòd ſi Mundus habet vt ſemper ſit futurus, quandoquidem idem habet & tempus, neceſſariò cauſa cur ſemper ſit futurus, in eo quod futurus eſt, poteſtate erit.

te erit. Quare ſine eo, vt dicamus futurum eſſe, vt Mundus gignatur in poſterum, in rem æquè abſurdam depellitur oratio, nempe vt Deus ſemper facultate ſit procreator, & ſemper imperfectus per ineuitabiles ipſorum Argumentationes. Neque igitur ſubtilitatis acumine ſuarum hypotheſeωn abſurditatem occultare Proclus potuit.

QVAPROPTER ſi ſecundum pias de Deo notiones ipſe XVI. ſui complementum eſt Deus, nullo quod ipſe procreauerit, indigens ad ſui perfectionem, palam eſt, quòd neque ex eo, quòd res in natura conſtent, quicquam ad perfectionem adſumit, neque ex eo, quod non conſtent, ipſe ſeipſo erit imperfectior. Nam ſecundum Plotinum, ea etiam quæ nondum ſunt, Deo perinde adſunt, acſi iam eſſent. Ipſius autem verba iam anteà protulimus è libro, cui titulum fecit: De iis, quæ mente percipiuntur, ſiue de bono. Horum hìc etiam meminiſſe non alienum erit. Ibi enim de effectrice Dei potentia diſſerens, ſic habet: Attamen » ſi quamque actionem non imperfectam eſſe oportet: neque fas eſt Dei » quicquam aliud arbitrari quàm totum & vniuerſum. Oportet in re qua- » libet, quæ ipſius ſit, omnia ſimul adeſſe. Quare ipſum quoque ſemper eſſe » oportet. Vnde efficitur, vt ſit neceſſe futurum, vt iam præſens adeſſe. » Quapropter non poſterius quicquam in illo, ſed quod iam illic præſens » eſt, poſterius in alio efficitur. Quare ſi iam adeſt futurum, neceſſe eſt » ita adeſſe, vt quod mente anticipatum ſit, & præuiſum in poſterum. » Hoc autem eſt perinde, vt nulla re tum indigere, hócque eius eſt, » quod nulla re defecturum ſit. Omnia igitur iam erant, eáque ſemper. » atque ita erant, vt poſteà dicamus propter hanc cauſam hoc eſſe fa- » ctum. Extenſum enim & quaſi ſimplex factum, poteſt oſtendere hoc » poſt hoc eſſe factum. Illud autem omne quod ſimul eſt, vnum id eſt. hoc » verò eſt id, quod in ſe cauſam continet. Itaque ſi ſecundum Philoſophum » Plotinum, quod futurum eſt, necdum factum, iam Deo præſens adeſt, » neque quicquam apud ipſum poſterum eſt. Sed quod in poſterum eſt futurum, id ipſi iam præſens eſt, & ſemper adeſt, atque ita adeſt, vt quod mente iam conceptum ſit in poſterum. Et ob id Dei actio quæque perfecta eſt & plena, vt quæ prænotione, quæ deinceps futura ſunt, conceperit, adeò vt nullo deficiatur, neque quoquam indigeat tunc ipſa Dei operatio. Quando quod prius in poſterum erat futurum, iam procreat & profert. hæc inquam ſi vera ſunt, & ab aliquo principio ſi extitit Mundus, neceſſe eſt profectò hæc eos concedere, nempe tum priuſquam conſtitiſſet Mundus, Deo iam præſentem fuiſſe, vt mente iam conceptum in poſterum: ob ídque abſolutam eſſe Dei procreatricem operationem, tum apud Deum nihil eſſè poſterum (quod enim deinceps eſt futurum, iam ei per prænotionem pręſens adeſt) tum ipſi nihil eſſe opus quicquam adſumere ad Mundi

procreationem. Cùm hæc igitur ad hunc modum, ſecundum notiones de Deo mentibus omnium inſitas, etiam ab ipſis confeſſa ſint, quis non inſigniter impudentes eos, atque contra ea, quæ perpulchrè à ſe decreta ſūnt, aſſeuerare dicat, qui contendunt niſi ſempiternus ſit Mundus, priuſquàm ipſe factus eſſet, eius procreatorem & factorem eſſe imperfectum, atque tum, cùm ipſum fabricaretur, tempore indigere, & ideo non expertem eſſe commutationis? Cùm igitur ipſe à ſe in omnibus perfectus ſit Deus, nullam certè ad exteriora relationem ad perfectionem ſui adſumere debet.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum quintum.

ADHAEC, ſi vnà cum cœlo tempus cohæret, neq; cœlum eſt, ſi non ſit tempus, neque tempus, ſi cœlum non ſit, non fuit autem, quando tempus non fuit: neque erit, quando non erit. Nam ſi aliquando fuit, cùm non eſſet tempus, certè, vt par eſſe videtur, quando non erat tempus, erat tempus. Quod enim aliquando eſt, ideo aliquando eſſe dicitur, quia interdum non ſit: vt quod neque ſemper ſit, neque nunquam, ſed medium ſit amborum. Vbi autem eſt *Aliquando*, ibi eſt & tempus. Prætereà, ſi *Aliquando*, erit, cùm tempus non erit, nempe ab eo quod interdum erat, ad id recidens, vt interdum non ſit, certè tum cùm tempus non erit, erit tempus. Nam illud *Aliquando*, temporis notionem repræſentat. Quare ſi neque fuit, quando tempus non fuerit, neque erit, quando non erit. Illud enim *Quando*, quod in vtranque partem dicitur, tempore non cohærente, tempus ſignificabit. tempus igitur ſemper eſt. Illi enim *Aliquando*, aut ſemper opponetur, aut nunquam. Atqui nunquam ipſi opponi non poteſt, omnino enim eſt tempus. Eſt igitur ſemper tempus. Iam verò cum tempore cœlum eſt, & cum cœlo tempus. Conuerſionis enim cœli menſura eſt tempus, vt vitæ ipſius per ſe animantis menſura eſt æuum. Quod & ipſum docet ſemper eſſe tempus: ne æuum, aut nullius ſit exemplum, ſi tempore non cohærente ſit æuum, aut ipſum non habeat, vt ſemper maneat id quod eſt, ſi ex eo quod non ſit exemplum, ad id traducatur, vt ſit: aut ex eo, quod ſit, ad id vt non ſit. Cœlum igitur eſt perinde atque tempus illi æquale & eiuſdem ortus cum illo, neque prius, neque poſterius tempore in ortum eductum, ſed per omne tempus, vt inquit ille, & ortum & conſtans, & futurum.

Capita ſolutionis quinti Argumenti.

I. *Quòd Sophiſtarum more, non eorum, quæ dicuntur ſententiam, ſed verborum infirmitatem corradit.*

II. *Quòd non neceſſariò* Quando, *ſeu* Aliquando, *temporis aduerbium, in quacunque re dicatur, temporis partem ſignificat.*

III. *Quòd nec reliqua temporis aduerbia vbique temporis ſignificandi vim habent.*

IIII. *Quòd etſi dicamus, fuit aliquando, cùm non fuit tempus, & erit aliquando, cùm non erit,*

erit:illud Fuit, *& illud* Aliquando, *pro subiecti natura accipientes, non temporis partem significare intelligimus, sed aliquam æui cohærentiam, in quo non fuit, aut erit tempus.*

Quòd etsi æuum temporis exemplum sit, non necesse est tempus ita sempiternum esse, vt æternum est æuum. V.

QVINTI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*



ALDE captiosum est hoc etiam Argumentum. non enim orationis significatione, sed ipso verbo premit. Nam si, inquit, fuit quando non fuit tempus, & erit quando non erit, fuit aliquando, quando non fuit tempus, & erit aliquando, quando non erit. Nam *Aliquando*, inquit, temporis significandi vim habet. Et vbi est *Aliquando*, ibi est & tempus. Erat igitur tempus, quando tempus non erat, & erit tempus quando non erit. Hæc quidē Philosophus: quanquam non ignarus, quòd dictiones non omnino synceritatem, & integritatem notionum repręsentare valent. Quid igitur, si nos nimiam eius in dictionibus examinandis diligentiam effugientes, non dicamus, fuit aliquando quando non fuit tempus, neque erit aliquando, quando non erit: sed simpliciter ad hunc modum: Non est tempus, sed principium habet & finem consistendi. Quòd si hoc cùm dixerimus, concludat Philosophus id quod semper non est, quia neque semper sit, neque nunquam, aliquando esse necessariò, & aliquando non esse, vt verbum *Aliquando*, arripiat, concedat nobis dum fallacem eius conclusiunculam imitamur, paulisper oratione iocari. Eleganter enim sapienti Homero dictum est: I.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.

Videat igitur vt gnauiter solers & ingeniosum inuentum suum defendat.

QVONIAM enim tempus aliud præteriit, aliud futurum est, vtrum quod temporis futurum est, vt crastinus dies, aliquando erit, an non? Nam si non semper est crastinus dies, erit aliquando. Ipsi enim aliquando aut semper opponitur, aut nunquam (iisdem enim ipsius verbis vtar) Quare si vtrunque falsum est (nam futurum neque semper est, neque nunquam. aliôqui non amplius esset futurum) prorsus est necesse esse aliquando. Si igitur *Aliquando*, tempus significat, & quod temporis est futurum, tempus est, erit certè tempus, quando erit tempus. Quod igitur tempus? nempe illud, in quo futurum tempus, vt crastinus dies, erit. Et de illo eadem iterum dicemus. Aut enim illud tempus aliquando erit, aut semper, aut nunquam. Cùm autem falsum sit, tum semper, tum nunquam ipsum esse (nam *Aliquando*, partem aliquam temporis significat) sanè aliquando erit ipsum *Aliquando*. Iam verò *Aliquando*, tempus est, & illud igitur tempus in tempore erit. Atque hoc in infinitum progredietur. Verùm adolescentulorum, opinor, iocis eiusmodi syllogismorum, ne dicam captionum, genus conueniet, qui de veritate & eorum quæ dicuntur, sensu parum admodum laborantes, verba ipsa dilacerant, dum inepta in disquirendis syllabis garrulitate, orationis sensum, & cursum inhibere conantur. Viris II.

autem, qui se adulto sensu esse profitentur, minimè ista conueniunt. oportet enim ad eorum, quę dicuntur intelligentiam, tanquam ad propositum scopum spectare, & eam vnam consectari, etiamsi dictionis infirmitas accuratam eorum, quæ dicuntur, expressionem attingere non possit. Quemadmodum igitur hîc, cùm quod temporis est futurum, aliquando fore dicimus, vt diem crastinum, tempus aliquod per illud *Aliquando*, non inducimus, etsi temporis significationem aliquam repręsentet, sed per illud vnum hoc significamus quod futurum est, non semper esse: sic igitur si quis dixerit, aliquando non esse tempus, aut aliquando non futurum, non tempus aliud per ipsum *Aliquando*, significat, in quo non fuit, aut non erit tempus, sed tantùm neque semper neque nunquam esse hisce verbis significabit. Verè enim medium ita erit ipsum *Aliquando*, inter semper & nunquam. Nam si cùm dicimus, tempus aliquando non esse, temporis significandi vim habet *Aliquando*. certè etiam cùm dicimus, *Aliquando*, esse partem temporis, quæ futura est, tempus significabit *Aliquando*. eius enim quod est, aliquando non esse, affirmatio est aliquando esse. Quod igitur in affirmatione significat *Aliquando*, id ipsum oportet significet in negatione. Itaque si cùm dicimus, id quod futurum est, vt crastinum diem, aliquando esse, ac non semper, non proprium ac certum tempus aliquod per se significat ipsum *Aliquando*. neque sanè cùm dicemus, aliquando non esse tempus, proprii cuiusquam temporis significationem habebit. Vt enim in certo aliquo tempore, vt in crastino die, qui aliquando est futurus, ac non semper, non tempus significat illud *Aliquando*, sic nec in toto tempore, quod aliquando esse, aut non esse dicitur, ac non semper, necessariò temporis significationem habet *Aliquando*. Sed in vtraque oratione nihil aliud significatur, quàm non semper esse id, de quo ipsum *Aliquando*, enuntiatur. Nónne igitur pudendum est, virum præsertim Philosophum, qui se vnam veritatem exquirere & retinere velle profitetur, non orationis sententiam consectari, sed in verba & dictiones insilire? quia videret non alio modo exprimi posse ea, quę suę naturæ principium habent, & finem, quàm hisce temporum aduerbiis.

III. QVOD autem non necessariò vnà cum particularum temporis vsu, tempus protinus intelligatur, hinc planum esse potest. Nam si quis hoc modo dixerit, quando quod mouetur, mouendi finem fecerit, tum & quiescendi principium faciet. Qui, inquam, ita est loquutus, qui aduerbiis temporis vsus est, nempe ipsis *Quando*, &, *Tum*, tempus statim significauit. Atqui hoc fieri nequit. In vno enim & eodem temporis puncto finem mouendi facit id quod mouetur, & quiescendi principium. Neque enim motus finis, neq; quietis principium est in tempore. Nam in tempore, aut moueri, aut quiescere oportet, quod ad id est natum. Atqui neque motus, neque quies hîc statuitur, sed motus finis, & quietis initium. Non igitur temporis significandi vim habent, *Quando*, & *Tum*, sed finem & extremum indicant temporis eius, in quo motus perficiebatur, & rursus principium eius in quo requies erit. Quare non omnino temporis appellationes, & particulæ vbicunque assumptæ fuerint, tempus statim designant. Quid igitur vetat etiam in proposito sermone, si dicatur, Aliquando futurum,

cùm

cùm non erit tempus, ipſum *Aliquando*, non tempus audientis animo repræſentare, ſed temporis extremum, in quo tempus eſſe deſinet? Si etiam dicatur tempus aliquando fuiſſe ortum, non ex æternitate eſſe, tunc rurſum intelligere ipſum temporis initium & primum punctum, aut momentum in quo eſſe cœpit. Ad hunc modum neque verba *Fuit*, & *Erit*, in quocunque dicta fuerint, neceſſariò temporis ſignificationem habebunt. Nam conſiſtentiæ ſignificationem habet verbum *Eſt*, ſed ipſum temporis expreſsio conſequitur, vt verbum vnumquodque, quod ſua vi aliud quidpiam ſignificet, conſequitur, vt partem aliquam temporis adſignificet, non tamen propterea tempus omnino ſignificabunt *Fuit*, & *Erit*, de quibuſcunque dicantur. Nam ſi quis ad hunc modum enunciet, antequàm mortales, aut omnes, aut nonnulli Deum agnoſcerent, Deus erat. Vtrum hoc in loco verbum *Erat*, quod de Deo enuntiatur, tempus ſignificat, aut temporis nonnihil, vt extremum aut principium? Atqui hoc fieri nequit. Neque enim Deus eſt in tempore. Vnam igitur Dei conſiſtentiam exprimendi vim hîc habet verbum, *Erat*. Nam ſi temporis omnino ſignificans eſſet, præteriti temporis ſignificationem haberet. Quod autem præteriit, non eſt. Quando igitur Plato de Deo dicit: Probus erat, probus nulla in re vlli vnquam inuidere poteſt, Deum certè, ſecundùm ſapientem Proclum, in tempore etiam præterito eſſe conſtituit, & qui propterea, aut non ampliùs ſit, aut certè non ampliùs probus, aut qui vnà cum temporis ſectione diſtinguatur, & variè diſtrahatur, & qui non confertam ſimul, & æternam ſimul conſtantiam & naturam obtineat. In quo enim verbum *Erat*, dicitur, in eodem verbum *Eſt*, non abſolutè enuntiatur: Nam qui dicit, Socrates erat, ſic dicit, vt de eo, qui nimirum nunc non ſit. Neque enim poteſt abſolutè ſic dicere, Cœlum erat, eſt enim nunc quoque. Quemadmodum ſi quis homo probus ſit, indefinitè de eo dicere non poſſumus, Probus erat, ſed, Probus eſt. De eo autem, qui non ampliùs probus ſit, ſed immutatus in vitioſitatem, dixeris, Probus erat, vt qui, ſcilicet, nunc probus non ſit ampliús. Nam etſi in iis, quæ in temporis productione eſſe ſuum habent, & quæ adhuc conſtant, dicitur, & quòd erant, & quòd ſunt: quemadmodum de cœlo. Nam erat cœlum, & nunc eſt. Tamen in quo erat, nunc non eſt. Nam eius eſſe, quo erat in præterito, nunc non eſt. Aliôqui enim præteritum eſſet inſtans. Quare quatenus verbum *Erat*, de aliquo enuntiatur, ſecundùm illam conſiſtentiam, nunc non eſt. Quòd ſi cùm Plato de Deo diceret, Probus erat, non in tempore ipſum Numen ponit, neque cum temporum ſectionibus ipſum diſtrahit, ſanè vox *Erat*, non neceſſariò tempus ſignificat, de quocunque dicatur. Aliôqui neceſſe eſt, vt aut ipſi fateantur ex iis, quæ mente & intelligentia tantùm comprehenduntur, & diuina ſunt, nonnulla eſſe, quę ſupra Mundum ſint, & à corporum relatione libera, & item Deum ipſum cum earum rerum, quæ mente intelliguntur, tum omnino rerum omnium primam eſſe cauſam & principium, aut certè negabunt quicquam eſſe, quod à corporum communicatione & relatione ſit liberum, & ſeparatum. Quòd ſi earum rerum, quæ ſunt nulla ſit, ne ipſa quidem prima, quæ eſſentiam, & naturam ſuam in nulla relatione habeat ad corpora, ſeorſim certè à corporibus nulla conſtare poſsit. Nam

ſublatis corporibus, ea, quæ in relatione ad eadem corpora ſuum eſſe retinent, vnà perimi eſt neceſſe. Itaque fiet, vt ad eorum naturam & eſſentiam conducant corpora,& cauſę ſint ipſorum conſiſtentię. At verò ſi hoc abſurdè dicitur, efficitur neceſſariò, eas, quæ mente comprehenduntur, ſubſtantias, & ipſummet Deum, qui propter eximiam naturam, ſine vlla comparatione omnium rerum autor eſt & cauſa, omni relatione ad corpora & ad Mundum eſſentiam habere ſuperiorem. At verò quòd tempus nihil aliud ſit, quàm numerus motus corporum, aut (vt abſolutè & omnino dicam) quòd circa corpora ſuam habeat eſſentiam, conuenit inter omnes. Anni enim & menſes, noctes item & dies, quæ partes ſunt temporis, extra corpora nec conſtant, nec vllam habent naturam. Quòd ſi tempus numerus eſt motus, tertium certè ordinem à corporibus eſt ſortitum. Nam motus omnis naturalis corporum, eſt motus. Tempus autem ipſius motus, eſt menſura, aut omnino ipſius motus eſt quidpiam. Quæ igitur ab ipſa corporum comparatione ſunt abſoluta, longiſsimo interuallo ab ipſa ad tempus relatione ſeiuncta ſunt, cùm tempus à corporibus ſit tertium. Quòd ſi hæc vera ſunt, & in rebus intelligentia comprehenſis, & in Deo dicere poſſumus, quòd antequàm hoc vel illud factum eſſet, Deus erat. Atque hoc elocutionis genus non ſolùm in communi hominum conſuetudine frequens eſt, ſed etiã apud doctos & ſapientes eſt in vſu. Interdum enim ea eſt ſubiectarum rerum natura, vt aliter quod ſentiunt exprimere non poſsint. certè verbum *Erat*, non quomodocunque, & in quacunq; re dicatur, neceſſariò tempus ſecum inuehit. Quoniam dicimus quoque quòd erat tempus, nec tamen hîc temporis vllam ſignificationẽ habet verbum *Erat*. Aliôqui duo ſimul erunt tempora: tum illud, de quo verbum *Erat*, enuntiamus: tum illud, quod per verbum *Erat*, ſignificatur. Id quod obtuſum eſt dictu. Atque adeò tria erunt tempora ſi quis ita dixerit, tempus erat, quando Socrates erat: ſi per vtrunque *Erat*, tempus ſignificari intelligatur. Atqui, opinor, nemini non valde ridiculum hoc videatur. Nam ſimul vel quatuor vel quinque tempora in eodem fingere quis poterit, ſi toties verbum *Erat*, in eadem orationis elocutione adſumpſerit. Quòd ſi in propoſitis exemplis verbum *Erat*, ſolius rerum ſubiectarum conſiſtentiæ apertè ſignificans eſt, non vllius temporis, efficitur certè, vt non in quacunque re & quomodocunque dicatur *Erat*, tempus protinus ſignificet. Ad eundem planè modum, neque verbum *Erit*, in quacunq; re enuntietur, ipſum per ſe temporis partem, nempe futurum, ſignificabit. Et ob id cùm dicimus, erit, quando non erit tempus, verbum *Erit*, temporis nihil ſignificat. Iſti tamen vocem *Erit*, ad tempus transferentes, colligunt inde, quaſi dicatur, quòd erit tempus, quando non erit tempus. Si quis autem tali vſus enuntiatione dicat: Quemadmodum erat tempus, & nunc tempus eſt, ſic quoq; tempus erit. Deinde quiſpiam egregiam hanc & doctam viam ſequutus, verbum *Erit*, ad tempus transferat, is certè efficiet quòd erit tempus, quando non erit tempus. Nam ſi verum eſt, quòd erit tempus, hîc autem *Erit*, temporis eſt nota, erit certè tempus, quando tempus erit. At quæ temporum horum eſt differentia, futuri, inquam, & eius, quod pendet ex verbo, *Erit*? Iam de illo tempore in quo erit tempus, eadem nihilominus dicere

licebit.

licebit. Atque ita in infinitum progrediemur, temporum tempora conquirentes. At fieri non poteſt, vt ſimul & in eodem duo ſint tempora (vt ſeorſim infinita eſſe concedamus) niſi vnum pars ſit alterius, & in ipſo compræhendatur. Vt, verbi gratia, ſi quis menſem inſtare dicat, & decimum eius diem. Non hoc autem ſignificat adfirmatio, quæ dicit, quòd erit tempus, ſed ſimpliciter, quòd non nunc deſinet tempus, verùm deinceps etiam erit. Quare ſi per ineptam Procli Argumentationem res abſurda adfirmationem eam, quæ dicit, Erit tempus, conſequuta eſt, nempe temporis eſſe tempus, & tempus eſſe in tempore, falſa proculdubio eſt. Vera igitur quæ huic contradicit. Siquidem contradictionis neceſſe eſt, aut adfirmationem eſſe veram, aut negationem. Cùm igitur falſa ſit adfirmatio, Erit tempus, quantum quidem in Procli Argumentatione ſitum eſt, vera erit huius negatio, Non erit tempus. Quare in ſenſum ſibi contrarium, ex hac admiranda methodo relapſa eſt huius oratio. Quoniam autem poteſt quis ad hunc modum pronuntiare, Erit tempus, cùm erit, verbi gratia, pluuia, aut quidpiam eorum, quæ oriuntur: Si iterum verbum, *Erit*, hîc ad tempus transferatur, non ſolùm prius, ſed etiam poſterius, atque ſi omnino temporis ſignificans eſt illud *Erit*, & præterea illud *Quando*, temporis aduerbium, quis non videt, quàm ridicula futura ſit hæc enuntiatio, & eiuſmodi, vt cogitatione compræhendi, aut fingi non poſsit, in qua quater ordine tempus pronuntiauerimus? In ſexcenta alia huiuſmodi abſurda Philoſophi Argumentationem per exempla compellere nobis liceret. Si in his igitur verbum *Erat*, aut *Erit*, non tempus per ſe deſignat: ſed cùm dicitur, Erit tempus, *Erit*, futuram temporis conſiſtentiam modò ſignificat. Cùm autem dicitur, Erit tempus, cùm erit pluuia, prius quidem *Erit*, rurſus temporis repræſentat cohærentiam, poſterius autem, pluuiæ. Neque igitur quando quiſpiam dixerit, Erit quando non erit tempus, illud *Erit*, vt temporis notam accipiemus. Sed quod erit, quidam ſtatus in quo tempus non erit. Non ſolùm autem *Erat*, & *Erit*, partes temporis ſignificant, illud præteritum, hoc futurum: ſed ipſum *Eſt*, etiam inſtantem temporis particulam deſignat, quæ & præterito & futuro opponitur. Non tamen quando dicimus, Deus eſt, per verbum *Eſt*, temporis particulam vllam intelligimus, ſed ſolam Dei æternam conſtantiam. Neque enim verborum infirmitatem res ipſas ita ſentire oportet, vt propterea fiant deteriores: ſed quantum ex vſu nobis eſt, ad res eas ſignificandas, quas animo & mente conceperimus, ex ipſis verbis aſſumentes, ſi quid quod naturæ noſtrarum notionum minus conueniat, vnà cum verbis exhibeatur, id nos diſsimulamus. Quemadmodum igitur in propoſitis omnibus exemplis, temporis aduerbia, & notæ, non ita in elocutione accipiuntur, vt neceſſariò ipſa per ſe temporis alicuius loco intelligantur, etſi in ipſis ex quadam conſecutione vnà adpareant temporis partes, ſed aut conſiſtentiam aliquam ſignificant, aut temporis alicuius extremum, aut principium, vt ex præmiſsis exemplis palàm fecimus: ſic, nec ſi dicatur aliquando non fuiſſe tempus, aut aliquando non futurum, neceſſe habebimus propter illud *Aliquando*, temporis aduerbium, aut ante tempus, aut poſt tempus, tempus eſſe dicere. Sed cùm dicitur aliquando non fuiſſe tempus, temporis eſſe principium, ac non æternum

esse significari dicimus. Cùm autem dicitur interdum non futurum, desiturum, & non sine fine futurum significamus. Neque verò hîc mihi curiosiùs inuestigabit oratio, an desiturum sit tempus nécne. Sed ex prædictis, id vnum demonstratum esto, quòd propositum Procli Argumentum nihil conficit necessariò: sed potiùs in absonam & absurdam rationem depellitur.

IIII. CAETERVM, proposito Argumento ad hunc quoque modum respondere licet. Si vt tempus motus cœli est mensura, sic æuum mensura est æternorum, vt ipsemet Proclus hîc confitetur. Cœli enim progresiones & conuersiones metitur tempus, vt ęuum vitam metitur per se viuentis, seu per se animantis. Si igitur æuum vitæ per se animantis, hoc est, æternorum mensura est, modis omnibus est necesse, æuum non esse punctum vnum, sed latitudinem & extensionem quandam, quæ (vt ita dicam) cum *Esse* æternorum simul extendatur: non quidem vt tempus, quod sectionibus secatur differentibus, annis, inquã, & mensibus, noctibus & diebus. Sed, vt si quis mente & cogitatione cœlum sistat, & solis cursum inhibeat, & tollat, non differentes amplius particulæ temporis erunt, intelligeretur tamen extensio quædam per omnia sibi similis, quæ vnà cum Mundi consistentia concurrat. Ita sanè & in æternis est dicendum, quòd etsi in ęuo, ipsorum essentiam dimetiente, non est temporalis interualli vlla progresio, aut motus: tamen extensio quædam per omnia sibi similis, vnà cum eorum essentia omnino intelligitur. Neq; enim, vt dixi, æuum punctum est quoddam partibus carens, neque quæ in æuo sunt, hoc est æterna, in vno aliquo puncto tantùm cohærent. Vnde æternorum vitæ mensuram æuum esse dixit Proclus, & ante eum etiam Plato. " Tempus enim, inquit, ortum est vnà cum cœlo, " vt simul nata, simul etiam dissoluantur: si quando vlla est ipsorum futura solu" tio, & ad exemplum sempiternæ naturæ, vt quàm potest simillimum ipsi efficia" tur. Exemplum enim stat per omne æuum: Cœlum autẽ ad finem vsque per o" mne tempus. Quare si Mundi exemplum per omne æuum esse dicit Plato, & mensuram esse vitæ sempiternorum, certè non punctum aliquod ęuum esse arbitratur (quod enim est totum, non punctum est: nec quod partibus caret, mensura esse potest) verùm vnam quandam æquabilem vitę sempiternorum extensionem, quæ nulla varietate aut differentia secetur: sed quæ constet semper eadem, & sibi similis & inuariata perseueret. Cùm hoc igitur ita se habeat, cùm dicimus, Erat, quando tempus non erat, & erit quando non erit, voces *Erat*, & *Erit*, non vt temporum notas intelligimus, sed ita, vt cùm dicimus, Deus erat etiam priusquam homines ipsum cognouissent, & erat tempus, & Deus est, & est tempus. Aut cùm Plato dicit, Probus erat, non temporis partes per *Erat*, & *Erit*, intelligimus, sed pro rei subiectæ natura æui significandi has temporis adiectiones vim habere dicimus: aut certè nudæ ipsius rerum consistentiæ. Quoniam nos aliter loqui non possumus, quàm cum quadam temporis significatione. Hîc igitur si dixerimus, Erat, quando non erat tempus, & erit quando non erit, voces *Erat*, & *Erit*, non tempus inuehere intelligimus, sed ęui consistentiæ significationem habere dicimus. Erat enim æuum, cùm tempus non esset: & erit æuum, cùm tempus non erit. Itidem, si *Aliquando*, in hac oratione inseratur: veluti,

Aliquando, erat, cùm non erat tempus: & aliquando erit, cùm tempus non erit. Rursum illud *Aliquando*, de æuo dici intelligimus. Quoniam est aliqua æui consistentia, seu extensio, seu quocunque alio nomine, id in quo tempus non erat, appellare libuerit. Et iterum, erit æuum, quando non erit tempus: Neque enim, vt dixi, ad verborum infirmitatem, sed ad eorum quę dicuntur, sensum prudentem spectare decet. Quemadmodum enim in Dei & numinis notione mens nostra non valet ipsum sine phantasia seu cogitatione contemplari: sed, vt habet Plato, vnà cum nostris de Deo notionibus, omnino transcurrit phantasia, seu imaginum & fingendi facultas, quæ figuras nobis & moles seu magnitudines de ipso subiicit cogitandas. At verò neque sine tempore, quæ supra tempus sunt, concipere intellectu possumus. Non tamen propter nostrę contemplationis imbecillitatem statim est necesse, res ipsas sic se habere: sed animi iudicio ea absurda reiicere debemus, quæ nostras de Deo & rebus corpore carentibus cogitationes excipiunt. Sic multò magis in rerum quoque enuntiatione, non ad verborum imbecillitatem animum aduertere decet, si non prorsus cogitationes nostras planè & syncerè, aut res ipsas exprimere dictiones possunt. Neq; ex verbo, sed ex dicentis sensu, & intelligentia dicentem reuincere & refellere oportet. Pluribus enim oratio nostra comprobauit, quòd non statim cum dictionibus, quæ temporis notam habere videntur, tempus verè significatur. Quare, vt in summam totum hunc sermonem contraham, vnà cum cœlo tempus ortum esse, rectè tum Platoni, tum veritati est visum. Cœli enim conuersionis mensura est tempus. Tempus autem initium non habere, nusquàm Platonem dixisse ostendere quisquam posit: sed hoc à se Proclus conficere conatus est. Quòd autem principium habeat tempus, aliâs confirmabimus. Nam & Plato ipsum vnà ortum esse cum cœlo apertè dixit: & antequam procreatum esset cœlum, tempus non fuisse. Cœlum autem ortum esse tradit, & ab aliquo principio esse cœpisse. Et Platonis discipulus Aristoteles in Octauo De naturæ auditione, præceptoris sui opinionem hanc esse testimonio suo confirmauit. Scribit enim ad hunc modum: *Cap. j.*
» At verò de tempore omnes præter vnum inter se consentientes esse videntur, non generatum enim omnes dicunt, & per hoc Democritus conficit fieri non posse, vt omnia facta fuerint, cùm tempus ortum non sit, vnus autem Plato ipsum natum esse asseuerat, nempe vnà cum cœlo ortum esse. Cœlum generatum fuisse tradit. Hæc igitur in octauo Argumento pluribus demonstrabuntur. Iam & in primo confirmatũ est, fieri non posse, vt sine principio sit Mundi cohærentia. Vtrumlibet autem esse cœpisse dixeris, seu tẽpus, seu Mundum, alterum etiam suæ essentiæ principium habere est necesse. Quòd autem si quis concesserit incertum esse, an Mundus & tempus esse cœperint néc-ne, tamen hoc Philosophi Argumentum per quod conficere se putat, tum principio, tum fine tempus carere, Sophistas magis quàm Philosophos deceat, abunde nostra comprobauit oratio.

V. QVOD si æuum temporis exemplum esse dicat, & ob id oporteat tempus esse sempiternum, vt æuum in sempiternum sit exemplar: Argumentationem hanc in secundo Philosophi Argumento communi repræhensione con-

futauimus, vbi sermonem mouit de exemplis. Nam si, vt ipse per se animans Mundi est exemplar, sic æuum quod vitam per se animantis metitur, exemplũ est temporis Mundi cohærentiam metientis, probatum est autem ipsum per se animantem non in hoc suum esse habere, vt Mundi sit exemplum. Neque sanè, quod vitam per se animantis metitur, æuum in hoc suam naturam habebit, vt temporis sit exemplum. Nam si vt æuum ad ipsum per se animantem se habet, sic se habet tempus ad Mundum. Et permutata igitur ratione, vt ipse per se animans ad Mundum, sic & æuum ad tempus se habebit. Ibi autem docuimus, quòd si per se animans & omnino Mundi exemplum sit, non necesse est esse Mundum. Neque igitur si æuum est, tempus necessariò erit.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum sextum.

SI opifex Mundum solus dissoluere possit. Omni enim ex parte indissolubilis est, inquit, præterquàm ab eo, qui colligauit. Nam in omni re eius est, qui vinculum nouit, rationem etiam nouisse eius dissoluendi quod colligauit. Et eius qui hanc rationem nouerit, est dissoluere. Ipse autem Mundi fabricator Mundum nunquam dissoluerit. Ille est enim qui dicit, haudquaquam probi esse, ratione vinctum velle dissoluere. Nullo autem modo fieri potest, vt malus is fiat, qui verè bonus est, efficitur vt Mundus nullo modo dissolui posit, neque enim ab vllo alio, quoniam soli artifici ipsum dissoluere concessum est. Neq; verò ab ipso artifice, quoniam ratione vinctum velle dissoluere, omnino mali. Aut enim non bene & ratione vinxit, & sic opifex optimus non est. Aut probè colligauit, & non dissoluet, ne malus fiat. quod fieri non potest. Vnde efficitur vt vniuersum sit indissolubile. Quapropter caret interitu. Quòd si interire non potest, ne ortum quidem est. Omne siquidem quod ortum est, interire debet. Dixit Socrates pridie quàm Timæus disputauit, nõ suis quidem verbis, sed musas loqui professus. Neq; verò superuacaneum musarum decretum Timæus esse putauit. Sed constituit genus aliquod esse, quod non interiret. Si igitur vera sunt hæc, cuius nullus est interitus, id ortum non est: Atqui Mundo nullus est interitus, sine ortu igitur Mundus est. Quare efficitur, vt sempiternus sit Mundus, qui nec ortus sit, nec posit interire.

Capita solutionis sexti Argumenti.

I. *Quòd malitiosè se gerunt in argumentis, cùm quæ apertè Platoni dicta sunt de Mundi procreatione, ea veluti obtorto collo, ad id detorquent quod ipsi sentiunt.*

II. *Expositio aggreßionis sexti argumenti, quod etiamsi esset necessarium, veritati tamen nihil noceret: cùm non ex ipsa rerum natura, sed ex Platonis hypothesibus ductum sit.*

III. *Præmittitur explicatio ordinis & œconomiæ seu dispositionis argumenti.*

IIII. *Quòd falsa est & absurda Platonis oratio: quæ habet, improbi esse quod ratione vinctum est, & probè colligatum, velle dissoluere. & quod vt ortus Mundi causa est Dei probitas, sic & solutionis eius eadem est causa.*

V. *Quòd si dissoluendi Mundi facultatem habet Deus, vt ipsi quoque sentiunt, ipsum omnino dissoluet. Quòd si non soluet, aut ipsius soluendi facultatem non habet, & ob id*

neque

neque componendi: aut imperfectus erit, secundum ipsorum rationes, quia sine actu sola dissolutionis facultate præditus sit.

Quòd si mali est ratione vinctum velle dissoluere, & Mundi dissoluendi facultatem habet Deus, vt mala faciat, & vt malus euadat facultatem habebit. VI.

Proferuntur verba Platonis, quòd penes tempus, Mundum ortum esse velit. Et breuis intelligentiæ ipsorum explicatio. VII.

Quot modis ortum & generatum dici velint Platonis interpretes, Taurus, Porphyrius, Proclus. Et in qua significatione vnusquisque eorum Mundum à Platone ortum dici statuerit. VIII.

Reprehenditur prima ortus significatio: nempe fieri non posse, vt Mundus ideo ortus esse dicatur, quia in genere sit eorum quæ oriuntur, etsi nunquam ortus fuerit. IX.

Quòd Mundum à Platone ortum dici vult Porphyrius, quia cogitatione compositus sit, & si, quod ad tempus attinet, nunquam conditus fuerit. & quibúsnam rationibus hoc conficiat. X.

Quòd inusitata tum Græcis, tum communi loquendi consuetudini sit proposita generati significatio. Et quòd Platoni maximum crimen inurunt, qui ipsum dicunt vocibus vti ambiguis. Et quòd etiamsi Mundum ita generatum esse diceret, nihilominus principium quo esse cœperit, ipsi tribuit. XI.

Quòd fieri non potest, vt quod Platoni dictum est, Mundum ab aliquo principio cœpisse, id penes vnum ex principijs intelligamus, materiam, dico, formam, instrumentum, efficientem causam, exemplarem & finem. XII.

Quòd in his temporis initium Plato significauit. XIII.

Quòd à Platonis acumine alienum erat, inquirere, vtrum compositus sit Mundus ex materia & forma, an verò sit simplex. Et quòd ipsemet Porphyrius Platonis verbis compulsus, suam de ortu hypothesin confutauit. XIIII.

Quòd Proclus exponit Mundum à Platone generatum dici, quia in ipso gignēdo suam naturam obtineat. & quia per causam generatus sit. XV.

Quòd Plato in ipso quidem gignendo Mundum essentiam habere statuit, generationis tamen initium eidem tribuit. & præterea, quod temporis principium intelligit, & non aliud. XVI.

Quòd etiam Porphyrius non solùm vt compositum scribit Mundum à Platone generatum dici, sed vt ab ipso Deo procreatum. Et quod ab alijs ad alias ortus significationes transire, arguit eos repugnantem Platonis sententiam aliò detorquere. XVII.

Quòd fieri non potest, vt Plato, an penes causam generatus sit Mundus inquirat, tum cùm dicit, Semperne fuerit nullo generatus ortu, tum in similibus. XVIII.

Quòd fieri non potest, vt cùm Plato Mundum generatum esse dicit, penes causam generatum intelligamus. Cùm autem non generatum dicit, temporis ratione, ac non potius etiam causæ non ortum accipiamus. XIX.

Quòd ipse Plato apertè distinxit doctrinam de procreatione Mundi, quæ est penes tempus, ab ea, quæ penes causam intelligitur. XX.

Quòd non pietatis Argumento, vt volunt, aut doctrinæ gratia, Plato Mundum vt ortū inducit. Et quòd per ea quibus hæc confirmant, euertunt priores ortus significationes. XXI.

Quòd perperam Taurus in hisce Platonis verbis: ἡμᾶς τοὺς περὶ τοῦ παντὸς λόγους XXII.

ποιεῖσθαί πη μέλλοντας, εἰ γέγονεν, ἢ καὶ ἀγένές ἐστι. *Id est: Nos de vniuerso verba facturos, generatúmne sit, an etiam ortu careat.* ἢ, *id est an, coniunctionem dubitandi, in* εἰ, *id est, si, commutauit: vt dicat,* εἰ καὶ ἀγένές ἐστι, *etiam si ortu careat.*

XXIII. *Quòd neque ideo Mundum Plato generatum esse dicit, quia in motu perpetuo sunt cœlestia.*

XXIIII *Quòd non de animæ substantia generationem Plato in Timæo enuntiauit, sed mutuam animæ ad ipsa cœlestia corpora comparationem, & certum motum, quem ab anima, quæ ipsis inest, cœlestia habent corpora, per* ψυχογονίαν, *id est, per animæ procreationem, docuit. Vbi compendiaria Platonica psychogoniæ, id est, animæ procreationis, inseritur historia.*

XXV. *Quòd necessariò Plato ex eo, quòd Mundus cernitur, & tangitur, aut omnino sentitur, ipsum ab aliquo temporis principatu ortum esse collegit. Vbi docetur, quòd tum secundum partes, tum secundum tota ipsa elementa, generantur & intereunt, & qui ex ipsis conflatus est Mundus.*

XXVI. *Quòd Plato cùm ea, quæ semper sunt, ortum non habere dicit, nullum ipsorum negat ortum, aut moram in tempore.*

XXVII *Testimonia Philosophorum, quòd ab aliquo temporis initio Mundum ortum esse voluit Plato: nec vt in conditione ortum dicit, nec quòd in gignendo naturam suam habeat.*

XXviii. *Quòd cum Plato natura solubilem, & caducum Mundum esse dixerit, consequitur, vt ipsum quoque factum esse pronuntiauerit. Et quòd cum eo, quod secundum naturæ suæ rationem immortale est, neque aduentitiam, aut aliunde quæsitam habet immortalitatem id cohæret, quod secundum Platonem non ortum esse dicitur.*

XXIX. *Quòd per ea ipsa, per quæ tum morbi, tum senectutis immunem Mundum Plato esse dixit, euidenter probatur, quòd non natura talem esse putat. Et quòd etsi nihil sit extra Mundum, quod ipsum poßit corrumpere, nihilominus corrumpi potest, propter finitas eius vires. Et quòd alibi Proclus hæc eadem apertè confessus est.*

SEXTI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

I. CVM nusquam Plato Mundum vllo modo ortu carere pronuntiauerit, sed contrà, vbiq; generatum ortúmq; fuisse, & naturæ esse ortus capacis, clarißima voce denuntiet, & non secundum quid natũ, & secundum quid non natum, sed omnino & sine vlla distinctione generatum fuisse confirmet, qui veritati probabilitatem anteponunt, & nimio quodam affectu ducuntur in defendenda Mundi perpetuitate, cùm domesticã repræhensionem nullam proferant, sursum ac deorsum versant omnia, vt ad suum sensum Platonis dicta detorqueant. Quanquam statim ex ipso verborum ornatu, & orationis varietate ab hominibus naris non obesæ depræhenduntur, repugnantem Platonis mentem vi ad sententiam suam pertrahere. Simplex est enim veritatis oratio: neq; variis, & in diuersos sensus tendentibus indiget interpretamentis, habent enim hæc tempus. Iniqua autem oratio, cùm ægrotans sit, & malè sana, pharmacis indiget sagacibus. Nam si reuera Platoni visum fuisset, Mundum penes tempus non esse generatum, hoc est, à nullo temporis initio esse

esse cœpisse, decebat ipsos, vel vnum ex ipsius scriptis testimonium proferre, quod hoc perspicuè prædicaret. Nunc autem hoc minimè possunt. Sed magna quadam dicendi, & orationis copia luxioriosiùs vtentes, suadere nobis conantur, vt cùm à Platone Mundum generatum esse audimus, id quasi ortus non sit, accipiamus. Et cùm vir ille ab aliquo procreationis initio, cœlum esse cœpisse dicat, & non fuisse priusquàm fuisset ortum, id nos ita accipere volunt, vt neque ortus initium habuisse, neque vnquam non fuisse, sed vnà cum procreatore suo, ex æternitate stetisse credamus.

EX HAC igitur sententia Proclo connexum est hoc sextum argumentum: vel potiùs in hoc etiam Porphyrii sententiam nobis ipse trāſcripsit. Nam illum in Commentariis, quæ scripsit in Timæum, vt confirmet Platonem sentire Mundum esse sempiternum, hoc argumento vsum esse clarè adparet. Nam vbi sumpsit Mundum ex opinione Platonis interire non posse, concludit ipsum ortum nunquam habuisse. Nam si quicquid generatum est, id interit, necessario (vt in Phædro scribit Plato) conficitur argumento à consequentibus per conuersionem cum oppositione, vt si quid interire non posit, id ortum non sit. Cum igitur Mundum interire non posse Plato apertè pronuntiet, perspicuum est, ipsum omnino oriri non potuisse. Quando igitur ad hunc modum in proposito argumento ex secundis prima confirmat, nempe cùm ex eo, quod ex Platonis opinione interire non posit, colligit, secundum eundem, nasci non potuisse. Decebat, opinor, nullum inde negotium iis exhiberi, qui argumenti fraudulentam captionem confutarent. Nam vt hæc ita se habeant, & Plato, vt adfirmant, Mundum nunquam ortum esse senserit, nihil tamen veritatis propterea labefactatur oratio. Non enim ex ipsis rebus hæc ducta est reprehensio; neque Platonis opinionibus res ipsas oportet consentire. Sed quoniam vbique iniuriam patienti veritati succurrere, & honestum, & æquum esse censeo, pro viribus Platonem falsa calumnia premi conuincere conabor. II.

OPERAEPRETIVM autem me facturum esse puto, si primùm rationes discutiam, per quas Plato Mundum nunquam solutum iri docuit, necessarione concludant, an secus. Nam in tota hac disputatione hoc vnum est à re sumptum Argumentum, illud dico, quod habet, Mundi effectorem & parentem Deum, ideo quia probus est, Mundum ratione vinctum non soluere. Quoniam quod ratione vinctum est, & pulchrè colligatum, velle dissoluere, improbi est. vt autem malus fiat Mundi procreator, fieri non potest. Deinde Platonis sententia excutienda nobis est: velitne Mundum nullo temporis principatu esse cœpisse, an verò ab aliquo principio cœpisse confiteatur, ita vt antequàm ortus esset, in natura non esset. Postremò, probandum nobis erit, quòd cùm Plato Mundum ortum esse posuit, & eundem non interire, nullo modo inter se pugnantia proposuit: vt quòd Mundum non solutum iri eo modo, quo Plato intellexit, non arguit Platonem sensisse Mundum non esse generatum, vt Proclus hîc conclusit. Vt igitur primum ex propositis excutiamus, Platonis verba in medium producere necessè est, quæ habent ad hunc modum: III.

DII deorum, quorum operum ego parens effectórque sum, ea non sunt IIII.

" dissolubilia me volente: quanquam omne colligatum solui potest. Sed ratione " vinctum,& bene colligatum velle dissoluere,improbi est. Hoc igitur Plato. Si itaque, inquit Proclus, fieri nequit, vt malus euadat, qui verè bonus est, Mundus certè dissolui nullo modo potest. Neque enim ab vllo alio, quia soli effectori soluere concessum est. Neque verò ab ipso fabricatore, quia quod pulchrè vinctum est, velle dissoluere, mali est. Aut igitur non probè colligauit, & non optimus est: aut bene colligauit, & non dissoluet, ne improbus euadat. quod euenire non potest. Vnde efficitur, vt indissolubile sit vniuersum. quapropter caret interitu. Quòd autem bene aptum & pulchrè colligatum sit vniuersum, ipse eorum, quæ conspiciuntur sensus comprobabit. Atq; adeò id ipsum confir" mabit diuinum oraculum, vbi dicitur: Et vidit Deus omnia, quæ fecit, & ecce o" mnia sanequàm pulchra erant. Quòd verò eorum, quæ ratione vincta sunt, parens & opifex sit optimus, & quòd fieri nequeat, vt qui verè bonus est, malus euadat, omnium mentibus impressæ notiones de Deo clamitant. hęc vt ita sint, non video cur necesse sit, vt mali sit, ratione vinctum velle dissoluere. Nam corpora nostra, & omnia tum animantium, tum stirpium pulchrè compacta esse nemo negauerit, cùm in animantibus omnibus, & in stirpibus, tam apta sit membrorum varia compositio, vt nihil imminutum, nihil redundans contineat, sed vnaquæq; particula, quantum satis est, suum vsum expleat, vt omnes ad totius salutem consentiant. At verò ipsum procreatorem velle rerum singularum vnamquanq; dissolui, & non esse sempiternam, anteà in quarto Argumento docuimus. Nam si rerum singularum quamq; perpetuam esse voluisset, illæ omnino perpetuę erant futurę. necesse est enim omnino procreatorem aut velle singulas animantes interire posse, aut non velle. Si igitur falsum est, ipsum non velle (nam si ipsas non dissolui voluisset, omnino indissolutæ permanerent) Verum est profectò, ipsum procreatorem velle vt singulæ animantes intereant. Quòd si res singulas interire vult Deus, ratione autem vinctæ sunt, & pulchrè colligatæ, efficitur, vt Deus ratione vinctum rursum dissolui velit. Aut igitur, vt sapientibus istis videtur, non probè compactæ sunt res singulæ. Quod est absurdum. Aut si pulchrè colligatæ sunt, ipsarum effectorem malum euasisse necesse est, cùm quæ ratione vincta sunt, dissoluta velit. Siquidem, vt dicunt, ratione vinctum velle dissoluere, improbi est. Res nihilominus absurda probabitur, si non ad primum effectorem secundum ipsos, orationem hanc quis referat, sed ad illos Deos transferat, qui per cœlum versantur, quos primus procreator & parens ad mortalium animantium procreationem conuerti iussit. Est enim modis omnibus necesse etiam illos, cùm ortum & interitum efficiant, aut non probè adaptare, & vincire, aut improbos effici, cùm quę pulchrè colligata sunt, dissoluant. Non enim quod ita pulchrum est, vt cedat alicui, id protinus malum est. Sic enim efficeretur, vt neq; Mundus hic, qui sub sensum cadit, sit pulcher, cùm ei, qui intelligentia tantùm compræhenditur, multis partibus cedat. Hoc autem ideo dixi, ne quis, quia quæ in singulis animantibus visitur pulchritudo, inferior est ea, quæ ad totum Mundum pertinet, ipsas ideo non pulchrè & ratione vinctas esse dicat. Quòd autem, etsi per medias causas, vt per cœlestes vel

alias nonnullas,ortus & interitus caducorum animantium perficiantur,ipse tamen primus effector ipsorum magis est causa quàm quę continentes sunt efficientes causæ: vt nos in decimoquarto capite quarti Argumenti necessaria ratione anteà confirmauimus. Ipse est enim, qui causis deinceps sequentibus vim tribuit & facultatem,vt causæ sint.Quare primus ipse procreator maximè causa erit ortus & interitus earum rerum, quæ oriuntur & intereunt. Et ideo aut rerum non pulchrè colligatarum effector erit, aut siquidem ratione & probè cohærent singulæ animantes,vt ipsa docet elegans animalis & ornata compositio, Deum ipsum improbum fieri necesse est, cùm ipse harum rerum interitus prima sit & princeps causa. Quemadmodum igitur, & ratione vinctæ sunt res omnes singulæ,& eas dissolui vult Deus,& fieri nequit,vt verè bonus malus euadat: sic etsi Mundum totum eleganter, & ratione vinctum soluere Deus velit, non ideò necessariò efficitur, vt verè bonus,malus euadat. Qua enim probitate ductus initiò vniuersum colligauit,eadem prorsus ipsum quoq; dissoluet, si solutum velit.Quandoquidem egregiè compactam lyram,vbi vsum,in quem compacta fuerat,suo artifici expleuit,qui confecerat,dissoluit. Neque quisquam qui sensu non careat,dixerit, quòd egregiè compactam lyram velle dissoluere, mali est: & quòd malus factus,sit musicus, quia concinnam harmoniam dissoluerit. Sed cuiuis perspicuum esse puto, quòd vt priùs eleganter & ratione compegerat, sic compactam rursus pulchrè & ratione dissoluit. Multò igitur magis ipse verè bonus, & initiò probitate motus, Mundum composuit. Et ipsum iterum eadem probitatis causa ductus,si voluerit dissoluet, etsi dissolutionis ratio nobis ignoretur.Neque enim ea,quorum causas ignoramus(multorum enim, atque adeò fortasse omnium, rationes nos fugiunt) prorsus aut temerè aut in malo fieri arbitrari debemus. Adolescentulorum enim, & eorum, qui ea tantùm quærunt, quæ sensibus hauriuntur, esse puto, eum malum existimare, qui pulchritudinem,quæ oculis cernitur,dissoluerit. hoc enim fortasse dixerit is, qui vi amoris lunæ pulchritudine victus est, & qui ad perfectisśimam partium eius conuenientiam, & ad coloris bonitatem attonitus obstupuit: cùm in iis, quæ ad animum pertinent, disciplinis non sit philosophatus,neque ipsius Prouidentiæ rationes vnquam attigerit. Quomodo eos affectos esse puto, qui ad solam vniuersi pulchritudinem, quæ sensibus adpareat, animum aduertunt. quia in optimas Prouidentiæ rationes incumbere non potuerunt,quas Deus ad earum substantiarum salutem & absolutionem molitus est, quæ in vniuerso sunt rationis compotes.

PORRO, alia etiam ratione propositum aggrediendum nobis est. Ab alio enim, inquit, dissolui non potest, præterquàm ab eo, qui colligauit. Atque huic dicto Proclus assentitur. In omni re enim, inquit, eius est, qui vinculum nouit, rationem etiam nouisse eius dissoluendi: Et eius, qui hanc rationem norit, est dissoluere. Si igitur hæc tum Platoni, tum Proclo ita esse videntur, & solus procreator & effector Mundi ipsum dissoluere potest, non autem dissoluet,profectò semper soluere posse,in sola habebit facultate,reipsa nunquam. Quare imperfectus erit. Quicquid enim in facultate est, imperfectum est, V.

vt ſapientibus videtur. Addiderim etiam, quòd temere hanc diſſoluendi facultatem habebit. Siquidem hanc vt profitentur, infinito habet tempore. In ortum autem nunquam deducet. Quanquam in ſempiternis, vt ſcribit Ariſtoteles, nihil eſt, quod facultate tantùm ſit. Fruſtra enim erit, & temerè, cùm nunquã in actum promoueatur. Aut igitur neq; ipſe procreator Mundum ſoluere poteſt: & ſic, neque ipſi effectori ſolubilis eſt Mundus, neque eius diſſoluendi rationem nouit (Nam fieri non poteſt, vt eius ſoluendi rationem nouerit, ſoluere autem non poſsit) rationem autem ſoluendi eius ignorans, & ipſum ſoluere non valens, neque vinculum cognoſcet, neque vniuerſi ſoluendi facultatem habebit. Verum eſt enim, eiuſdem eſſe, vinculum nouiſſe, & diſſoluendi rationem: & eum, qui vincire poſsit, multò faciliùs ſoluere poſſe. Aut ſi Mundum ſoluere poteſt, quia colligauit, diſſoluet autem nunquam, in hoc ſemper erit imperfectus, & temere ſolam habebit ſoluendi facultatem ſine effectu: aut ſiquidem ſecundum ipſorum rationes hæc dictu ſunt abſurda, ſi Mundum Deus ſoluere poteſt, omnino diſſoluet.

VI. AGE verò, ad ſummum abſurditatis, ſi placet, accedamus, ad quod nos magnifica hæc inducit oratio, quæ habet, Quòd ratione vinctum, & probè colligatum, velle diſſoluere, improbi eſt. Nam ſi Mundum ſoluere procreator poteſt, nunquam autem diſſoluet, ne malus euadat, malum certè eſt Mundum diſſoluere. Nam niſi malum eſſet ſoluere, malus neutiquam euaderet, qui ipſum diſſoluit. Quòd ſi ſoluere malum, ipſius autem Mundi diſſoluendi facultatem habet Deus, profectò vt malus euadat, facultatem habet Deus, quia etiam malè agendi. Quare ſi ſoluere, malum, ſoluere autem poteſt Deus, perperam certè & iniquè agere poteſt Deus, & malus euadere. Qua impietate, quæ deterior, aut maior dici, aut fingi poteſt? Quapropter, ſi fieri non poteſt, vt ipſa probitas vertatur in malum, & malum eſt Mundum diſſoluere, Mundi certè ſoluendi facultatem non habebit Deus. Quòd ſi hanc facultatem non habet, neque colligandi habebit. Quapropter Mundum non colligauit. Nam probè ipſi ſentiunt in omni re eius eſſe, qui vinculum nouerit, diſſoluendæ rationem nouiſſe eius rei, quam ipſe colligauit. Quare ſi qui vinculum nouit, is nouit diſſolutionem, certè is vinculum ignorabit, qui diſſolutionem non nouerit. Itaque ſi vniuerſum colligauit Deus, & vinculum nouit eius, quod colligauit, eius ſolutionem nouit, & vniuerſum poterit diſſoluere. Quòd ſi Mundum Deus poteſt diſſoluere, qui colligauit, eius autem qui diſſoluendi rationem nouerit, eſt diſſoluere, ſanè malum non eſt, Mundum diſſoluere. nulla enim in Deo mali facultas ineſt. Nam qui mali facultatem habet, malus etiam fieri poteſt. Verùm lumen nunquam vertatur in tenebras, nec probitas improba fieri poſsit. Sin autem in Mundi diſſolutione malum non ſit, probè autem compactus eſt Mundus, non certè quod ratione vinctum eſt, & numeris abſolutum omnibus, quantum in ipſa aptę compoſitionis pulchritudine poſitum eſt, diſſoluere velle, mali eſt. Neque malus euadat Deus, ſi Mundum diſſoluat. Operæpretium eſt igitur hoc loco inquirere, vtri, quod ad diſputationem naturæ attinet, magis cõmunibus de Deo notionibus conſentientia de Mundo protulerint: nóſne, qui Mundum à

Deo conditum,& rursum ab eodem dissolutum iri propter eius probitatem ponimus: an ii,qui Deum Mundum quidem soluere posse cōmunibus notionibus compulsi confiteri, addiderunt nunquam esse soluturum, ne peruersus fiat? Quod nihil aliud esse probauimus, quàm dicere, Deum posse perperam agere, & improbum fieri. Hoc autem vniuersam impietatem Deum esse negantium vincere nemo non fateatur. Dissoluendi autem Mundi causas naturæ conuenientissimas, adiutore Deo, aliâs explicabimus: nunc enim Procli controuersias dissoluere tantùm proposuimus. Hactenus igitur ipsi rei inhærentes, propositiones in sextum Procli Argumentum explicatæ sint. Superest vt deinceps ad secundum eorum, quæ initio huius Argumenti proposuimus, hîc transeam, & ipsum, vt me facturum esse recepi, confirmare pergam: nempe, quòd apertè falsa calumnia premunt Platonem, qui hanc opinionem ei tribuunt, vt Mundum sempiternum esse senserit. Qua in re longiorem orationem producere necesse habebo: dum eius sententiam ex ipsius scriptis lectoribus repræsentare studebo: & eius interpretes refellere conabor. Si cui igitur studio est hęc accuratè cognoscere, quæ deinceps in hac disputatione sequuntur, percurrat. Sinautem cuipiam non admodum curæ est in proposito problemate Platonis opinionem nouisse, sed solis ex rebus sumptis demonstrationibus animum aduertere studet, ad ea, quæ hoc proximè sequuntur, Argumenta transeat.

PLVRIMI igitur, tum eorum, qui Platonis decreta sequuti sunt, tum eorum, qui Aristotelicæ Philosophiæ studiosi fuerunt, & in primis ipsemet Aristoteles, communi consensu pronuntiauerunt, quòd ex Platonis sententia Mundus ab aliquo temporis initio esse cœpit: hoc est, quòd initium fuit aliquod, quò ipse in natura esse cœperit, cùm priùs non esset. Verùm priusquàm aliorum proponamus opiniones, quæ clarè quæ de Mundi ortu Plato sensit, nobis aperiunt, ipsa Platonis verba proferre operæpretium erit, quibus Mundum & procreatum esse, & ab aliquo temporis principio cœpisse pronuntiat. Deinde eas rationes expendemus, quæ tam apertè Platoni ad hunc modum pronuntiata, ad id quod ipsi sentiunt, perperam trahere conantur. In Timæo igitur Platoni id vnum propositum est, vt Mundi ortum, & naturam nos doceat. Audi autem quomodo ibi propositum sibi scopum exposuit: sic enim loquitur: Obserua igitur vt conuiuium tibi digesserimus. Visum enim nobis est, vt Timæus, cùm in rebus Astronomicis sit omnium nostrûm versatissimus, & in vniuersi natura, quid factum sit, omnium maximè bene nouerit, primùm ab ipsa Mundi procreatione disserere incipiat, & tandem ad hominis naturam deueniat. Et paulò pòst hæc subiungit: Verùm, ô Socrates, omnes qui vel minimùm sapientiæ & moderationis sunt participes, in re qualibet aggredienda, seu parua, seu magna ea sit, Deum semper inuocant. Nos igitur qui de vniuerso verba facturi sumus, ortúmne sit, an ortu careat, nisi prorsus aberramus, oportet deos, deásque omnes inuocantes, precari: primùm, vt omnia illis grata dicamus. deinde, vt nobis ipsi constemus. Quis igitur in his Platoni propositus sit scopus, apertè ipse dixit: nempe de Mundi ortu se dicere. Nequis ipsum leuiùs & sine demonstratione mundum procreatum esse sumpsisse putet, sermonem repetens, ipsum in VII.

modum problematis proponit, dum sibi propositum esse dicit, de vniuersitate dicere, hoc est, de Mundo, procreatúsne sit, an ortu careat? idque vbi rerum, quę sunt, diuisionem perfecit. harum enim alias esse dixit, quę semper sint, nunquam ortæ: alias autem gigni, & ortus esse capaces, ipsi ad eius, quod inquirit, explicationem, hoc præmissum vtile est futurum. Verba autem quæ statim ea sequuntur, quæ citauimus, sic habent: Quod igitur ad deos attinet, ad hunc modum nobis inuocati sint. Quod ad vos autem, orandum est, vt & vos facillimè assequamini, & ego commodissimè exprimere possim, quæ de rebus nobis propositis maximè sentio. Principiò igitur mea quidem opinione hęc nobis sunt distinguenda: Quid est, quod semper sit, nec vllum habet ortum: & quid quod gignatur, nec vnquam sit. Quorum alterum intelligentia & ratione comprehenditur, quod vnum semper, atq; idem est. Alterum, quod adfert opinionem per sensus rationis expertes, quod totum est opinabile, id gignitur, & interit, nec vnquam verè esse potest. Omne autem quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est. Nullius enim rei, remota causa, reperiri origo potest. Expendere autem ex dictis decet, quomodo Plato, omne quod intelligentia comprehenditur, ortum nullum habere dicit, sed vnum semper, atque idem manere. Omne autem, quod opinionem adfert, & sensus mouet (huiusmodi autem sunt omnia tum corpora, tum quæ in corporibus cohærent. Hæc enim sola cadunt sub sensus) & gigni & interire dicit, verè autem nunquam esse. Omnis enim natura, quæ in corpore cohæret, in conuersione & commutatione cernitur, neque vnquam in eodem statu manere potest: sed quasi perpetuitate quadam reconcinnatur, dum quod deest, semper procreatione expletur. Satis igitur ex ipsa rerũ diuisione statim adparet, Platonem priusquàm de Mundo quicquam dixerit, de numero eorum, quæ gignuntur, Mundum esse putare. Res enim has bipartitò diuidit: nempe in eas, quę oriuntur, & eas, quę nullum ortum habent. Quarum quæ ortæ non sunt, eas intelligentia comprehendi dicit: quæ autem gignuntur, opinione & sensu percipi. Si igitur Mundi id omne quod corporatum est, sensus mouet, palam est, quòd non in numero eorum, quæ non gignuntur, Plato Mundum esse voluit, sed eorum potiùs, quæ oriuntur, & intereunt: verè autem nunquam sunt. Quemadmodum enim singulorum vnumquodque, vt verbi gratia, hæc animans, aut hæc stirps, propter commutationis (vt ita dicam) perpetuitatem à natura, quæ ipsum proximè regit, instauratum, retexitur: sic & cœlum & totum Mundum Plato ex iisdem elementis, ex quibus res singulas composuit, coagmentatum esse ratus, quanuis immortale ipsum esse proponat, instauratitiam tamen, & rediuiuam immortalitatem ipsi accedere dicit, quia opificis & procreatoris vis, & potentia ipsum assiduè retexat. Quoniam omnis corporea & in corpore cohærens natura, in cõmutatione & conuersione omnino consistit. Verùm hæc paulò pòst confirmabuntur. Nondum autem fortasse ex iis, quæ dicta sunt, palam nobis factum est, vtrum Plato ab aliquo initio Mundũ esse velit, nécne. Nam ipse Proclus in Opere, quod inscripsit, Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles, hunc Platonis locum explicans, dicit, verbum *Esse*, vno tantùm modo dici apud

Platonem. Sempiternum enim,& quod ſit ſupra temporis naturam,ſignificare, gigni autem duobus modis dici, aut enim quod ſemper gignitur, aut quod interdum: Atq; quod interdum gignitur,id eſſe,quod ſingulare eſt,& indiuiduum: Id autem quod ſemper gignitur, vniuerſorum eſſe vnumquodq;: & præterea vniuerſum Mundum. Nam quæ intelligentia comprehenduntur, vult ſemper eſſe,Mundum autẽ ſemper oriri. Vtrum igitur Platonis Mundus in perpetua videatur eſſe generatione, ita vt principium, quo gigni aut eſſe cœperit, nullum vnquam habuerit, vt ſentit Proclus:an principium, quo gigni & eſſe cœperit, ipſi tribuat, verbis ipſius Platonis de Mundo in medium propoſitis, inquiramus oportet. Nam cùm dixiſſet ſe verba facturum eſſe de vniuerſo, procreatúmne id ſit,an ortu careat, & bene rem ſe habere indicans, ſi priùs docuiſſet, quæ res generationis ſunt expertes perpetuò, & quæ gignuntur quidem, nunquam tamen verè ſunt: quia hoc ad id conduceret, vt intelligeretur vtrius naturæ prædictorum eſſet Mundus.hæc,inquam, cùm dixiſſet,deinceps tranſiuit ad Mundi inquiſitionem,ortúſne is ſit,an non?id quod etiam ab initio indagare propoſuerat. Hæc enim habet: Omne igitur cœlum ſiue Mundus,ſiue quouis alio vocabulo gaudet,hoc à nobis nuncupatus ſit. De quo id primùm conſyderemus, quod principiò eſt in vniuerſi natura inquirenda conſyderandum: Sempérne fuerit, nullo generatus ortus principio: an ortus ſit,vt ab aliquo principatu eſſe cœperit. Ortus eſt:quandoquidem cernitur,& tangitur,& eſt vndique corporatus. omnia autem talia ſenſum mouent:ſenſúſq; mouentia quę ſunt,eadem in opinatione confidunt. quæ ortum habere gigníque diximus: Nihil autem gigni poſſe ſine cauſis. Atq; illum quidem quaſi parentem huius vniuerſitatis inuenire difficile:& cùm iam inueneris,indicare in vulgus,nefas. Plato igitur vbi voce adeò clara dixit, hoc primùm in Mundi inueſtigatione inquirendum, quod initiò in vniuerſi natura indaganda cõſyderandum eſt, ſempérne fuerit nullo generatus ortu,an ab aliquo principio eſſe cœperit, ipſum ortum fuiſſe, & ab aliquo temporis principatu eſſe cœpiſſe, indicauit. Nam ſi cernitur, inquit, & tangitur, & eſt vndiq; corporatus,& quæ talia ſunt, omnia ortum habere, gigníq; conſtitit, neceſſe eſt, vt cùm ortus ſit capax, ab aliquo temporis principio eſſe cœperit. Quare cùm dicebat: Quid eſt quod gignitur, nec vnquam ſit, non dixit ortum ſine principio rei eius eſſe quę ſentitur. Si igitur & ortus eſt Mundus,& eſſe cœpit, palam eſt, quòd ſecundum Platonem, neque ortu, neque principio caruit. Et Plato paulò pòſt ſic habet: Dies enim & noctes, menſes item & annos, cùm ante procreatum Mundum non eſſent,tunc vnà cum illo naſcente in ortum venire voluit. Hæc autem omnia temporis ſunt partes. Verba autem *Erit, & Erat,* genera ſunt procreati temporis, quæ æternæ naturæ perperam iuranti tribuimus. Nam in illa dicimus,*Erat,Eſt,*& *Erit.* tamen,ſi verè loqui volumus, huic verbum *Eſt,* tantùm conuenit. *Erat* autem,& *Erit* in ortu,qui cum tempore incedit, enunciare decet. Nam ad motum pertinent. Quod autem ſine motu ſemper eodem modo ſe habet, neq; ſenioris, neq; iunioris naturæ particeps dici poteſt. Et paulò pòſt: Non huius fortaſſe temporis erit, accuratiùs in præſenti hæc diſtinguere. Tempus igitur vnà cum cœlo ortum eſt,vt hæc ſimul nata,ſimul etiã

« dissoluantur, si quando vlla ipsorum futura est dissolutio. Et ad exemplum ęternę naturę procreatum est, vt quoad eius fieri potest, quàm simillimum ipsi fiat. Ipsum enim cœli exemplum, omne per æuum constat, hoc autem ad finem vsque per omne tempus, & fuit, & est, & futurum est. Hac igitur ratione, & consilio Dei ad temporis ortum, vt nasceretur tempus, sol, luna & reliquæ stellæ, quę planetæ, seu errantes cognominantur, ad distinguendos & obseruandos temporis numeros procreata sunt. Hæc igitur Plato. Atq; equidem puto nullam esse orationem, quæ tam apertè Platonis sententiam oculis subiicere nobis poßit, vt ipse se explicauit. Dies enim & noctes, menses & annos, quæ temporis sunt partes, non fuisse dicit priusquam cœlum procreatum esset: idq; meritó. Cœli enim conuersionis mensura est tempus. Quòd si antequam cœlum in naturam productum esset, non fuit tempus, quî fieri potest, vt, tum cœlum, tum tempus sine principio fuerint? Rursus, quod ait, Deum voluisse vnà cum cœli ortu oriri tempus, & eius partes, satis exprimit principium aliquod ipsorum, & primum ortū in natura. Nam quî quod ex æternitate steterit, & semper constet, vnà cum cœlo nato ab opifice procreatum dici poßit: ita vt priusquam ortum esset, non fuerit? Nam quod antequam procreatum esset, non erat, certè nullum erat priusquam venisset in naturam. Quanquam horum accuratam disputationem intelligens Plato, vbi particulis *Priùs, Quando*, & eiusmodi temporum notis vti oportet, statim eos reprehendit, qui in diuina natura huiusmodi temporis notas enunciant, quales sint *Erat*, & *Erit*, & quæ sunt eius generis, quibus affinia sunt, *Priùs* & *Tunc*. Nam verbum *Est*, inquit, in Deo tantùm dicendum est, Mosaïcum illud apertè exprimens: Ego is sum, qui verè sum. Sic enim cum Propheta verba faciens pronuntiauit Deus. Si igitur ex æternitate Plato Mundum productum fuisse à Deo arbitrabatur: ita vt à nullo initio esse cœperit, quî fit, vt cùm succenseat aliis, qui *Erat* & *Erit*, in Deo enunciant, in proprium crimen ipsemet incurrat? Nam si Deus ex æterno, tum cœlum, tum tempus profert, cœlum certè & tempus ab æternitate producuntur. Quòd si nunquam fuit, cùm hæc non producerentur, quomodo dicit, priusquam cœlum ortum esset, non fuisse tempus? Si priusquam productum esset in cœlo aptè dicitur, *Priusquam procreauisset*, in Deo etiam aptè dicetur. Nam quando procreator procreat, tum gignitur id, quod procreatur, vt testatur ipse Proclus. Idem dicetur & in particula, *Quando*. Si igitur & semper erat tempus & adiectionum temporis vsum Plato nouit exquisitum, & eum in præsenti accuratum docuit, nunquam ausus fuisset dicere, priusquam cœlum procreatum esset, neque verò illud, vnà cum cœlo nascente hæc in ortum venire Deus voluit, si sine principio Mundum constare arbitratus fuisset. Nam qui tunc primùm Mundum produxit, anteà certè non produxerat. Et si priusquam ortus esset, nec cœlum erat, nec tempus: nec ipse, qui procreauit, priusquam orta essent, quæ procreata sunt, ipsa produxerat. Non igitur, quod initiò dicebamus, hæc dixisset Plato, si ex æternitate Deum hæc producere fuisset arbitratus. Quemadmodum enim essentia Dei, qui statum eundem retinet, & semper eodem modo se habet, *Erat* aut *Erit* neutiquam admittit, sed tantummodo *Est*: sic æterna Mundi productio *Priusquam* aut *Tunc* non recipit. At-

qui

qui hæc Plato ad hunc modum de ortu Mundi protulit. Non igitur ipſum ex æternitate produci putauit. Quòd ſi quis obiiciat, quòd hoc ipſo quia dicat Deū priùs non producere, & poſteà producere, in Deo mutationem arguit & motū, quod neq; verè dicitur, neque Platoni eſt viſum, ea repetat quæ nobis in quarto Argumento dicta ſunt. Ibi enim hanc controuerſiam abunde diſſoluimus. Iam verò quis (modo ambitioſè contentioſus non ſit) his verbis non conuincatur: Tempus igitur vnà cum cœlo ortum eſt, vt ſimul nata, ſimul etiam diſſoluātur, » ſi quando ipſorum vlla futura eſt diſſolutio. Non enim dixit, Tempus vnà cum » cœlo oritur, ſed, Vnà cum cœlo ortum eſt: vt primum initium ſignificaret, quo eſſe cœpit. Atque quòd hoc ſignificare velit, apertè indicat, cùm ſubiūgit, Vt ſimul nata, ſimul etiam diſſoluantur. Nam quod natum eſt, & initium aliquod habuit, quo eſſe cœpit, omnino, quantum in ipſa natura ſitum eſt, interire debet. Nam quicquid ortum eſt, manet interitum: vt ipſe in Phædro inquit Plato, vt id quod à nullo temporis initio eſſe cœpit, omnino ſine fine & interitu futurum eſt. Nam quod eſſe non cœpit, neq; eſſe vnquam deſinere poſsit. Mundus autem de Platonis ſententia eſſe cœpit. neceſsariò igitur deſinet, quantum in ipſa naturæ ratione ſitum eſt. Quoniam igitur principium quo eſse cœperit, Mundo tribuit Plato, meritò id conceſsit, quod ex naturæ ratione neceſsariò conſequebatur, quanuis vinculo firmiore, quàm eius ſit natura, nempe Dei voluntate ipſum indiſsolubilem manere conſtituat.

VERVM qui omnia in ſuam ſententiam detorquere ſtudent, neq; veritati ſuam ipſorum mentem accommodare moderatione quadam ſtudioſè conantur, cùm oporteat, ſi hac duntaxat in re Plato non bene ipſis ſentire videretur, eos precatos veniam, omnium ſermone tritum illud ſibi accinere: Amicus » quidem Plato, ſed amica magis veritas. Id quod hercle ipſe etiam Platonis di- » ſcipulus Ariſtoteles, & alii nonnulli fecerunt. Verùm, inquam, qui parum admodum ſuæ conſcientiæ pudore, & veritatis ſtudio tanguntur, nullum, quod prouerbio dici ſolet, rudentem non mouent, dum huius viri autoritatem in ſui erroris patrocinium trahant. Nam eorum, qui in Platonem Commentaria ſcripſerunt, nonnulli, in quorum numero ſunt Platonicus Taurus, & Phœnix Porphyrius, quos ſequutus eſt Proclus, Mundum à Platone ortum dici confitentur: non ita tamen ortum, vt ab aliquo temporis principatu eſse cœperit: ſed alio ortus & generationis modo. Multis enim modis ortum dici volunt. Ne autem ipſi, quæ illorum ſunt, néue vllum ortus ſignificatum prætermittamus, ipſa Platonici Tauri verba proponam. Permultas enim vir ille in ortu ſignificationes commentus eſt. In Commentariis enim, quos ſcripſit in Timæum, hæc habet ad verbum: Cùm in quæſtionem vocetur, an non ſecundum Platonem or- » tus ſit Mundus, varios ſe in hac ſententia Philoſophi exhibuerunt. Ariſtoteles » enim ſcribit Timæum dicere, Mundum eſse ortum, quòd Timæus, natum eſse » profiteatur. Nam eius circunfertur opus de vniuerſitate, vt ſubiecta procreatio- » ni. Fortaſse autem quia tale quid dicat Platonis Timæus, ortum dicit eſſe Mun- » dum. Atqui Theophraſtus quoque in lib. de Phyſicis opinionibus, tradit Mun- » dum ex opinione Platonis ortum eſſe. Et hoc propoſito aduerſus eum inficia- »

VIII.

« tiones instituit. Verùm inserit, quòd fortasse perspicuitatis ergò ipsum ortum « esse constituit. Et alii item nonnulli protulerunt, Mundum secundum Plato- « nem generatum fuisse. Alii tamen ex eiusdem opinione non ortum fuisse asse- « runt. Nam qui ortum esse aiunt, cùm alia multa, tum verba hæc persequuntur, « quibus scribit: Ortus est. Quandoquidem cernitur & tangitur. Distinguendum « est autem quot modis oriri intelligatur. & ita intelligemus, quòd Plato Mun- « dum ortum esse dicit, non ea significatione, qua nonnulla orta esse dicimus, « quia ab aliquo temporis principio constiterint. Hoc enim est, quod per multos « fefellit, quando verbum, *Oriri*, in hac significatione enuntiari putant. Dicitur « itaq; oriri quidpiam, quod nunquam quidem ortum sit, in eodem tamen gene- « re sit, cum iis, quę oriuntur. Sic videri dicimus, quòd nec visum sit, nec videatur, « nec videbitur, sed in eodem sit genere, cum iis, quæ videntur: vt si quod sit in ter- « ræ centro corpus. Dicitur etiam oriri, quod cogitatione compositum est, etsi « nunquam compositum fuerit. Sic media chorda ex ima & summa composita « esse dicitur: etsi composita non sit, in ea tamen cernitur vis vnius ad alteram. Si- « mile quid in floribus & animantibus esse videtur. In Mundo igitur compositio « & temperamentum conspicitur. Vnde cùm ab eodem qualitates subducimus & « separamus, ipsum in primum subiectum dissoluere possumus. Dicitur etiam or- « tus esse Mundus, quia in eo semper est vt gignatur, vt Proteus, cùm in omnes « formas ac vultus conuertitur. In Mundo enim tum terra, tum ea, quæ à terra « ad lunam vsq; pertinent, continuò commutantur, & in se mutuò conuertuntur. « Quæ autem supra lunam sunt, subiecto quidem eadem propemodum manent, « exiguam admodum mutationem subeuntia, vultum tamen ac speciem mutant. « Quemadmodum saltator cùm subiecto vnus sit, & idem, mutatur tamen in va- « rios vultus, certo quodam manuum gestu, atq; motu. Cœlestia igitur immutan- « tur, & ipsorum conspectus varii efficiuntur, tum in errantium motibus, cum iis « quæ non errant, & vicissim non errantium cum errantibus. Ortus etiam dici « posit, quia aliunde ipsi tributa sit essentia, nempe ab ipso Deo, à quo exornatus « est. Sic secundum eos, quibus cœlum apertè sempiternum est, luna exortum à « sole lumen nacta est, nunquam fuit tamen, cùm non ab ipso illustrata fuerit. His- « ce igitur significationibus, si quis, secundum Platonem, Mundum ortum esse di- « cere velit, confidenter dicat. Qua significatione autem tempus aliquod signifi- « catur, & quod cùm priùs non esset, posteà ortus sit, non item. Ipsemet autem in- « dicat quomodo debeat intelligi, quod dixit: principium nullum habens, quo ab « aliquo initio ortus esse dicatur. Verba enim *Nullum*, & *Aliquo*, ostendunt quòd « Plato principium non temporis accipi vult: vt dicimus Ephorum historiæ ini- « tium sumpsisse in Heraclidæ descensu. Alii autem aliud initium esse aiunt ab « ipso opifice. Nam effector principium est: exemplum item, & materia. Verùm « hoc non propriè principium dici posit. Rursus, non dixit & corpus est, sed & « corporatus est, indicans quòd in eo, quia huiusmodi est naturæ, nempe corpo- « reæ, cuius essentia in eo est, vt gignatur, ortus dici posit. Hæc igitur sunt, quæ « ille vir, quem citauimus, protulit. Tertiæ autem & quartæ significationi Pro- clus assentitur. Sic enim vult Platonem Mundum ortum dixisse, non quòd ab

vllo initio esse cœperit,sed quòd in gignendo essentiam suam nactus sit.Et præterea,ortum esse,quia à Deo procreatus sit, & non ipse sui ortus, & suæ naturæ sit causa.Id quod est,causę ratione oriri.Porphyrius autem pręter eas,quas Taurus enumerauit,alias etiam addit ortus significationes. Tradit enim id etiam oriri dici,quod ortus rationem suscipit, etsi nunquam sit ortum:vt nomina & syllabæ,quia dissoluuntur in elementa,& ex elementis componuntur.Et vt delineationes figurarum,quemadmodum rectis lineis constantes figurę,ratione in triũ angulorum figuras dissoluuntur,& ex iisdem componuntur.Perspicuum est verò, quòd hoc cum eo concurrit, quod ex materia & forma componitur. Nam quod ad hunc modum ortum est,tanquam id,quod non simplex est,sed compositum ex materia & forma,ad eum modum,quo figurarum delineationes,ortũ esse dicitur. Nam quia cogitatione intelligi possunt nonnulla ambobus simpliciora , ex quibus ipsorum compositio facta intelligitur , & in quæ dissoluuntur, ideo orta esse dicuntur,ad eorum distinctionem,quæ modis omnibus sunt simplicia,& nullam compositionis conceptionem admittunt. Quare vt vnum ambo sumenda sunt. Et hac ratione fortasse huius significationis alter interpres ne meminit quidem.Prætereà, dicit Porphyrius ortum id etiam dici, quod per ortum & per ipsum gigni suam naturam & essentiam consequitur : vt domus, vt nauigium,vt stirps,vt animal.Quomodo fulgurationem,& plausum,& quęcunque repente in natura comparent & desinunt,non orta esse dicimus. Nam quæ huiusmodi sunt omnia,vt etiam Aristoteles tradit,sine ortu in naturam producuntur, & sine interitu , eò vt nulla sint commutantur. Atque perspicuum est, quòd nemo Mundum hoc modo ortum esse statuerit:quasi per ortum & procreationem ad essentiam,& naturam suam prodierit.Nam vnà cum conceptione Deus omnia in naturam, & substantiam protulit. Quare nihil hac significatione in examinanda Platonis sententia indigebimus.Postremò,Porphyrius tradit ortum dici,quod omnibus notum,& omnium sermone vulgatum est:quod ab aliquo temporis initio , ita esse cœpit, vt priùs nullum esset. Quo significatu dicit à Platone Mundum ortum esse,non dici. Quare quatuor supersunt significationes reliquæ : Quòd est in genere eorum, quæ oriuntur, etsi nunquam sit ortum : Deinde , quòd tanquam compositum ex materia & forma, ortum est. cui significationi maximè Porphyrius assentitur. Tum quòd in gignendo naturam suam consequitur:Postremò,quod ratione causę ortum est.Operępretium autem me facturum esse puto,si vnamquanque harum significationum in medium prolatam excusserimus,vt perspiciatur,an fieri posśit, vt Platonis sententiæ sint consentientes.His enim omnibus confutatis,superest,vt temporis ratione,Mundus à Platone ortus esse dicatur,quanuis id ipsi nolint.

QVOD igitur prima hypothesi ortum esse dicitur, hoc est, quod in genere est eorum, quæ oriuntur , etsi ortum nunquam sit , tale quid mihi esse videtur, vt si quis in genere corporum quidpiam esse dicatur , etsi corpus non sit: & quidpiam in genere esse substantiæ , etsi substantia non sit. Quo quid risu maiore excipiendum dici posśit ? Genera enim nomine & definitione de sibi subiectis enunciantur.Quemadmodum enim homo,quia in genere est animan- IX.

tium, animans est: & lapis, quia in genere est corporum, corpus est: sic necesse est, quod in genere est eorum quæ videri possunt, videri posse: & quod in genere est ortus capacium, ortus esse capax. Quòd si prorsus fieri potest vt quidpiam quod ortum non sit quidem, actu sit tamen, & reipsa in genere sit eorum, quæ oriri possunt, cuiusmodi Mundum esse aiunt, fieri certè potest, argumento conuersionis cum oppositione, vt quidpiam, quod in genere non sit eorum, quæ oriuntur, ortum sit. At verò quod in genere non sit eorum quæ oriuntur, id oriri nullo modo potest. Ortum est igitur aliquid, quod oriri non potest. Quare si hæc fieri non possunt (nam hoc modo idem ratione eiusdē, rationem simul subiret oppositorum) fieri certè non potest, vt quicquā in genere sit eorum, quæ oriuntur, & non ortum sit. Huic enim illud erat cōsequens. Ceterùm, aliter etiam ad eandem absurditatem compellere possumus orationem. Nam si Plato ortum non orto opposuit, dum inquirebat, Sítne Mundus eorum, quæ oriuntur, an verò eorum quæ nunquam orta sunt, & cùm ortum esse concessit, sic ortum esse intellexit, vt isti volunt Philosophi, nempe quòd in genere sit eorum, quæ oriuntur, etsi ortus nunquam sit, sanè non ortum ipsi significabit, quod in genere est eorum, quæ non oriuntur, etsi non ortum neutiquam sit. Idem igitur non ortum erit (vt quod in genere sit eorum, quæ non oriuntur) & contrà, neutiquam non ortum, quia ortum sit & generatum. Contradicentia igitur in eodem & ratione eiusdem simul verè enuntiabuntur. Verùm hæc risu magis, quàm refutatione digna esse cēseo. Nam corpus quod ad terræ centrum iacet, cùm in genere sit eorum, quæ videri possunt, omnino per naturam eiusmodi erit, quòd posit videri. Nam etsi nunquam visum sit, non ideo quia natura aptum non sit videri, non videtur, sed propter obiecta solida corpora, quæ ipsum occultant, & visui adimunt. Penetrare enim per ea, quæ translucida non sint, acies nostra non potest. Quandoquidem si incumbentia corpora, quæ ipsum obscurant, sublata fuerint, perinde atque reliqua cerni & videri poterit. Adde, quòd si quis, vt in fabulis est, Lyncis oculos nanciscatur, ita vt facilè subter per ipsam terram radiis oculorum demissis speculetur, omnino ipsa etiam videbit, quæ ad terræ centrum collocata sunt corpora. Quare si mundus & reipsa est, & in genere est eorum quæ oriuntur, omnino est necesse, ipsum ortum fuisse: etsi nobis initium ortus eius comprehensum non sit, non quòd à natura sua ortum non sit (Nam hoc modo in genere esset eorum, quæ non oriuntur, non eonrm autem, quæ oriuntur) sed ideo, quia nostra cognitio ea tantùm comprehendit, quæ præsentia sunt. Et aliòqui quod visibile est, non eò visibile esse dicitur, quia videatur, sed quia videri aptum sit. Nam videri in habitudine ad ea, quæ vident, euenit: hac ratione etsi contigerit quidpiam visibilium nunquam videri, quia in terræ centro sit collocatum, nihilominus habebit vt sit visibile: Non enim ideo non videtur, quia natura videri non sit aptum, sed propter obiecta corpora, quæ ipsum obscurant. Vnde videbitur protinus, si impedientia corpora sublata fuerint, & adsit quod videat. Quare fieri potest, vt quidpiam videri posit, nunquam tamen videatur: Neque enim idem est videri posse, & videri. Fieri autem non potest, vt quicquam oriri posse dicatur, quod neque

que ortum ſit, neque oriturum. Neque enim in eo, quod aptum ſit ſolùm oriri, id quod ortus naturæ eſt particeps, habet, vt huius naturæ particeps eſſe dicatur, ſed omnino, quod aut ortum ſit, aut oriturum. Ipſi enim ad id, vt ſit, via eſt ipſe ortus. Fieri itaque nequit, vt id quod neque ortum eſt vnquam, neque nunc gignitur, neque natura aptum eſt, vt vnquam gignatur, ortum aut ſit, aut dicatur. Omnino igitur eſt neceſſe, vt qua ſignificatione Mundus ortus eſſe dicitur, eadem prorſus ortus fuerit. Fieri enim non poteſt, vt ortus quidem ſit. Qua autem ſignificatione ortus dicitur, neque ortus fuerit, neque oriatur, neque ſit oriturus. Neque enim omnino ortus eſſet. Si igitur qua ſignificatione ortus eſt Mundus, eadem procreatus non fuit, omnino eſt neceſſe, neque nunc gigni, neque eſſe oriturum. Neque enim nunc hoc modo, aliâs autem aliter affectus fuit Mundus. Quare ſi non ortus fuit, ita vt ortus eſſe dicitur, neque omnino orietur. Quòd ſi neque orietur, neque ortus fuit, ortus dici non poteſt. Fieri igitur nequit, vt quicquam ortum eſſe dicatur, quod ortum non fuit, quatenus ortum eſſe dicebatur. Ad extremum autem præter omnia, illud quoque videndum eſt, quòd neq; abſolutè Plato Mundum ortus capacem eſſe dixit, ſed vbique ortum eſſe de eo enuntiauit. Vt cùm dicit: Nos autem de „ vniuerſo verba facturos, ortúmne ſit, an non ortum. Et iterum: Vtrum ſem „ per fuerit, ita vt ortus ſui initium nullum habuerit, an verò ortum ſit, ita vt ab „ aliquo temporis principatu eſſe cœperit. Ortus eſt: quandoquidem cernitur & „ tangitur, & eſt vndique corporatus. Et iterum: Tempus igitur vnà cum cœ- „ lo ortum eſt, vt ſimul nata, ſimul etiam diſſoluantur. Atque vbique ad hunc „ modum loquitur. Quòd ſi Plato ipſum apertè ortum fuiſſe pronuntiat, nónne palam illi contradicunt, qui ortum ideo eſſe aiunt, quia in genere ſit eorum, quę oriuntur, nunquam tamen ortum fuiſſe: vt interim omittam, quòd in rem abſurdam huiuſmodi hypotheſin abduci docuimus. Prima igitur ortus ſignificatio, ad hunc modum nobis refutata eſto.

SECVNDA ſignificatio in eo erat, quòd cogitatione compoſitum eſt, X. etſi tempore nullo compoſitum fuerit. Nam cùm corpora omnia ex corpore & forma compoſita ſint, non quia vllo tempore, cum forma materia coierit, compoſita ſunt. Nunquam enim formis nudatam materiam cernere aut inuenire licet: neque verò formæ, quæ in materia cohærent, ipſæ per ſe extra materiam conſtare viſuntur: ſed vna cogitatione ſimplicia cognoſcuntur. Hac enim ſola in ſubiectum & ſpeciem corpora retexuntur, & rurſus ex his componuntur. Sic igitur Mundum ortum eſſe dici volunt, quia cogitatione poſſumus ipſum, in ea ex quibus componitur, diſſoluere, in primum ſubiectum, & ipſi inhærentes qualitates. Atque huic ortus ſignificationi maximè aſſentitur Porphyrius. Ad verbum enim in Commentariis in Platonis Timæum, hæc habet: Qui igitur Mundum temporis ratione ortum eſſe negant, ſed aliter Pla- „ tonem ortum dicere contendunt, neceſſariò ortus ſignificationibus enumeratis, „ inquirendum ducunt, cui ſignificationi conueniat confirmatio, qua ortum eſſe „ conficit. Nam niſi ipſum ortum eſſe confirmauiſſet, incertum erat futurum, „ quomodo ortum eſſe de Mundo enuntiauerit. Quod demonſtrationem ſub- „

" iungit, quòd ortus sit, cui ortus significationi competit illa probatio, in illa asse-
" rit omnino ortum esse Mundum. Cui autem significationi non respondet, illam
" omnino auersatur & reiicit. Neq; enim tam emotę mentis Platonem existima-
" re debemus, vt perperam cohærentia, & quæ conclusionem non efficiant, ad-
" sumpserit. Hæc vbi dixit Porphyrius, & propositas ortus significationes enu-
merauit, scribit Mundum à Platone ortum dici, quia ex materia constet, & for-
" ma. Eius autem verba sic habent: Mundum igitur ea significatione ortum dici
" aio, qua ortum propriè enuntiari docuimus, nempe in eo, quòd ex materia
" constet & forma, ad quod confirmandum præmissa à Platone axiomata accō-
" modata esse docebimus, si priùs huic significato demonstrationem quadrare o-
" stenderimus. Nam si quid cernitur, & tangitur, & corporatum est, id triplicem
" dimensionem admittit, cum renitentia, & in molem ac tumorem diffusum est,
" idq; non simplex est, sed compositum ex materia & forma. Hæc Porphyrius.

XI. ADVERSVS hos omnes dicendum est: primùm, quòd quæ aliarum significationum propria sunt vocabula, aliis significandis imponere, reiectis propriis & consuetis adpellationibus, nimiæ est libertatis, & licentiæ. Ipsos enim oportuit, siquidem hoc verum est, docere, vbi vnquam Plato ortum ad compositionis significationem transtulerit. At verò neq; communis hominum consuetudo, quando compositum quicquam dicere voluit, compositi loco, ortum vnquam vsurpauit. Nouit enim communis vsus, quòd aliud per ortum significatur, & aliud per compositum. Neque verò ex vllo alio veterum, quod sciam, aut ex vllo Oratore fidem nobis facere posit, vllum apertè compositi vocem ad ortum traduxisse. Nam Aristoteles cùm in Primo de cœlo, eius quod oritur, & eius quod non oritur, significationes enumerat, nusquam quod ex materia & forma compositum est, ortum dici significauit, & non ortum esse id, quod simplex est & incompositum, vt alibi viri huius sententias excutientes, docebimus. Quis igitur non absurdum esse censeat, tam facilè consuetum verborum vsum ad id traducere, quod ab omni loquendi consuetudine est abhorrens, & tum Platoni, tum vniuerso hominum generi inusitatum? Et aliôqui maximum crimen Platoni inferunt, quòd non ortus significationes priùs distinxerit, deinde qua de significatione verba faceret, explicarit: siquidem non omnium vsu tritum significatum, sed externum & peregrinum adsumpsit. Nam hoc eximiè captiosum esse anteà docuimus. Attamen, vt hæc omnia negligamus, & concedamus ipsis, ortum præter alia, quæ significat, compositum ex materia & forma etiam significare, omnino est perspicuum, quòd cùm initiò propositum sibi scopum explicaret, cùm diceret se in vniuersi quæstione inquisiturum esse, ortúsne sit Mundus, an verò careat ortu, nihil aliud dicebat, quàm se inquisiturum esse, simpléxne sit Mundus, an ex materia & forma concretus. Nam si ortum esse hîc, apud Platonem compositum esse significat, certè non ortum, non compositum necessariò significabit. Quando igitur problema ipsum proponebat, Mundúsne semper fuerit, ita vt à principio nullo esse cœperit, an verò sit ortus, ab aliquo exorsus principio, hoc certè inquirebat, quod initiò definiuit, Simpléxne sit Mundus, an ex materia & forma compositus. Quare illud, Sempérne fuerit, pro, simpléxne

plέxne ſit, erit translatum, propter eximiam illam in commutandis nominibus libertatem. Nam quod initiò dixit ſibi ad diſquirendum propoſitum eſſe, Ortúſne ſit Mundus, an non ortus (hoc enim progreſſus inquiſiuit, cùm dixit, Sempérne fuerit, an verò ſit ortus) ſemper eũ pro ortum non eſſe vſurpauit. Si igitur ortum eſſe, compoſitum eſſe deſignat, & ideò non ortum, ſimplex, & non compoſitum ſignificare debet, & pro non orto ſemper eſſe vſurpauit Plato, certè apud ipſum ſemper eſſe, non compoſitum eſſe ſignificabit. Verùm quæ neceſſitas eò Platonem adegit, vt tam ineptè verbis abutatur, cùm oporteat eum, qui paucis & propriis dictionibus animi ſui ſenſum exprimat, dicere, ſimplέxne ſit Mundus, an ex materia & forma compoſitus. Quis enim vnquam mortalium pro ſimplici, & non compoſito, ſemper eſſe vſurpauit? Verùm hoc conceſſum eſto: & nos pro ſimplici & non compoſito, ſemper eſſe dicamus, & pro componi, oriri, vt nouis iſtis viſum eſt verborum impoſitoribus. Tota ſententia erit huiuſmodi, Mundúſne ſimplex ſit, compoſitionis principium nullum habens, an compoſitus fuerit, ab aliquo exorſus principio? Verùm ne ſic quidem veritatem occultare potuerunt. Nam ſi hoc ſolùm in quæſtionem Platoni propoſitum erat, ſimplέxne ſit an compoſitus, quid ſibi vult, quod ipſe proponit, ortus initiũ nullum habens? Et rurſus, cur cùm dixit, Ortúſne ſit, adiunxit, ab aliquo exorſus principio? Satis enim erat dicere: ſempérne fuerit, an ortus ſit. Cùm igitur ſciſcitatur, vtrum ita vt ſemper ſit, hoc eſt, ſimplex principium ortus, hoc eſt, ſecundum ipſos, compoſitionis nullum habet, an verò ortus fuit, hoc eſt compoſitus, ita vt ab aliquo principio eſſe cœperit, & ortum eſſe reſpondet. Ait enim: Ortus eſt: nempe ab aliquo exorſus principio, Mundum certè compoſitum fuiſſe dicit. Nam hoc totum interrogauit, Ortúſne ſit, ab aliquo exorſus principio. Et reſpõdit, ortus eſt, nempe ab aliquo cœptus principio. Quare Mundi compoſitionem ab aliquo principio cœpiſſe confeſſus eſt Plato. Quod eſt naturam eius atque eſſentiam eſſe cœpiſſe. Dictum eſt enim, quòd in iis, quæ ex materia conſtant & forma, vna cogitatione compoſitorum partes ſimplices intelliguntur. Nõ enim opifex materiam & formam priùs ſeorſim productas, in vnum deinde compoſuit: ſed vnà cum ſimplicibus, quod ex ipſis iunctum eſt, ſimul produxit in naturam. Eorum enim, quæ ad ſe mutuò referuntur, & ſub eandem rationẽ cadunt, ſunt materia & forma, nec vnum ſine altero eſſe poteſt. Quare ſi Mundi compoſitionem cœpiſſe dicit, vnà autem cum compoſitione, tum ſimplicia, tum quæ ex ſimplicibus componuntur, Deus in naturam producere ſolet, ſanè cùm Mundi compoſitioni initium tribuit Plato, eius quoq; eſſentiam à principio cœpiſſe tradit. Neq; enim aliud eſt ipſum Mundi eſſe, quàm eius compoſitio. Sed ſimul ac in rerum natura compâret, etiam compoſitus eſt.

SI quis autem principium hoc in loco, & cœpiſſe, non in tempore dici intelligat (temporis autem initium dico, vt ſæpe dictum eſt, non quod in temporis parte factum ſit, cùm iam tempus præceſsiſſet, ſed quod cum tempore eſſe cœperit, cùm priùs non eſſet) in cauſa principium intelligere modis omnibus eſt neceſſe. Nam etſi aliqua alia ſit principii ſignificatio, nihil tamen ad hanc diſputationem nobis conferet. Quare in iis curioſiùs immorari, erit ſuperuacaneum, XII.

In omni autem eo quod gignitur, ſex ſecundum Platonem ſunt cauſę, Materia, Forma, Efficiens, Exemplum, Inſtrumentum, Finis. Nam in domo ædificanda efficiens eſt ipſe architectus, exemplum autem ratio, quæ eſt in ipſo architecto, ad quam domum ædificat: Materia, lapides & ligna: Forma, ipſa domus figura: Inſtrumenta, regula, libella, ſcalpellum, & reliqua: Finis, vſus, propter quem excitata eſt domus, nempe vt ab imbribus & caloribus defendat. In nullo horum, opinor, hîc principium intelligere poſſumus. Vtrum enim, inquit, fuerit ſemper ortus, principium nullum habens. Nam perinde ac ſi eius quod ſemper eſt, conſequens ſit, ortus principium nullum habere, vbi dixit, ſempérne fuerit, ſubiecit, Ortus principium nullum habens. Cùm igitur pro compoſitione ortus vſurpetur, & ſemper eſſe pro ſimplici, & non compoſito, & principium non temporis intelligatur, ſed aut per efficientem cauſam, aut per aliquod aliud reliquorum principiorum, eueniet, vt nullum ſimplex & non compoſitum è compoſiti principiis vllum obtineat. Porrò, compoſiti principia ſex ſunt, quæ enumerauimus. Nullũ igitur ſimplex neq; formam habebit, neq; exemplum, neq; finem, neque cauſam efficientem. Quare eorum tantùm, quæ ſentiuntur, effector eſt Deus, & in his ſolis formæ ſpectantur. Nulla igitur rationis compos anima, neque formam, neque exemplum habebit, neque efficientem cauſam, neque finem: neque verò reliquorum quicquam, quæ mente & intelligentia concipiuntur. Rurſus, ſi principium eorum, quæ dicta ſunt, quicquam Platoni ſignificat, quid ſibi vult, quod ait, an órtus ſit, ita vt ab aliquo principio eſſe cœperit? Quare enim vnitatis numero ab aliquo principio dixit? Nam ſi compoſiti cauſas per principium ſignificare voluit, hæ autem etiam in Mundi compoſitione ſecundum Platonem ſunt complures, nempe quæ enumeratę ſunt omnes præter inſtrumentum. Inſtrumento enim ad naturam rerum procreandam Deus nihil indiget. Cur igitur tandem numero multitudinis in eo, quod ſemper eſt negatione principii vſus, cùm dixit: Quod ſemper eſt, nullum habere ortus principium. In eo autem, quod oritur principium protulit numero vnitatis, ídque cum infinita particula, *Aliquo*, quando dixit, Ortúſne ſit, ita vt ab aliquo principio eſſe cœperit, cùm multitudinis numero dicere debuerit, vt ab aliquibus principiis eſſe cœperit: quandoquidem plura ſunt (vt Platoni etiam videtur) principia, quæ compoſitarum rerum cauſas continent, quæ nos enumerauimus. Quandoquidem ridiculum eſt eum, qui Ortum eſſe, pro, Compoſitum eſſe, vſurpauerit, inquirere, an quod compoſitum eſt, ex ſimplicibus quibuſdam componatur. Perinde eſt enim, ac ſi quis quærat, an compoſitum ſimplex non ſit, ſed compoſitum. Rurſus, quid ſibi vult verbum, *Cœpiſſe*. Nam ſi tempus hîc non deſignat, ſupereſt, vt ipſum quoque hîc pro, compoſitum eſſe vſurpetur, vt tota Platonis ſententia ſit huiuſmodi: an compoſitus eſt, ab aliquo concretus principio. Quiduis enim, vt mihi quidem videtur, citius Platonem dicere concedant, quàm genuinam & ſimplicem eius ſententiam admittant. At verò nihil compoſitum ex aliquo componitur, ſed ex aliquibus. Quomodo igitur dixerit, an ab aliquo principio eſſe cœperit, pro, an compoſitus? Sinautem principium hîc ſolam efficientem cauſam quiſpiam accipere velit, certè cùm dicit, ſempérne

ne fuerit nullo generatus ortus principio, principium iterum efficientem causam intelligemus. Et rursus, vt consequens eorum, quæ semper sunt, assumens Plato, nullum habere efficiens principium, ea sola, quæ sentiuntur, ab efficiente causa procreata esse censet. Eorum autem, quæ intelligentia comprehenduntur, nihil. Vnde efficitur, eorum tantùm, quę sub sensum cadunt, efficientem esse Deum. Quæcunq; autem intelligentia comprehenduntur, quod ad causarum rationem attinet, ea esse sine principiis. De quorum numero noster est animus. Quòd si hæc absurdè dicuntur, sanè ab aliquo principatu cœpisse, non vllius causæ ratione sumpsit. Quare Mundum à tempore esse cœpisse, voluit Plato. Nam si, vt egregiè sensit Porphyrius, nullus vsqueadeò mentis est emotę, vt dicat Platonem propositionibus malè cohærentibus, & nihil conficientibus esse vsum: multò certè magis is sensu caruerit, qui Platonem eas hypotheseis adsumere putarit, quas sexcenta partim risu digna, partim quauis absurditate absurdiora cōsequuntur, præterquàm quòd impropriis, & ambiguis vocibus eum dicit esse vsum, quas in suas significationes non distinxerit, atq; adeò consueto & recepto significatu neglecto, ad alios Græcis hominibus prorsus ignotos, voces ipsas traduxerit. Ad eas enim mirandæ hæ hypotheses Platonem compulerunt. Ortum igitur esse, non ex materia & forma compositum esse Platoni significat: neq; ortus initium in his aliud vllum, quàm temporis intelligere possumus.

PORRO, quòd principii nomen hoc in loco temporis initium apud Platonem significet, ex iis didiceris, quæ alibi de Mundi compositione ab ipso dubitando dicta sunt. Nam in Sexto de legibus hæc eius sunt verba: Rectè siqui- » XIII.
dem hoc saltem omni persuasum homini esse debet, quòd hominum ortus aut »
nullum omnino principium accepit, neque finem vnquam est habiturus: sed & »
semper erat, & omnino est, & futurus est. Aut si quando esse cœpit, principii »
quædam longitudo, à quo esse cœpit, immenso iam ante nos tempore pręcessit. »
Idem in Epinomide, de iis omnibus, quæ in cœlo sunt, hæc etiam dicit: Arbitrari »
autem decet omnia quæ in cœlo sunt, animantium genera hæc esse. Quod sanè »
diuinum imprimis astrorum genus, ortum fuisse dicere debemus, corpus quidē »
nactum pulcherrimum, animam autem beatissimam simul & præstantissimā: »
è duabus tamen sortibus alteram his tribuendam esse propemodum ducere de- »
bemus. Nam aut ab interitu alienum, & liberum mortalitate vnumquodq; ipso- »
rum esse & diuinum prorsus & necessariò, aut certè diuturnam aliquam vitam »
habere, quæ cuique horum ad viuendum satis sit, & qua longiore non indigeat. »
In his igitur si vt hæsitans dicit, quod è duabus conditionibus alteram oportet »
arbitrari, tum in hominum ortu, tum in eorum omnium, quę in cœlo sunt. nempe aut nullum prorsus ortus principium accepisse, & ob id neq; finem esse habitura, sed tum fuisse semper, tum semper esse futura: aut certè principii certam esse longitudinem, ex quo procreata sint. Et inde tempus immensum præcessisse, cum cœlestia vitam diuturnam obtineant. Quod postquàm vt cōtrouersum hic proposuit, id sine solutione missum fecit. quia ipsi in disputatione de legibus propositum non erat, de Mundi ortus natura disserere. Cùm autem hoc ipsum in Timæo iterum in disquisitionem vocauisset, sempérne fuerit nullo generatus

ortus principio, an ab aliquo temporis principatu ſit ortus? reſpondit & ortum eſſe Mundum, & ab aliquo principio eſſe generatum. Palam eſt igitur & cuiuis perſpicuum, quòd de quo principio in legibus dubitauit, cùm iterum de eodem dubitauiſſet, hoc principium Vniuerſi ortum eſſe confirmauit. Quòd ſi in legibus apertè dubitauit, an temporis principium habuerint, tum cœleſtium, tum hominum ortus, non dubium, quin in Timæo à temporis principatu exorſum Mundum eſſe dicat, cùm generatum eſſe pronuntiat. Quòd autem Plato cùm Mundum temporis principium habere dixit, non malè cohærentia concluſerit, vt Porphyrio videtur, paulò pòſt confirmabitur.

XIIII. QVI autem Platonici acuminis eſſe poſsit, vt cùm theorema adeò euidens, & omnibus notum ſit, qui vel minimùm in naturæ inquiſitione verſati ſint, atq; adeò Phyſicis, qui ipſum præceſſerunt, omnibus confeſſum, quòd corpus omne ex ſubiecta materia conſtat & forma, etſi quid horum eſſet vtrunq;, inter ipſos fuerit controuerſum: tamen quaſi nouum aliquod nobis problema eſſet ſoluturus, in eo hæſitaret Plato, & deos deáſque omnes inuocaret, vt ſibi ad huiuſce inuentionem eſſent auxilio, nempe, Mundúſne compoſita res ſit ex materia & forma, an non: ſed ſimplex & ſine vlla compoſitione? Quare autem vt in Vniuerſo quæſtionē inſtituit? Neq; enim Vniuerſi proprium eſt hoc problema, quatenus Vniuerſum eſt, hoc eſt Mundi, an is ex materia & forma coagmentatus ſit, ſed cuiuſuis etiam corporis, quod ortum ſit, & ſubiectum interitui, vt huius aquæ, & huius terræ. Quòd autem hoc verum ſit, teſtis eſt ipſemet Porphyrius. Nam vbi dixit ortum dici Mundum tanquam ex materia & forma compoſitum, longiùs progreſſus, & hæc Platonis verba exponens, cùm adſumpſiſſet Deus quicquid erat aſpectabile, neq; quietum erat, ſed temerè & ſine ordine mouebatur, ad verbum hæc habet: « Non idem eſt Mundi effectio & corporis natura atque cohærentia. Neque eadem ſunt corporis, & Mundi principia: ſed vt Mundus generetur, corpora eſſe, & ea vnum eſſe oportet. Vt autem corpora generentur, materiam eſſe eſt neceſſe, & Deum & omnino id, quod gignitur. Atque aliud quidem, vt corporata fiat materia. Aliud autem, vt quæ corporata ſunt, in ordinem digerantur. Hæc autem ſemper ſunt vnum omnia & nullo tempore diſtincta. Verùm doctrina hęc neceſſariò diſtinguit, vt immiſtum id eſſe doceat, quod gignitur. Corporis enim principia, ſitus. Materia autē & figura: quæ oratio progreſſa, docebit, vt ex quibus à Deo in naturam productis corpora conſtiterunt. Mundi autem ſunt principia, quæ iam in naturam producta ſunt corpora. Et Deus eſt, qui ipſa digerit in ordinem. Et paulò pòſt: Quòd autem non idem ſit Platoni corporis & Mundi compoſitio, & quòd nunc non materiam ipſam adſumit, ſed quæ ex materia effecta ſunt corpora, argumento erit, quòd aſpectabilia dicit eſſe ea, quæ adſumpta ſunt. Aſpectabilia autem, quid aliud eſſe poſsint, quàm corpora? Rudis eſt autem & informis per ſe materia, & quæ ſpuria cogitatione vix comprehendatur. Præterea, quod longiùs progreſſus ortum oſtendit corporum, quanuis hîc Mundi coagmentationem docuerit. Verùm à Mundi procreatione ad corporis ortum redit. » Si hæç igitur & verè & ex Platonis ſententia dicuntur à Porphyrio, quomodo non hæc priùs intellexit, cùm Mundum

dum ortum esse dicebat,vt ex materia & forma compositum, Mundi composi tionis materiam , & formam non esse principia , sed quæ ex materia & forma iam coagmentata erant corpora , quorum coagmentatio & in ordinem distributio Mundum effecit ? Quòd si Mundi principia non sunt materia & forma, sane cùm Plato quæreret , ortúsne sit Mundus, & à principio esse cœperit, non inquirebat,an ex materia & forma sit compositus.Corporum enim,non Mundi is est ortus,sicuti dixit Porphyrius.Plato autem de Mundi ortu quærere proposuerat, deinceps in corporum naturam & compositionem inquisiturus. Ipse itaque Porphyrius Platonis compulsus oratione, compendiosam reprehensionem propositæ in ortu hypotheseos nobis tradidit. Verùm non intellexit hæc mutuis sibi stare auxiliis , & quod aduersatur , effugere. Aut intellexit quidem: sed arbitratus est se latêre posse, & hoc modo fallere Lectores . Atqui sanæ mentis neminem dicturum esse puto,quòd etsi non posimus contendere Mundum à Platone sic ortum dici , vt ex forma & materia sit cõpositus , propter ea, quę nunc dicta sunt:ita tamen ortum esse dicamus,quia ex pluribus corporibus sit coagmentatus. Eorum est enim, qui nec oculos, nec vllum sensum habeant, in hoc inquirere,vtrum Mundus vnum sit corpus,& simplex,an ex pluribus coagmentatus.Nemo enim de hisce dubitat,quę sensibus euidenter accipere licet. Stulti prorsus igitur , & verè sensu communi carentes , qui in has stultas hypotheseis Platonem compulerunt. Verùm cùm hanc hypothesin satis reprehendimus,ad reliqua excutienda transeamus.

TERTIA erat ortus significatio,qua in gignendo Mundus esse & stare dicebatur,quam Proclus in Commentariis,quibus proposita loca enodauit,maxime amplectitur,in eo certè Opere, quod inscripsit, Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles,repugnans Aristoteli, qui sempiternum Mundum esse posuit,& Platonem accusat, quòd à tempore ipsum ortum essè statuat. Diximus autem , quomodo *à tempore*, in Mundo intelligatur. Quod igitur attinet ad ea,quæ de Mundi perpetuitate habet Aristoteles,ea Proclus amplectitur,verum non iure Platoni ipsum succensere tradit : quia *Ortum esse*,apud Platonem,nõ significet à principio esse cœpisse,sed semper gigni.Nam quæ supra tempus collocata sunt,& æterna,ea vniuersam simul naturam suam, » vim,& actionis perfectionem præsentem obtinere. Quæ autem sunt in tempo- » re,ea non confertam simul vitam suam præsentem habere.Si quid enim,inquit, » in tempore est , etiamsi in immensum tempus producatur , interdum quidem » est.Nam quicquid ipsius est, id in aliquo est tempore. Non enim simul constat » tempus,sed gignitur in infinitum,ac nõ interdum.Ad hunc igitur modum vni- » uersum ortum esse dicit.Non quasi sit,vt id quod semper est,sed vt id,quod per omne tempus gignitur.Semper tamen aliquando in naturam profertur secundum eam temporis partem,quę instat.Et iterum vniuersum esse dicit,tanquam quod non sibi sit causa,cur sit,sed quod ab alio in naturam educatur. Quæ quarta est ortus significatio,nempe causę ratione oriri.Sic igitur Proclus duabus posterioribus generati significationibus,Platonem dicit Mundum generatum esse duxisse. XV.

XVI. VERVM, quòd omnia quæ sentiuntur, naturam & essentiam suam in gignendo habere Plato posuerit, ipse quoq; confiteor. Nam de iis, quæ sentiuntur omnibus scribit: Alterum, quod adfert opinionem per sensus rationis expertes, quod totum est opinabile, id gignitur & interit, nec vnquam verè esse potest. Verùm hunc ortum non sine principio esse, sed initium habuisse ponit, quo esse cœperit, cùm priùs non esset. Cui Aristoteles inficiatione occurrit. Neque enim Mundum dicere in gignendo habere suum esse, conficit necessariò Platonem non dicere; hunc ortum, ab aliquo cœpisse principio. Quoniam res omnes singulæ, quæ in gignendo suam habent consistentiam, initium habuerunt, quo esse cœperint. Nam quod Mundi ortum non expertem principii esse arbitratur, ipsa « Platonis verba docebunt, Sempérne fuerit, nullo generatus ortus principio, an or« tus sit, ita vt ab aliquo principatu esse cœperit? Vides enim ipsi propositum esse, an nullo generatus sit ortus principio, an verò ortus sit, & ab aliquo principio esse cœperit. Quare principium inuestigat procreationis Mundi. Nam si absolutè per verbum, Ortus est, significare voluisset in gignendo Mundum suum esse habere, satis erat dicere, sempérne fuerit sine ortu, an ortus sit. Imò magis consentiens erat, si dixisset, An oritur? nunc autem ait, Nullo generatus ortus principio. Et statim, An ortus ita sit, vt ab aliquo principatu esse cœperit? Vbi semper cum ortu principium coniungit. Nam quod perpetuò gignitur, ortus principium nullum habet: nunc autem Mundum ita ortum esse dicit, vt ab aliquo principio esse cœperit. Quoniam enim ipsum ortum esse, quibusdam fortasse videri poterat, significare Mundum ab opifice naturam suam obtinere, ex æternitate tamẽ stetisse, cuiusmodi æterna esse dicit Plato, quę ab ipso Deo suum esse acceperint: cùm ab vllo tamen principio non sint, sed ex æternitate constent. Hanc igitur de Mundo opinationẽ depellere volens, verbo, Ortus est, addidit: Vt ab aliquo principatu esse cœperit. Vide igitur vt vtrunq; apertè docuit, tum quòd in ortu suum esse habet Mundus, tum quòd eiusmodi ortus ab aliquo temporis principatu esse cœperit. Nam per verba, An ortus sit, vt ab aliquo principatu esse cœperit. nõ « perpetuitatem ortus, sed terminum significauit. Deinde cùm subiungit: Ortus « est: quandoquidem cernitur & tangitur, & est vndiq; corporatus, omnia autem « talia sensum mouent. sensúsque mouentia quę sunt, eadem in opinatione consi« dunt, quæ ortum habere gigníq; diximus. perpetuitatem ortus rerum, quæ sentiuntur, significauit: quoniam in gignendo suam habent essentiam. Ait enim, « quæ ortum habere gigníq; diximus. Atq; hìc non temerè ortum habere & gigni coniungit: sed vt significaret iterum, quòd hoc gigni, non eorum est, quæ ex æternitate sunt, & sine principio, sed eorum, quæ à principio esse cœperunt. Ambo igitur, vt dixi, proponens, conueniens vtriq; tempus reddidit. Principio enim, quo esse cœperit, ortum esse. nam dicit: Ortus est, exorsus ab aliquo principio. continuatæ autem perpetuitati ortus & mutationi verbum, *Gigni*, reddidit. In« quit enim: Quæ ortum habere gigniq; diximus. Nam gigni præsentem productionem significat, quod perpetuæ Mundi generationi & immutationi aptè quadrat. Verbum autem, Ortus est, præteritam confectionem significat. Quod primo principio & primę Mundi hypostasi bellè conuenit. Quod autem Plato,

si quis alius recti verborum vsus peritus fuerit,& eorum inuentor,nihílq; temerè effutiuerit, quid digredi habeo necesse, vt ea confirmem, quæ clara & nota sunt omnibus? Quòd si quis Platoni obiiciat, quòd citra discrimen & delectum nominibus vtatur,vt,*Ortus est*,pro,*Gignitur*,acceperit,quid vetat nos, eandem iuris libertatem imitatos,*Gigni*,pro, *Ortum esse*,accipere? Verùm illud huic interpretationi quî conuenire posśit,ab aliquo exorsus principio?Nam quod semper gignitur,ab aliquo principio gigni cœpisse non potest.Iam verò quod principiũ dicit,à quo Mundi ortum cœpisse profitetur,an id solùm,quod essentię & temporis est principium?Neq; enim materiam,neq; formam, neq; vllum aliud principium in his intelligere possumus.Quam enim intelligentiam habebit, si dixerimus,quòd ortus est Mundus,hoc est,in gignendo, vt sit habet, à materia incipiens, aut à forma, aut ab aliquo reliquorum. Nam quid velit dicere Mundum semper gigni,& à materia ortum incipere,nisi rursus incipere,ad aliam significationem traducatur? Verùm hoc modo inquireret,an sit compositus:non autem,an in gignendo suum esse obtineat.Hoc autem nobis confutatum est.Porro,quod neq; efficientem causam principium hîc intelligere possumus,perspici iterum potest ex iis,quæ semper sunt,& non gignuntur.Hæc enim nullum ortus principium habere dicit.Quapropter efficietur,nihil eorum,quę intelligentia concipiuntur,de Platonis sententia habere causam efficientem. Quod & falsum est, & aliòqui absurdum. Hoc enim modo multa principia, ac non vnum inducere erit necesse.Atq; adeò tot,quot ea erunt quę intelligentia comprehenduntur. Vnum autem omnium esse principium in confesso est. Rursus quamobrem, si quidem in hoc inquirebat, nempe an in gignendo Mundus habet, vt sit,dixit, *Ortus est*, non autem, *Oritur*, seu *Gignitur*?Item quamobrem non dixit, *Ut a principio aliquo incipiat*, sed, *Cœperit*? Nam quod gignitur,semper gignendi principia continet præsentia,& quod est eiusmodi,semper incipit gigni, nunquam cœperat. Cur autem numero vnitatis & indefinitè dixit, cùm plura sint eius,quod gignitur, principia,& ea certa,vt suprà expositum est?Principium igitur in his intelligere nihil aliud possumus, quàm principium temporis, quo esse primum & constare cœperit. Ad hunc igitur modum nobis reprehensa sit tertia significatio.

SVPEREST, vt quartam significationem excutiamus, quæ de eo est, XVII.
quod ratione causæ gigni dicitur: An cùm Plato Mundum ortum esse dicit,ratione causæ tantùm ortum esse dicat. Cui, vt dixi, opinioni Proclus assentitur. Sic enim Vniuersum ortum, à Platone ortum dici tradit,tanquam id,quod non sit, more eius, quod semper est,neque sibi solum,vt sit,autor est & causa, sed ab alio in naturam producitur. Quare ortum esse sic à Platone dici potest, quia Mundus non sibi est causa,cur sit,sed Deum naturæ suæ causam & autorem habuit. Quin & Porphyrius cùm ea præcipua esse dixisset, cur à Platone Mundus ortus esse dicatur,quòd sit compositus,tandem longiùs progressus, ratione causæ ortum ipsum dici scribit. Cùm enim illud exponit: Hanc autem principem » esse causam ab hominibus sapientibus. & quæ deinceps sequuntur, hæc habet: » Cæterùm,si hoc præcipuum est Mundi principium, & sic gigni cœpit, vt qui »

" non fortuitò cœperit,neque ipſe à ſe abſolutus eſt,ſed à Deo prodierit,& ab eius
" ſubſtantia ſit ortus, Dei porrò ſubſtantia ipſa eſt probitas, Deus propriè ipſius
" ſit principium. Atque adeò cùm dubitaret, vtrum ſemper fuerit nullo genera-
" tus ortus principio,an ita ortus ſit,vt ab aliquo principatu eſſe cœperit,ſic intel-
" ligere oportet,quaſi dubitet,vtrum fortuitò ſic conſtiterit,vt ſui effectorem nõ
" habeat,an ab alio ſit ortus,& aliunde principium habeat,quo eſſe cœperit. Primùm igitur mirum eſt mihi, quî fieri poſsit, vt idem Plato cùm de eodẽ Mundo in vna & eadem doctrina inquirat, Sempérne fuerit, nullo generatus ortus principio, an ita ſit ortus, vt ab aliquo principatu eſſe cœperit, ſimul inquirat, tum an ratione cauſæ ortus ſit,tum, an ſit compoſitus, tum an gignendo vt ſit obtineat, tum verò per alias, quas addunt ortus ſignificationes. Verùm quod tam facilè ab aliis ad alias ſignificationes tranſeunt, maximum argumentum eſſe puto, quòd Platonis verbis vim faciunt,& ad ſenſum alienum detorquent. Nam cùm omni ex parte cum Platone conſentire,& ipſi ſecum in vno ortus ſignificato non poſsint,quod in vtroque loco ipſis eſt ex vſu, id arripiunt. Deinde,ſi ortum eſſe Mundum, non principium habere ſignificat, quo eſſe cœperit, ſed ſuam ex Deo hypoſtaſin obtinere, & ipſum ſuæ naturæ autorem non eſſe, Platonem certè oportuit id ipſum apertè dicere, vtrum à Deo autore conſtiterit Mundus,an non? vt ambiguitatẽ vocis generati effugeret,nec ſcopum ſuum relinqueret ambiguum. Homini enim artis differendi perito maximum eſt vitium in problematis, aut propoſitionibus vocibus vti ambiguis,ſine vlla diſtinctione, & vocum in differentes ſignificationes diuiſione.

XVIII. QVOD autem ratione cauſæ tantùm ortum fuiſſe intelligere non poſſu-
" mùs in his verbis: Sempérne fuerit nullo generalis ortus principio,an ortus ſit, hinc perſpicitur. Nam ſi ortum fuiſſe Mundum Platoni eſt, ſuæ ſententiæ efficientem cauſam habere, ei autem quod eſt ortum eſſe, non ortum eſſe, aduer-
" ſari ſtatuit. Ait enim: Nos enim de Vniuerſo verba facturos,ortúmne fuerit,an
" verò nullo ſit ortu generatum.Et iterum, Sempérne fuerit,nullo generatus or-
" tus principio,an ortus ſit,palã eſt quòd cũ(vt in problemate dicitur)ipſum non eſſe ortum,id ſignificat,quod ei quod eſt ortum eſſe, opponitur, hoc eſt,nullam cauſam efficientem habere,quæ in naturam ipſum produxerit.Si nos igitur ortum non eſſe ad efficientem cauſam non habere transferamus, ortum autem eſſe ad contrarium,quod Platoni dicitur,erit eiuſmodi:Nos autem de Vniuerſo verba facturos,an ab aliqua efficiente cauſa extiterit,nécne?Et iterum,Sempérne fuerit Mundus,à nulla efficiente cauſa procreatus, an verò ab aliqua efficiente cauſa, in naturam rerum ſit productus. Verùm non puto Platonem in eo fuiſſe errore,vt opinionẽ de Opifice vſqueadeò ambiguam eſſe ſit arbitratus, vt non ſolùm de Mundo, ſed etiam de Vniuerſo ſtatim in principio conſyderandũ eſſe putarit:vtrum à Deo extiterit,an non: ſed res vnaquæque à ſe ſine autore in natura conſtiterit.Hoc enim,inquit, de ipſo eſt conſyderandum, quod initiò in quæſtione de Vniuerſo conſyderari debet. Nam quæ euidentia ſunt,in problematis loco non ponit. Dialecticum enim problema non eſſe tradit Ariſtoteles, An dii ſint colendi.Supplicio enim magis,quã verbis eos indigere, qui eiuſmodi

propo-

proponunt. Non de omni re,inquit, & qualibet aio nos arbitrari debere esse inquirendum,ex Opificéne aliquo illa extiterit,an casu,& fortuitò citra efficientis causæ adminiculum. Vetus est enim & patrius sermo,qui omni hominum generi est in ore,vt scribit Aristoteles, in libello De Mundo, quòd ex Deo omnia, & per Deum nobis extiterunt,& in naturam rerum producta sunt,& quòd nulla est natura, quæ ipsa sibi ad sese tuẽdam satis esse possit,nisi à Deo ipsi salus accedat,& custodia. Quí igitur fieri potest,vt quisquam sit,qui vel minimum sanæ mentis possideat,qui nihil reueritus communem de Deo notionem,in problematis loco ponat,Vtrum res singulæ à Deo autore constiterint: an verò ipsæ sibi cur constent,sint causa?In quibus tamen non perspicuum est, aliquando esse cœperint,nécne:vt in nostra anima,& in Mundo,atq; aliis nonnullis se res habet. Par esse censet Plato ante omnia, quæ de hisce inuestigantur, inquirendum esse,cœperint esse aliquando,nécne. Nam quod nouerit in nostra anima, vulgò id esse controuersum apertè in Timęo scribit.Animam autem,non vt nunc posteriorem dicere tentamus,sic Deus recentiorem eam effecit. Neq; enim,quod antiquius est, iunioris imperio parêre fecisset. Verùm nos, qui fortunæ & casus sumus participes, multa fortuitò & temerè enuntiamus. Ille autem, & ortu, & virtute priorem & antiquiorem animam,quâm corpus,vt quę imperio suo corpus regere debebat,ex his scilicet atq; ad hunc modum procreauit.Quare nouit Plato multos esse, qui animam nostram corporis concretione posteriorem esse putent.In quibus igitur controuersum est,cœperint esse aliquando nécne,in his ante omnia alia problemata,dum ipsa in disputationem proponuntur,inquirẽdum esse vult,Sempérne fuerint,nullo generata ortus principio, an verò sui ortus principium,quo esse cœperint,aliquando habuerint, cùm priùs nulla essent. Quandoquidem igitur alii Mundum ex æternitate sine vllo principio fuisse, alii initium habuisse, cùm prius nihil esset, arbitrantur, meritò ante omnia quæ de Mundo inquirenda sunt, hoc Plato consyderandum esse proposuit. Quòd si de toto Mundo controuersum esse putat, à Deo extiterit nécne, ad totum autem partem vnamquanq; refert, quantò magis id ipsum in iis, quæ intelligentia cõprehenduntur,suspicatus quispiam fuerit?Quare efficietur, vt Plato hoc in loco quærat, an omnino vlla res sit à Deo procreata, & an non vnaquæque res ipsa sibi,vt in natura rerum extaret,autor fuerit & causa.Hoc autem perinde est,acsi quæreret,an omnino effector sit Deus,an verò hac facultate prorsus sit destitutus.Nam qui in omnibus rebus inquisitione dignũ putauit, an ex Deo constiterint, is certè inquirit, & dubitat an omnino efficiendi facultate præditus sit Deus? Cùm igitur nunquam tantam, támque controuersam esse dubitationem de Dei opificio censuerit Plato, vt secundum Epicureorum Deum tollentium impietatem,in quaque re inquisitione dignum existimarit, an illa Deum autorem habeat cur extiterit,nécne: Et an opifex omnino sit Deus nécne, non sanè quando an ortum sit Vniuersum,an ortu careat, vt problema propositum est, per causam,ortum aut non ortum significat. Et aliôqui,nónne à ratione alienũ sit,Deum in quæstionem Vniuersi adiutorem inuocare,vt omnium bonorum, vel minimorum fontem, dubitare autem & controuersum facere, an ex Deo

Vniuerſum ſuam naturam acceperit? Nam ingreſſus diſputationem de Mundo
„ Platonis Timæus, eiuſmodi verba facit: Verùm ô Socrates, omnes, qui vel mini-
„ mùm ſapientiæ & moderationis ſunt participes, in re qualibet aggredienda, ſeu
„ parua ſeu magna ea ſit, Deum ſemper inuocant. Nos autem, qui de Vniuerſo
„ verba facturi ſumus, ortúmne ſit, an ortu careat, niſi prorſus aberremus, oportet
„ deos deáſq; omnes inuocantes, precari. primùm, vt omnia grata illis dicamus:
„ deinde, vt nobis ipſi conſtemus. Si igitur in re quauis, vel minima aggredienda Deum inuocare cuiuſuis eſt, qui vel minimùm ſapientiæ ſit particeps, hoc autẽ ipſum ad Deum referre, & in omnibus adiumentum eius & opem inuocare, eius eſt qui illius in res omnes imperium, & potentiam confitetur: & quòd ab illo omnibus rebus, tum vt ſint, tum vt bene ſint, emanare ſolet: quomodo non ab omni ratione abhorret, etiam ſecundum ipſum Proclum, in ſententias maximè inter ſe repugnantes Platonem incidere, qui Deum inuocari dicat ad inſtitutam de Vniuerſo diſputationem, an ex Deo ipſum extiterit nécne, ſed ipſemet Mundus ſibi cur eſſet autor extiterit? perinde eſt enim, acſi quis diceret inuocandum eſſe Vniuerſi autorem ad inſtitutam de Vniuerſo diſputationem, autor ſit Vniuerſi nécne? Non igitur cùm quæritur, ortúſne ſit Mundus, an ortu careat, ratione cauſæ ortum, aut non ortum eſſe Platoni ſignificat. Sed quàm id fieri non poſſit, ad hunc modum expende. Principiò igitur, mea quidem opinione,
„ hæc nobis ſunt diſtinguenda, Quid eſt quod ſemper ſit, neque vllum habet or-
„ tum? Et quid, quod gignatur, nec vnquam ſit? Quorum alterum intelligentia, &
„ ratione comprehenditur, quod vnum ſemper, atq; idem eſt. Alterum, quod ad-
„ fert opinionem per ſenſus rationis expertes, quod totum opinabile eſt. Quoniã igitur in diuiſione ſibi mutuò opponuntur, id quidem quod ſecundum tempus ortum eſt, ei, quod quantum ad tempus attinet, ortu caret: id autem, quod cauſæ ratione ortum eſt, ei, quod per cauſam ortu caret. Plato autem ei, quod ortu
„ caret, id quod ortum eſt, in diuiſione oppoſuit. Principiò enim, inquit, hæc diſtin-
„ guenda ſunt: Quid eſt, quod ſemper ſit, nec vllum habet ortum? Et quid, quod gignatur quidem ſemper, nuſquàm ſit tamen? & omne id ait ortum eſſe, quod ſentitur, quod autem intelligentia comprehenditur, omne id ortus eſſe expers, omnino eſt neceſſe, ſi quod gignitur, id intelligit Plato, quod per cauſam gignitur, id etiam quod non gignitur per cauſam, non gigni aut oriri intelligere. Omne autem, quod intelligentia comprehenditur, ortus expers eſſe dicit, omne ſanè quod intelligentia concipitur, per cauſam ortu carere voluit. Nullius igitur eorum, quę intelligentia comprehenduntur, autorem eſſe Deum ſecundum iſtos Plato cenſuit. Quare efficietur, vt eorum tantùm quæ ſentiuntur, effector ſit Deus. Verùm ad hunc modum nõ ampliùs vnum erit omnium principium: ſed vnumquodque eorum, quæ intelliguntur, ipſum ſibi cauſa erit, cur conſtet. Atq; tot erunt principia, quot ſunt ea, quæ intelligentia comprehenduntur. Operæpretium eſt igitur videre, in quàm abſurdam ſententiam, ex miranda iſta hypotheſi depellunt Philoſophum. Verùm hæc non ſentit Plato. Is enim in ea
„ epiſtola, quam ſcripſit ad Dionyſium, de omnium rerum cauſa, ſcribit: In o-
„ mnium rege omnia ſunt poſita, atq; illius gratia ſtant omnia. Atque is autor eſt

omnium

omnium, quæ cum pulchritudine & honeſtate coniuncta ſunt. Et in Quarto »
de legibus,hæc iterum habet:Deus igitur,vt veteri ſermone perhibetur,prima, »
& extrema, & media rerum omnium continens, rectam viam perficit, ſecun- »
dum naturam progrediens.Vbi veterem ſermonem appellat vel ipſius Orphei. »
Inquit enim ille: »

Conſtabat primus,ſtabítque nouiſſimus olim »
Iuppiter.Hic caput,hic medium:ab Ioue cuncta creata. »

Vel communem omnium hominum de Deo in omnibus notionem: vt de eo, qui rerum omnium ſit autor, & parens. Et Ariſtoteles vt paulò antè meminimus, in libello, quem De Mundo conſcripſit, veterem quendam ſermonem,& patrium omnibus hominibus eſſe dicit, tum ex Deo,tum per Deum orta nobis, & coagmentata eſſe omnia. Et quòd nulla eſt natura, quæ ipſa ſibi ad ſeſe tuendam ſatis eſſe poſsit, niſi à Deo ſalus ipſi accedat & cuſtodia. Rurſus idem in vndecimo lib.eius Operis,quod μετὰ τὰ φυσικά, inſcripſit. Vbi vnum eſſe omnium principium vnámq; cauſam,neceſſariis rationibus confirmauit.Homeri enim ſententiam amplexus,ſic pronuntiauit:

Non multos regnare,bonum Rex vnicus eſto. »

Sed quid opus eſt diutius hîc immorari in horum citandis teſtimoniis, cùm hoc omnibus luce ipſa clariùs perſpiciatur?Nam cùm Mundi anima intelligentia comprehendatur, & rationis compotes omnes animæ, harum tamen procreatorem Deum in Timæo produxit Plato: non igitur cùm ea,quæ intelligentia comprehenduntur,nunquam orta dicit,cauſę ratione non orta intelligit,ſed penes tempus omnino. Quandoquidem omnium autorem Deum eſſe arbitratur, tum primorum, tum mediorum, tum extremorum. Quòd ſi quæ intelliguntur non orta eſſe, his autem oppoſita: nempe quæ ſentiuntur, orta eſſe eſt confeſſus.Et vt ei quod intelligitur, id quod ſentitur,oppoſuit: ſic ei quod non oritur, id quod oritur, ſanè quæ ſentiuntur hoc in loco temporis ratione, non autem per cauſam orta eſſe dixit.Nam paululum progreſſus,de horum efficiente cauſa diſputabit.

XIX.

QVOD ſi quis hiſce repugnans dixerit, id quidem Platonem oriri dicere, quod per cauſam oritur,non oriri autem,non id quidem,quod per cauſam non oritur,ſed quod in tempore non habet ortum,is ſua inſcitia Platonem vt viæ ac rationis diuidendi rudem & ignarum maximè damnabit. Nam in eo,quod per cauſam tantùm naſcitur, ac non ratione temporis, id comprehenditur, quod temporis ratione ortus eſt expers.Quare ſecundum iſtos,cùm Mundus tantùm per cauſam ortus ſit, temporis ratione ortus eſt expers, eodem modo & rationis compotes animi. Nemo autem in diuidendo ,id quod continet, ei opponit, quod continetur.Neque enim in diuiſione,animali opponitur rationis compos. Nam nemo dixerit animatorum alia eſſe animantia,alia rationis eſſe participia. In animali enim continetur quod rationis eſt particeps. Neque verò rerum, quæ ſunt alias eſſe ſubſtantias,alias corpora dicemus.Iterum enim in ſubſtantia corpus continetur. Dicimus tamen animalium alia eſſe terrena, alia aquatilia. Neutrum enim altero continetur. Et rurſus rerum,quæ ſunt, alias eſſe ſubſtan-

tias,alias accidentia. Non igitur ei,quod per causam oritur, id opponetur in diuisione,quod ratione temporis expers est ortus.Quoniam vt dixi,in eo quod ratione causæ tantùm oriri dicitur, continetur id quod temporis ratione ortu caret. Quòd autem, aut propemodum solus, aut certè primus Plato accuratam diuidendi viam ac rationem vidit, eámque laudibus euehit, dum Philosophiæ verticem appellat, & iis succenset, qui imperitorum coquorum more, non per articulos rerum sectiones instituunt. Sed quid opus est me longiùs orationem producere,dum quæ satis aperta sunt,ostendere contendo? Porrò quod tum id quod intelligitur, tum id quod sentitur, & prætereà id quod est, & id quod non « est,in diuisione sibi mutuò opposuerit, ad verbum Plato ipse professus est.Prin- « cipiò enim,inquit,mea quidem sententia hæc distinguenda sunt:Quid est,quod « semper sit,neque vllum habet ortum? Et quid,quod gignatur quidem semper, « nusquam sit tamen? Quorum alterum intelligentia, & ratione comprehendi- « tur: quod vnum semper atque idem est. alterum, quod adfert opinionem per « sensus rationis expertes,quod totum opinabile est.Quare in diuisione eius,quod oritur, & eius, quod non oritur, non aberrauit Plato, cùm ei quod per causam tantùm,ac non item per tempus oritur, id opposuit, quod per tempus,non item per causam ortu caret. Vide igitur, vt hîc oppositionem in iis, quæ omnifariàm inter se pugnant, collocauit. Ei enim quod est, ex aduerso, id opposuit, quod non est, & ipsi semper obiicit nusquam. Et quoniam id quod est, non ei in diuisione opponi dicit,quod funditus non est. Nam ei,quod ad hunc modum non est,non id opponitur absolutè,quod quomodocunque in rerum natura est: sed id, quod ita est,vt semper idem & eodem modo se habeat. Neque vnquam in vlla commutatione cernatur. Vt rursus id distinguat, quod ei,quod sic est,aduersatur,ei opponit,non id,quod non est,quia non sit in natura, sed id quod nusquàm idem est, nec eodem modo se habet: propterea quòd in perpetua commutatione conspiciatur. Quemadmodum igitur in his ea opposuit, quæ modis omnibus inter se pugnant, neque simul constare possunt: sic sanè ex consecutione, cùm ei quoque, quod non ortum est, id opponit quod oritur, contradicentia in diuisione opposuit, cùm id quod oritur, & id, quod non oritur,simul esse non posśint.Quare si id quod ortum non habet,non id intelligit, quod causæ ratione non oritur,sed quod temporis initium,quo esse cœperit,nullum habet, omnino est necesse id quod oritur,huic oppositum intelligere, hoc est, id quod à temporis initio aliquo esse cœperit. Et contrà, si quod oritur, id intelligit, quod per causam oritur, non autem id quod temporis ratione. Et id sanè, quod non ortum est,per causam non ortum dicere est necesse.hoc autem præter quàm quod impium est, falsum quoque esse comprobauimus. Vnam enim rerum omnium esse causam nusquam non philosophatus est Plato. Cùm igitur hoc falsum sit, necesse est sanè id, quod semper est,& ortum nullum habet temporis ratione non ortum esse dicere. Quare quod huic opponitur ortum tempore ortum intelligit.

XX. SED quid verbis opus est, cùm demonstratione compendiosa confirmare hoc posśimus, quod in his Plato nusquam oriri, aut ortum esse, in eo ortu posuit,

ſuit, qui ratione cauſæ eſſe ſtatuitur, hîc enim cùm de ortu & principio ſecundum tempus diſſeruiſſet, vbi dicit: Ortus eſt: quandoquidem cernitur & tangitur, & eſt vndiq; corporatus. Quoniam Phyſicos nonnullos ante ſe fuiſſe nouerat, qui Mundum ab aliquo principio ortum fuiſſe arbitrarentur, nec eſſe perpetuum, qui tamen propemodum omnes, præter vnum, efficientem eius cauſam ignorarent, atq; eas tantùm cauſas explicarent, quæ materiam ſuggerunt: perinde acſi rerum conformatio atque ordo temerè efficeretur: vnum autem Anaxagoram quaſi de ſomno excitatum (vt loquitur ipſe Plato) ad Vniuerſum aduertiſſe animum, atque huic cauſam tribuiſſe efficientem. Quapropter ipſe Plato cùm Mundum ortum fuiſſe, & ab aliquo principio eſſe cœpiſſe collegiſſet, ſtatim ex conſequutione de efficiente ipſius cauſa etiam his verbis docuit: Omne autem quod gignitur, ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Nullius enim rei, cauſa remota, reperiri origo poteſt. Non vt in problemate hoc proponens, ſed vt id colligens, quòd ea, quæ iam antè confeſſa eſſent, conſequeretur. Vbi primùm enim quidpiam ortum eſſe conceſſum eſt, ſtatim ex euidentia conficitur, huius ortus efficientem aliquam eſſe cauſam. Aut igitur natura omnino, aut arte cauſa eſt efficiens cuiuſque eorum, quæ procreata ſunt. Id quod cùm Phyſici, qui ipſum præceſſerunt, collegiſſent, ipſos oportuit, qui ſemel Mundum generatum fuiſſe conceſsiſſent, ſtatim ad efficientem eius cauſam ſe conuertere. Hoc enim nomine ipſis ſuccenſet Ariſtoteles in Secundo lib. Phyſ. Auſcul. Admiratione enim, inquit, dignum eſt, quòd cùm tum in animantibus, tum in ſtirpibus nihil fortuitò aut temerè, nec eſſe, nec generari dicant, ſed omnium quæ in his gignuntur, aut ad naturam, aut ad mentem cauſam referant, tum cœlum, tum ea quæ in iis, quę adparent, diuiniſsima ſunt, temerè orta eſſe dixerunt, ídq; cùm in Vniuerſo incommutabilis ordo viſatur: nihílque ſit in cœlo, quod temerè factum ſit. Ob id igitur cùm Plato Mundum ortus capacem eſſe demonſtrauiſſet, inde efficientem eius cauſam collegit. Quòd ſi (vt ſapientibus videtur) priùs de efficiente cauſa diſſeruiſſet, cùm dixit ortum eſſe Mundum & ab aliquo initio cœpiſſe, quî fit, vt iterum perinde acſi de hac nihil dixiſſet, adiecerit: Omne autem, quod gignitur, ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Nullius enim rei cauſa remota reperiri origo poteſt. Sed ad hunc quoque modum rem expendere, operæpretium eſt: Si ortum eſſe, vt ab aliquo initio eſſe cœperit, per cauſam ortum eſſe ſignificabat, hoc eſt, efficientem cauſam, cur eſſet, obtinere. Vbi autem dixit, quòd ortus eſt, ſubiecit: Omne autem, quod gignitur, ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Quod dicitur, eſſet eiuſmodi: Omne autem, quod ex aliqua cauſa gignitur, ab aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Hoc autem perinde eſt, acſi quis dicat: Quod à cauſa oritur, id à cauſa oriri. quod ridiculum eſt. At verò & ſuperius cum dicit: Quid eſt, quod ſemper ſit, neque vllum habet ortum? & quid, quod gignatur quidem ſemper, nuſquam tamen ſit? rurſum ortum, non eum, qui penes cauſam, ſed eum, qui temporis ratione intelligitur, ſignificare voluit: propemodum dicens, quòd eorum quæ ſunt, alia ſunt ſemper, alia autem ab aliquo principio eſſe, & gigni cœperunt. Id quod ipſe Plato iterum apertum fecit. Poſteaquàm enim diſtinxit, quid eſſet id, quod ſemper eſt, neque vllum habet

Cap. iiij.

ortum:& quid,quod gignitur quidem ſemper,nunquam tamen eſt, perinde ſanè ac ſi ea,quæ aut ſemper ſunt,aut temporis ratione gignuntur, docuiſſet, ſtatim eorum, quæ gignuntur,efficiẽtem cauſam adiecit,cùm dixit:Omne autem quod gignitur,ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Nullius enim rei cauſa remota reperiri origo poteſt. Vbique ſeorſim de ortu, & ſeorſim de efficiente cauſa diſſerens:quaſi Oriri,non efficientem cauſam ipſi ſignificauerit. Nam aliôquin ſuperuacaneum erat adiicere : Omne autem quod gignitur , ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Nam ſi vbi dixit, Ortus eſt : Cernitur enim & tangitur, & eſt vndique corporatus, ortum eſſe non initium habere , quo eſſe cœperit , ſignificaret, ſed ab aliqua efficiente cauſa eſſe generatum , quorſum adiiciebat præterea: Omne autem quod gignitur,ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt? Hoc enim iterũ perinde eſt ac ſi diceret : Omne autem quod ex efficiente cauſa gignitur,ab efficiente cauſa gignitur.quod riſu excipiendum eſt.Non igitur ortum eſſe,Platoni cauſę ratione ortũ eſſe,ſed ab aliquo temporis principatu eſſe cœpiſſe ſignificat.

XXI. VERVMENIMVERO de ſapientibus Platonis interpretibus mirari nos oportet : quomodo cùm multa nouerint,& ſexcentas ortus ſignificationes excogitarint , ne principi Philoſophorum contradicere viderentur , qui Mundum,quod ad tempus attinet,ortum eſſe poſuit: quaſi defeſsi,& veritatis Argumento conuicti, ſuorúmque decretorum obliti,à Platone Mundum ortum eſſe dici confitentur, quòd ab aliquo principio ſit procreatus , cùm priùs non eſſet. Verùm vt in conditione hæc à Philoſopho dici contendunt perſpicuitatis doctrinæ gratia, non quòd ita ſe habeat ipſa rerum natura. Is igitur, quem citauimus, Platonis interpres Taurus, in Commentariis , quos in Timæum conſcripſit,locũ illum enarrans: ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ τοῦ παντὸς λόγους ποιεῖσθαί πῃ μέλλοντας, εἰ γέγονεν, ἢ καὶ ἀγενές ἐστι, Nos autem de Vniuerſo verba facturos, ortúmne ſit, an ortu careat. hæc habet ad verbum : εἰ καὶ ἀγενές ἐστιν, Etſi ortu careat. Et Poëta:

-- εἰ καὶ γένει ὕστερον εἰσίν.

Etſi genere poſteriùs ſint. Argumentum autem , quòd Mundus ortus non ſit. Ait enim ſe verba facturum, quaſi generatus ſit, etſi ortu careat. Nam de iis, quæ ortu carent , perinde atque de iis, quæ oriuntur,doctrinæ gratia verba fieri ſolent. Et iterum idem paulò pòſt : Quæ ſunt igitur cauſæ propter quas, cùm Mundus ortum nullum habeat , ipſum ortum eſſe proponit ? hæ ſunt ſanè duæ, quæ ambæ ſunt Philoſopho dignæ. Vna enim inuitat ad pietatem. Altera autem perſpicuitatis gratia ſumpta eſt. Cùm enim nouiſſet vulgus hominum arbitrari id ſolùm cauſam eſſe , quod tempore præceſsiſſet , nec alia ratione fieri poſſe,vt quicquam cauſæ rationem ſubeat.Vnde periculum ſit,ne ipſi Prouidentiam eſſe non credant.Cùm igitur Plato hanc opinionem animis hominum inculcare velit Mundum regi Prouidentia, iis quidem certè, qui aliôquin id perſpicere poſsint,leuiter & obſcurè ſignificat Mundum, quod ad tempus attinet,ortu carere.iis autem,qui hoc non capiant,aliquam dat ſignificationem,quòd ortus ſit.Et precatur, vt ipſi credant,vt ſimul ea,quæ ad Prouidentiam pertinent, habeant perſuaſa.Altera autem eſt cauſa, quod apertiora ſunt ea,quæ dicuntur,

quan

quando in ipſis verſamur, vt in iis, quæ gignuntur. Sic & diagrammata, etſi non » compoſita, componunt Geometræ, perinde acſi orirentur. Et circulum, quan- » doquidem ſimplicior erat, definiuit Euclides, figuram planam, quæ vna linea » contineatur, ad quam omnes rectæ lineæ, à medio puncto incidentes, inter ſe » ſunt æquales. Globum autem explicare volens, perinde atq; ſi quid eſſet eorum, » quæ gignuntur, definiuit, Semicirculum, qui immota dimetiente eò vſque cir- » cunductus ſit, dum ad eadē puncta reſtitutus fuerit, vnde cœpit moueri. Quòd » ſi eum, qui iam eſſet, voluiſſet explicare, definiuiſſet, Figuram ſolidam, quæ vna » extremitate continetur, ad quam omnes à medio puncto incidentes rectę lineę » ſunt inter ſe pares. Mos eſt autem Platoni, doctrinæ gratia, quæ ortu carent, per- » inde atque ea, quæ oriuntur, explicare. Sic in lib. de Rep. Oriri, & fieri ciuitatem » inducit: vt in eius ſtructura iuſtitiæ ortus planior eſſet & apertior. Theophra- » ſtus autem, vbi dixit, quòd fortaſſe ortum intelligit, perſpicuitatis ergò, Sic nos, » inquit, diagrammata & delineationes figurarum generatas conſequimur. Niſi » forte non ſimilis eſt ortus in figurarum deſcriptionibus. Idem autem tradit Ari » ſtoteles. Nam & ille ſcribit, quòd in figuris deſcribendis non licet initiò contra- » ria propoſita habere, in ortu autem Mundi id licet, perinde acſi quis proponat » motum & quietem, ordinem, & ordinis perturbationem. Neque igitur omnia » inuariata exempla poſtulent, ſed oſtendant, quòd non oculis apertiùs ſubiici- » tur, cùm ortus proponitur Mundus, quàm ſi ortu carere diceretur. Quomodo » autem in deſcribendis figuris contraria propoſuiſſe licet? Nam quî fieri poteſt, » vt quiſquam triangulum ſimul ſtare & moueri propoſitum habeat? Mundus » igitur per ipſum ortu caret. Neque verò quiſquam ſibi negotium exhibeat, vt » ex atlantico, & politico probare conetur, ortum eſſe Mundum. Nihil enim tale » in teſtimonium proferre in aliis poterit, vt doceat in ipſo Timæo ortum eſſe: & » nihilominus per ipſos ortus eſt Mundus. Quomodo igitur ortu careat, & pro- » pter quas cauſas ipſum ortum eſſe dicat, explicatum eſt. Quatenus enim ipſum » in hypotheſi & conditione ortum eſſe proponit, per Deum, interitus expers » erit. Quatenus autem ipſum ortu carere nouit, ſua vi & natura interitus expers » erit, vt cætera omnia, quæ orta non ſunt, ab interitu ſunt aliena. Hæc igitur ille. »

Iam & Porphyrius, atque adeò omnes, qui deinceps ipſum adhuc ſequuti ſunt, penes tempus ortum eſſe Mundum ex propoſito & conditione à Platone dici aſſerunt, perſpicuæ doctrinæ gratia. Nemo autem, cùm in his reprehendendis immoramur, futilem verboſitatem nobis criminosè obiiciat. Nam ſi cui vlla earum, quæ adlatæ ſunt, ratio probabilis eſſe videatur, non inanis ſanè noſtra eſt hæc tota reprehenſio. Sin verò quod ab illis proponitur, probabilitate carere videatur, non qui ſpicam metit, ſed qui ſeminauit, omnino metendi eſt autor. Et alioqui quod alicui probabilitatis expers eſſe videatur, alterius animum plerunque vt probabile commouit. Oportet autem ab omni moleſtia & negotio liberam nobis exhiberi veritatem. Si igitur vt in hypotheſi & conditione penes tempus ortum fuiſſe Mundum Plato dicit, etiamſi ortu careat, propter quaſcunque cauſas id proponat, quorſum pertinet prolixarum nugarum tam longus catalogus, in tam multis ortus ſignificationibus enumerandis? Nam ſi pieta-

tis, aut doctrinæ gratia Plato principium procreationis Mundi poneret, non amplius verè dicetur in vlla prædictarum significationum, Mundum ab ipso ortum fuisse dici: hoc enim modo, tum ille pietatis scopus, tum illa doctrinæ perspicuitas euanuerit. Nam fieri non potest, vt simul per aliquam illarum significationum ortus dicatur Mundus, & nactus initium, quo esse cœperit, propter pietatem, aut perspicuam doctrinæ rationem. Nam si cùm ortum Mundum esse dicit, propter causam ortum esse intelligit, aut vt compositum, non autem penes tempus. Quomodo rursum pietatis, aut doctrinæ gratia, ipsum vt generatum, & ab aliquo temporis initio exortum à Platone propositum fuisse dicunt? Nam primum propositum, secundum euertit. Et aliòqui si perspicuæ doctrinæ gratia, vt volunt, penes tempus ortum esse Mundum ponit Plato, omninò hoc ipsum significauisset, hoc nempe modo: Vi & natura sua ortus expers est Mundus. Nos tamen perspicuitatis ergò ipsum, vt generatum contemplabimur. Ita sanè monuisset, vt ne quæ in proposito & conditione tantùm dicuntur, verè dici quisquam acciperet. Iam verò arbitrari pietatis gratia Platonem ortus principium Mundo tribuisse, cùm tamen ortu careat, vt Dei prouidentia in regendo Mundo crederetur, sanè nimis quàm stultum est. Primùm enim hoc vbique apertè docet, cùm molitioni Mundi & fabricæ Deum præfecit, & causas exponit, ob quas vnumquodque Deus tale aut tale effecit. Quid igitur opus erat falso proposito ad id docendum, quod sine hoc apertè docuit? Præterea, fiet, vt ipse, per id quod proponunt, ad extremam impietatem homines inducat. Nam si hoc proposito, quòd Mundus æternus non sit, per ipsos necesse est, vt priusquam staret Mundus, neque perfectus esset Deus, neque probus. Proponit autem Plato, vt volunt, ab aliquo initio ortum fuisse Mundum, & vt id credatur, votis expetit, & precatur, cùm nusquam ob quas causas id faciat, explicauerit: in impias certè conceptiones, & opiniones eos impulit, qui ipsi credunt: cùm tamen in nullo suorum Dialogorum ortu carere Mundum dicere sustinuerit: sed contrà, vbique ortum eius voce clarissima prædicet. Quanquam cùm rationis compotes animas ab ipsa Dei prouidentia regi velit, apertè ipsas ortus expertes in Phędro professus est: nihil veritus, ne ob id Dei prouidentia destitutæ crederentur.

XXII. SVPRA modum autem audax est facinus, tam temerè dictiones commutare. Nam ἢ, id est an, dubitandi particulam in εἰ, id est, si; vocem connectendi, transferri vult Platonis interpres, more Poëtarum. Verùm progressus etiam Aristotelis interpretem Alexandrum proferam, qui hanc coniunctionis metalepsin & translationem reprehendit. Atque adeò rem ipsam per se absurdam adparere puto. Primùm enim poëticas metalepseis ad Platonis in verborum vsu proprietatem traducere, est absurdissimum, idque cùm raro, atque adeò propemodum semel Poëta eiusmodi coniunctionis immutatione sit vsus, vt eius Commentatores adnotauerunt: aliòqui etiamsi in propositis verbis locum haberet vis coniunctionis metalepseos: tamen id in sequentibus verbis facere non licet. Nam quemadmodum hîc cùm propositum sibi scopum exponit Plato, ei quod oritur, id opposuit, quod ortus est expers, de Mundo se inquisiturum professus, Ortúsne sit, an verò ortu careat? Deinceps iam problema hoc exponens, sic inquit:

quit:Sempérne fuerit nullo generatus ortus principio, an ita ortus ſit, vt ab ali- »
quo principatu eſſe cœperit? Cùm igitur hîc apertè ſe de Mundo inueſtigatu- »
rum eſſe dicat,vtrum ſemper fuerit,an nullo generatus principio,an verò ſit ortus,ita,vt ab aliquo principatu eſſe cœperit, in dubitatione vtrunq; proponens, non autem Mundum ortu carere conſentiens, multò certè magis, etiam priùs, cùm harum rerum inquiſitionem proponebat, nempe quòd inueſtigaturus eſſet,ortúmne ſit Vniuerſum, ἢ καὶ ἀγενές ἐστιν, id eſt,an verò ortus ſit expers:illud, an verò ortus ſit expers,non pro, εἰ καὶ ἀγενές ἐστιν, id eſt, etſi ortus ſit expers,per metalepſin enũtiauit,ſed propriè coniunctio, ἢ, hoc eſt an, poſita eſt quaſi in dubitatione,quòd ortus eſt expers,ab eo,quod oritur, diſtinguens, vt alterum tantùm in Mundo ponatur,& non ambo,vt Tauro videtur.Nam aliôqui ſi ortum eſſe in aliqua earum ſignificationum, quæ à Tauro expoſitæ ſunt, acciperet, ipſum etiam non ortum eſſe per negationem eiuſdem ſignificationis accipere modis omnibus eſſet neceſſe.Nam quod ponit affirmatio,id ipſum euertit negatio. Cùm igitur traducunt ortum eſſe, ad id, quod eſt, per cauſam eſſe generatum, neceſſe eſt etiam, vt non ortum eſſe, ad id transferant, quod eſt ratione cauſæ non eſſe generatum. Erit igitur huiuſmodi tota ſententia: Nos autem de Vniuerſo verba facturos,ortúmne ſit ratione cauſæ,an verò penes cauſam ortus ſit expers.Idem dicetur in reliquis ſignificationibus: vt compoſitúmne ſit,an verò non ſit compoſitum.Et ſuúmne eſſe in gignendo habeat, an verò non in gignendo obtineat, vt ſit. quo quid ridiculum magis dici poſſit? Adde, quòd inconſideratè dictionem mutauit vir ille,qui non priùs circunſpexerit,an omnino ſibi conſentiens futura eſſet explicatio, in iis etiam, quæ deinceps Platoni dicta ſunt.In rem æquè abſurdam impelluntur,qui verbum illud, ἢ καὶ ἀγενές ἐστιν, id eſt, an verò ortu careat, in, ἢ καὶ ἀειγενές ἐστιν, hoc eſt, an verò ortus perpetui ſit compos,tranſtulerunt.Nam & ii rurſus ea addunt,quę non ſunt,cùm ἀγενές, in ἀειγενές, mutant, & imprudentes eiuſmodi adiectione veritati patrocinantur: contrariáque conficiunt iis, quæ ipſi volunt. Nam ſi hoc propoſuiſſet Plato, vtrum ortum ſit Vniuerſum, an verò ἀειγενές, hoc eſt,ortus ſit perpetui,omnino neceſſe eſſet,cùm ei quod eſt ortum eſſe, ipſum ἀειγενές, hoc eſt, id quod ortus eſt perpetui,opponat,ortum eſſe,ſignificare à temporis principio eſſe generatum,ac non eſſe ſemper.Quoniam igitur hoc problema in iis quæ ſequuntur, excutiens Plato,Mundum ortum eſſe pronuntiauit(inquit enim:Ortus eſt: quãdoquidẽ cernitur & tangitur,& quæ ſequuntur) palam eſt quòd ipſum ἀειγενές, »
hoc eſt,ortus eſſe perpetui,Mundo conuenire negauit: ídque ex iis etiam, quibus dictionem eius immutare conati ſunt.

PRAETER eas autem, quas enumerauimus ortus ſignificationes, hanc XXIII.
etiam nonnulli addiderunt. Vniuerſum enim à Platone ortum dici aiunt, quia in motione eſt perpetua. Vnde oriri ipſum & interire dixit: reuera autem nuſquam eſſe. Nihil enim in cœleſtibus corporibus in eodem vnquam manet. Verum iis occurremus paucis. Primùm enim de toto Mundo Platoni ſermo inſtitutus eſt,ac non ſolùm de cœleſtibus.Vniuerſum autem quandiu non totum,vt totum mouetur, neque per totum immutatur. Non igitur *Fieri*, pro *Moueri*,

accepit Plato. Deinde in continua motione esse cœlestia ipso sensu etiam confessum est. Neque vlla alia confirmatione opus est, quàm sensu oculorum. Quomodo igitur Plato impendiò ridiculus non fuerit, qui quasi nos res arcanas, & nulli ante ipsum comprehensas, aut demonstratas docturus, deos deásq; omnes inuocandos esse profitetur, ad hanc cœli disputationem, moueantúrne cœlestia penes locum, an immota sint? Quasi ne hoc quidem intelligere potuerit, quòd quæ sensu comprehenduntur, fidem faciunt illa certiorem, quàm quæ vlla demonstratione cognoscuntur. Quis enim (qui saltem de mente & sanitate deiectus non sit) quæsierit vnquam, an ignis vrat, & an alba sit cerussa? Quare neque ad hunc modum ortum Mundum esse Plato dixit. Cùm igitur reprehensæ sint omnes ortus hypotheses, reliqua autem sit vna tantùm ea, quæ omnibus consueta, & omnium trita sermone, ea nempe quæ in tempore procreationem statuit, cúmque Plato apertè ortum esse, & procreatum fuisse Mundum pronuntiet; conficitur necessariò, ipsum temporis ratione à Platone ortum dici, hoc est ab initio aliquo temporis esse cœpisse. Sic enim ratione temporis oriri, in Mundo intelligendum esse sæpe diximus.

XXIIII QVONIAM autem, vt firmum quiddam hoc quoque proponunt, vt persuadeant non ratione temporis ortum Mundum à Platone dici, sed vt in hypothesi & conditione tantùm, in Timęo quidem animam oriri proponi, in Phędro autem apertè ortu carere pronuntiari, operæpretium esse puto, vt & hoc quoque elegans istorum argumentum paucis dissoluamus. Cuiuis igitur perspicuum est, quòd rationis particeps anima, eius est substantię, quę intellectu comprehenditur, & ob id substantiam nacta est, quæ ab omni corpore separari potest. Quando relationem ad corpus recipit, potentia quidem mens est. Vt autem sit & dicatur anima, ipsi ex relatione ad corpus accedit. Nam quia animatum reddit, & vitam tribuit corpori, anima nuncupatur. Vbi autem separata à corpore, aut per habitum, aut simul & à naturali vinculo disiuncta, liberè & intelligenter iam operabitur simplici apprehensione rerum naturam attingens, mens iam tum reipsa, & est, & dicitur. Quare ab alio ipsi inest, vt sit anima, & ab alio, vt sit mens. Illa enim in relatione est ad corpus: hæc autem sine relatione, soluta & libera à corpore, ipsa per se constans, perinde atque idem & gubernator est, & homo: sed hoc quidem per se, illud autem habet in relatione ad nauem. His ita constitutis, si quatenus est mens, & sine vlla relatione ad corpus, animæ ortum tradit Timæus, nos confitebimur ipsum in hypothesi animam ortam esse dicere: quia in Phædro pronuntiatum sit, ipsam ortu carere. Sin autem quatenus est anima, certam ipsius cum corpore relationem in Timæo docet, per quā hoc aut illo modo, & ornat, & mouet cœlestia corpora; quid porrò est amplius necesse, cur ex conditione eam in Timæo ortam fuisse dicat? Siquidem Mundo vniuerso principium quo esse cœperit, vt diximus, tribuit Plato. Quando igitur quod Mundi corporeum est, esse cœpit, tunc quoq; anima relationem ad ipsum accepit. Nam cùm animam nostram in corpore nasci dicunt, haudquaquam eius substantiæ ortum arguunt: sed respectus tantùm, & comparationis cum corpore, quæ à tempore initium habuit. Quòd autem ea, quæ de animæ ortu in

Timæo dicuntur, nihil aliud tradunt, quàm cœlestium motum, & mutuam ipsorum inter ipsa relationem, quam ab anima, siquidem animata sunt, vt Platoni videtur, acceperunt, ex ipsius Timæi verbis confirmare licet. Dixit enim ibi Plato, quod cùm Deus substantiam accepisset mediam inter eam, quæ indiuidua est, & semper vniusmodi, suique similis, & eam, quæ in corporibus diuidua gignitur, & prætereà id, quod eiusdem est naturæ, & quod alterius: hęc tria cùm temperauisset, tetendit, & rectam effecit lineam. Deinde, rectam hanc pro ratis rationum portionibus diuisit, & secundum longitudinem bifariàm dissecuit: medięque accommodans mediam, quasi decussauit, & in orbem torsit. Et extrema ipsarum coniungens, duos orbes effecit: vnum exteriorem, alterum interiorem: qui in duobus punctis se mutuò contingerent. Deinde exteriorem circulum in dexteram partem motu cieri fecit. Interiorem autem ad sinistram atque exteriorem, inquit, eiusdem naturæ conuersionem nominauit, interiorem autem alterius. Et exteriorem circulum indiuiduum reliquit, interiorem autem cùm sex in partibus secuisset, septem orbes dispares effecit: qui duplo & triplo interuallo se mutuò superarent. Eorum autem trium fecit pares celeritates: sed quatuor & inter se celeritate dispares, & disimiles trium reliquorum. Cùm hæc igitur ad hunc modum de animæ ortu in Timæo à Platone dicantur, quis vsqueadeò est in veritatis iudicio iniquus, vt ex ipsa nuda oratione non confiteatur, cœlestium globorum tum conuersionem, tum mutuam inter ipsos relationem explicari, quam ex anima, quæ ipsis inest, accedere arbitratur? Quandoquidem & in reliquis animantibus tum motus, tum partium corporis apta distributio, & mutua inter ipsas cōparatio, ab anima, qua prædita sunt, promanat. Quæ igitur causæ in effectis suis efficiunt ænigmatum, Pythagoreorum more, ad causas Plato retulit. Quemadmodum certè nos animam sæpe sitire & esurire dicimus, nempe indigentiæ sensum ab anima corpori insitum, ad ipsam animam traducentes. Horum autem accuratiorem inquisitionem, cui erit gratum, ab iis, qui hæc iam interpretati sunt, & quorum nos anteà meminimus, discere licebit. Nam ipsi quanuis sempiternum Mundum esse dicant, & Platonem in conditione tantùm animæ ortum tradere velint: tamen in his interiorem circulum, globū eum intellexerunt, qui erroris expers est, & ἀπλανὴς nominatur: interiorem autem errantium globos acceperunt, quem cùm sex in locis dissecuisset, septem orbes errantium stellarum effecit. Nonnulli tamen exteriorem æquatorem circulum intellexerunt, interiorem verò circulum signorum, qui Zodiacus dicitur. qui cùm decussatim se intersecent, in duobus punctis, in Ariete & Libra, se mutuò tangunt. Nam ἀπλανὴς sphæra in eodem axe conuertitur cum æquinoctiali, & circa eius polos versatur. Errantium autem globi circa orbis signiferi polos conuertuntur. Atque horum circulorum inquit Plato exteriorem, hoc est, eum qui erroris expers est, & ἀπλανὴς dicitur, in dexteram partem Deus motu cieri fecit: interiorem autem, nimirum errantium globos, ad sinistram. Vbi, Homeri more, Orientem, dextram partem appellat: sinistram autem, Occasum. Nam ille habet:

Seu dextra Eoas Phœbi surgentis ad oras,

Siue ſiniſtra petant atris vbi mergitur vndis.

Verſatur enim ἀπλανὴς ab Oriente Sole ad Occidẽtem: contrario autem motu curſus ſuos conficiunt errantes. Exteriorem autem conuerſionem eiuſdem naturæ nominauit, propter conſtantiam & eandem naturam motus non errantium. Omnes enim non vagæ ſtellæ ęquali tempore conuerſionem ſuam perficiunt, & eundem permeant circulum, & ab iiſdem punctis ortus ſuos, & ad eadem ſuos occaſus efficiunt. Interiorem autem conuerſionem, hoc eſt, planetarum, alterius, inquit, naturæ nuncupauit: nempe propter diuerſitatem & varietatem conuerſionis planetarum. Neque enim æquali tempore horum abſoluitur conuerſio: neque eadem eſt eiuſdem. Nam non vnum & eundem orbem vnuſquiſque eorum permeat. Neque in iiſdem punctis iidem ortus ſuos & occaſus efficiunt. Porrò, ex orbibus ſeptem interioribus tres inter ſe celeritate pares eſſe, Solis circulum intelligens, & Luciferi, & Mercurii. Nam inter planetas ii pari curſu conuerſi anno totum circulum ſuum emetiuntur. Reliquos autem quatuor tum inter ſe diſpares, tum horum trium diſsimiles eſſe dicit: nempe Saturni, Martis, Iouis, & Lunæ globos. Nam Saturni globus triginta fermè annis orbem ſuum conficit: Iouis autem propemodum duodecim: Atque duobus proximè Martis: Lunæ autem vno menſe. Ne ex animæ igitur ortu Platoni faceſſant negotia, dum vi nos cogere volunt, vt credamus Platonem Mundum ortu carere arbitrari, dum ortum ipſius in conditione nobis obtrudunt. Quanquã, ſi hoc verum eſſet, cur non tandem, vt animam in aliis apertè ortus expertem eſſe pronuntiauit, ſic & Mundum in aliquo ſaltem ſuorum operum ortu vacare dicere eſt auſus, ſed contrà, vbique ipſum ortum eſſe, & generatum, & talem eius eſſe naturam vociferatur?

XXV. SED quoniam aſſerit Porphyrius Platonis demonſtrationes, quæ Mundum ortum fuiſſe confirmant, non conficere ipſum temporis ratione fuiſſe generatum, vnde concludit, quòd neque penes tempus ipſum ortum fuiſſe voluit Plato: non alienum futurum puto, ſi nos iſtud expẽderimus, propoſitis priùs in medium Porphyrii verbis, quæ ſic habent: Videamus igitur, quam ſignificationem in Mundo Plato enuntiauit, & quam interrogauit, cuique probè conueniat. Et perſpicuum eſto, ortum à temporis initio ſumpſiſſe, conſyderetúrque, ſempérne fuerit, vt nunquam à tempore ſit ortus: an verò ab aliquo temporis principatu procreatus eſſe cœperit. Pronuntiatum ſit autem, ab aliquo temporis initio ortum fuiſſe, propter demonſtrationes quas ſubiicit. Quæ ſunt igitur illæ? Tangitur enim, inquit, & cernitur, & eſt vndique corporatus. Omnia autem talia ſenſum mouent, ſenſúſque mouentia quæ ſunt, eadem in opinatione conſidunt, quæ ortum habere gignique diximus. Porrò, quid his ridiculum magis? cur enim neceſſariò conſequitur, vt ſi cernitur & tangitur, & eſt vndique corporatus, à temporis principio ortus fuerit? Maxima verò neceſsitas & omni demonſtratione maior ipſa eſt euidentia. Nam tu quoque, ô imprimis admirande, ortum eſſe Mundum, quia compoſitus eſt, cùm Platonem conſtituere dicis, & huius demonſtrationem proferre aſſeueras, quia cernitur, & tangitur, & eſt vndique corporatus, dic mihi, vnde rationis neceſsitatem firmauiſti? Cur enim neceſſe

cesse est, vt quicquid cernitur, protinus sit & compositum? An sensum quauis ratione firmiorem testem omnino producis? Atqui omne, quod cernitur, compositum esse & nos ipsi confitemur. Sed non ideo, quia ei, quod cernitur, consequens est compositum: Et omne, quod cernitur, ortum est secundum Platonem, ob id protinus necesse est, Platonem pro composito ortum accepisse. quoniam ei, quod cernitur & tangitur, & est corporatum, id necessariò consequens est, quod trina dimensione extensum est. Et item, quod magnitudine finitum est, & quod omnino est figuratum, seu certa, seu incerta figura: & id prætereà, quod continuum est. Non tamen propterea quisquam existimauerit Platonem Ortum esse, pro vllo horum accepisse. Quid enim necesse est potiùs ortum esse, traducere ad compositum, quàm ad finitum, coniunctum, aut figuratum, aut ad aliud quiduis, quod necessariò omni insit corpori? Nam æquè atque compositum ei, quod sentitur, reliquorum quodque est consequens. Quòd autem fieri non possit, vt Plato Mundum ortum esse dixerit, vt compositum, paulò antè docuimus. Quòd verò id quod cernitur, aut omnino quod sentitur, non solùm compositum est, sed etiam penes tempus ortum est, & nos dicimus Platonem ex ipsa euidentia sibi persuasisse. Nam ex quatuor elementis Mundum vniuersum coagmentatum esse apertè profitetur. Atque hoc ipsum ipse Porphyrius confitetur: vt nos cùm ad decimumtertium Procli Argumentum accesserimus, confirmabimus. Quòd autem omnia elementa per omnes sui partes oriantur, & intereant, ex ipso sensu iis perspicuum est, qui oculorum sensu non carent. quamcunque enim quis aquæ, aut ignis, aut terrę, aut aëris partem acceperit, ea omnino aliquo in tempore orta est, & nacta principium, quo esse cœperit. Quòd si omnes aquæ partes in tempore ortæ fuerunt, totum autem nihil est aliud, quàm partes vniuersæ, & tota certè aqua in aliquo tempore in natura esse cœpit: vt aliâs alia numero elementa sint tota. Mutua enim elementorum in se inuicem commutatio, quæ ob id vt Mundus permaneat, instituta est, dum id supplet, quod deficit, eadem numero elementa tota retinere videtur. Dum enim interit aqua, in aërem, si ita sors tulerit, commutatur: & rursus, cùm interit aër, quod aquæ defecerat, suppleuit. Et in omnibus eadem est ratio. Sed quemadmodum nauium fabricator aliâs alium fatiscentem, & ruinosum nauis asserem commutans, tempore totam nauim immutauerit, & aliam numero ex alia totam effecerit: sic & in elementorum integritate euenit. Nam cùm pars aliqua semper intereat, & alia in eius vicem semper suboriatur, longo tempore efficitur, vt tota elementorum integritas commutetur. Cùm igitur neque tota elementa eadem numero permaneant, & id quod numero idem non manet in tempore, & esse cœperit, & intereat, perspicitur, quòd vnà cum partibus & ipsa penes tempus oriuntur & intereunt tota elementa. Quòd si initium elementorum compositionis non nouimus, non propterea arbitrari debemus ipsa principium nullum habuisse, quo esse cœperint. Nam nunc eorum per partes ortus, & interitus, quòd ipsa à principio aliquo esse cœperint, abunde magnam fidem faciunt. At verò & quæ ex elementis coagmentata sunt omnia, in tempore & nascuntur, & occidunt, vt stirpes, vt animantes, vt metalla, vt reliqua omnia corpora. Si igitur

omne corpus quod cernitur & tangitur, aut omnino ſentitur, id aut elementum eſt, aut concretum ex elementis (hæc autem tempore orta eſſe probatum eſt) omne profectò corpus, quod ſentitur, penes tempus oriatur neceſſe eſt. Quare cùm cœlum ex iiſdem elementis compactum, ex Platonis opinione, corpus ſit, quod cernitur & tangitur, & cœlum certè penes tempus ortum erit. Nam ex iis, quæ aperta ſunt, obſcura plana, ac non dubia efficiuntur. Propter eandem verò cauſam & diſſolubile erit de Platonis ſententia, quantum in ipſa naturæ ratione ſitum eſt. Et aliôqui à ratione alienũ omnino videbitur, ſi Vniuerſi elementa ſemper temporis initium accipiant, & aliâs alia numero exoriantur, cœlum autem ex iis compactum, neque principium vnquam habuerit, quo eſſe cœperit, neque finem ſit habiturum, neque interim commutationem vllam ſubſtantiæ ſuæ ſuſtineat. Ex hac igitur rationis neceſsitate ei, quod cernitur, id quod tempore ortum eſt, conſequens eſſe dixit Plato. Et ob id Mundum, quia cernatur, ortum eſſe concluſit. Potuiſſet autem & inductione idipſum rurſum confeciſſe Plato. Nam ſi hoc, quod ſentitur, vt animal, aut aqua, aut ignis tempore ortum eſt, & iterum aliud atque aliud efficitur, & omnes elementorum partes ſunt eiuſmodi, & ipſamet tota, conficitur ſanè, vt omne quod cernitur, ortum ſit: cernitur autem & Mundus, ipſe igitur quoque eſt ortus. Et aliôqui ſi probauimus, quòd nullam earum, quæ in ortu excogitatæ ſunt ſignificationes, Plato adſumpſit (ortum enim dicit eum qui ſecundum tẽpus intelligitur, & id omne quod non ortum eſt: hoc eſt, quod tempore generatum non eſt, intelligentiam cum ratione comprehendi definiuit) omnino eſt conſequens, per conuerſionem cum oppoſitione, vt id omne quod intelligentia non comprehenditur, ortum habeat, ſecundum tempus. Id autem omne quod non intelligentia comprehenditur, ſentitur & tangitur. Omne igitur quod ſentitur & tangitur, tempore generatur. Quæ igitur primam hypotheſin conſequuntur, ea Plato confeſſus eſt. Cùm enim omne quod non tempore ortum eſt, intelligentia cõprehendi dixerit, ex conſequutione efficitur, vt omne quod non intelligitur, ſed ſentitur, tempore oriri dixerit. Aut igitur priora quis refellat, nempe quòd eius quod ſemper eſt, non ortum in tempore ſuſtulit, ſed alium aliquem. Id quod nos pluribus confirmauimus. Aut cùm illa refelli non poſsint, ſi quod ſecundũ tempus ortu caret intelligentia comprehendi dicit, modis omnibus conſequens erit, vt id omne quod non intelligitur, ſed ſentitur, tempore oriatur. Neceſſariò igitur & non ſine concluſionis lege, ex eo quòd ſentiatur Mundus, ipſum temporis principium habere Plato concluſit.

XXVI. PORRO, quòd, cùm Plato id quod ſemper eſt, ortum nõ habere dixit, nullum alium ortum intelligit, quàm penes tempus, cùm abunde priùs oſtenſum eſt: tum hinc etiam didiceris. Cuiuis perſpicuum eſſe puto, quòd Plato id ſemper eſſe intelligit, quod omni ex parte immutabile eſt: quia ſemper in iiſdem ſit & eodem modo ſe habeat. Nam quod in commutatione & variatione cernitur, nuſquam eſſe dicit. Id enim quod mutatur, neque illud eſt amplius, ex quo immutatum eſt: neque illud rurſus adhuc, ad quod commigrat. Si quid igitur in perpetua commutatione eſſe cernitur, id verè nunquam erit, ſed ſemper oritur.

Iam quod Platoni, id quod semper est, hoc ipsum significet, ipsemet apertè ipsum definiens pronuntiandum,& in iisdem,& eodem modo se habet,hoc quo que perspicuum ex eo,quòd id,quod oritur,nusquam verè esse dicit.Quid enim, ait,quod oritur quidem,nusquam tamen est? Si igitur id quod gignitur, hoc est, quod in mutatione est,nunquam verè est,profectò quod semper est, id omnifariam est incommutabile. Interpretatio igitur eius,quod semper est, est id, quod sequitur. Neque vllum habet ortum : vt & eius, quod gignitur, expositio in eo est, quod dicit, nec vnquam sit. Cùm res igitur ita se habeat, inquirendum est qualem ortum ab eo,quod semper est,remouet Plato.Ego eum assero remouceri, qui tempore intelligitur. Nam quod in re quauis temporis principii expers est,id omnifariàm est incommutabile.Et contrà,quod temporis principium ha buit in quauis earum rerum, quæ penes ipsum cernuntur, id non est prorsus incommutabile: in quo enim principium habuit, in eo mutatum est ex eo, quod non erat ad id,vt esset. Quare quod ad tempus attinet,id principii expers esse oportet,quod modis omnibus est incommutabile.Omnis enim mutatio in tempore perficitur, & à tempore initium sumit. Quare quod temporis principio caret,id omni mutatione caret. Hæc profectò inter se reciprocantur, vt si quid prorsus est incommutabile, idem omni principio temporis superius sit: & vicissim,si quid temporis initii expers est,id modis omnibus sit immutabile. Meritò igitur id quod semper est, hoc est, quod omni ex parte est immutabile, secundum tempus ortum nullum habere dicit. Quòd si quis illud,Neq; vllum habet ortum,pro,Neque compositionem habet vllam,intelligat: is respondeat,qua ratione efficitur,vt is qui interroget, quid sit id quod semper sit, hoc est, id quod est in iisdem,& eodem modo se habet,simplex esse,& compositionis expers,non tamen quicquid simplex est,& sine compositione,semper sub iisdem erit,& eodem modo se habebit. Simplicia enim sunt prima corporum elementa, Materia, & Forma. Neque enim in infinitum progreditur compositorum dissolutio: sed inter dissoluendum & retexendum, ad simplicia tandem peruenire est necesse. Neque verò quisquam dixerit simplicia hæc,in eorum esse numero,quæ semper sub iisdem sunt,& eodem modo se habent. Nam formæ,quę sunt in Materia, in id etiam dissoluuntur, quod nullum est: & ex eo quod non est rursus in naturam producuntur, vt paulò pòst docebimus. Materia autem alias alio tempore formas recipit, & easdem expellit. Non igitur in iis sunt,quæ semper sunt eadem,& eodem modo se habent, Materia & Forma: cùm tamen simplicia sint. Quòd si sempiternæ essent formæ materiatæ, quod fieri non potest:tamen hoc ipso quòd aliæ in alio subiecto visuntur, vt Materia alio tempore alias formas excipit,non id habebunt, vt semper sint sub iisdem & eodem modo se habeant:quemadmodum neque anima nostra.At verò & colores simplices sunt illi quidem,non tamen semper sub iisdem sunt, nec eodem modo se habent. Si igitur vt idem valens, & idem significans Plato adsumpsit, id, quod semper est,& quod ortum nullum habet.Nam si quid prorsus ortus expers est, id semper sit compositum,& non idem pollet,id quod simplex est,seu compositionis expers,cum eo,quod semper est;neque enim quicquid simplex est, id sta-

tim ſemper eſſe neceſſe eſt:neque omnino rei ſimplici conſequens eſt,vt ſemper ſit:neque cum ipſa reciprocatur: quemadmodum cum ea re, quæ ortus eſt expers,reciprocatur ea,quæ ſemper eſt,non ſanè à Platone dictum eſt,Ortum autem nullum habet,pro,Compoſitionem autem nullam habet.Quòd autem neque ortum ſecundum cauſam deſignet, priùs abunde docuimus: quandoquidē non ſolùm rerum quæ ſentiuntur,ſed earum etiam omnium,quę intelliguntur, primam cauſam dicit eſſe Plato:Vna eſt enim rerum omnium cauſa, & principium vnum. Si igitur quod ſemper eſt, ratione cauſæ ortum nullum habeat,& omnia quæ intelligentia comprehenduntur, ab ortu & procreatione ſunt aliena,ſemper eſſe dicit,non omnium erit prima cauſa, neq; vnum rerum erit principium, ſed plura ſint oportet. Id quod abſurdè dicitur. Neque igitur ratione cauſæ ortum à rebus remouet.Iam quod cùm dicit, neque ortum habet vllum, non ſignificat in ipſo gignendo ſuum eſſe habere,palam eſt ex eo, quòd non dixit,Gignitur,ſed,Neque ortum habet vllum. Nam quæ in perpetuitate ortus & mutationis ſunt, ea gigni & oriri dicit, non ortum habere. Quid enim, inquit, quod gignitur quidem,non vnquam tamen ſit?Et aliôqui ſi quid à tempore eſſe cœpit, id non prorſus in gignendo & in perpetua commutatione ſuum eſſe habet: vt artificialis globi,aut artificialis circuli centrum. Hoc enim principium quidem quo eſſe cœpit, certè habuit, quandiu tamen centrum fuerit omnino immutabile,& immobile eſt,quatenus eſt huiuſmodi.Rurſus trianguli ſcientia, quòd tres habeat angulos duobus rectis pares, principium quidem habuit, quo in hoc animo eſſe cœperit.Vt verbi cauſa, in Platonis animo,dum ipſi nulla interueniet obliuio,ſemper eodem modo ſe habet,in nulla commutationis forma euarians,& ipſum particulare triangulum,vt ligneum,aut in abaco deſcriptum, cum tribus angulis, qui ſint duobus rectis pares, principium quidem tale, quo eſſe cœperit,aliquando habuit: quandiu tamen erit,neque quia triangulum eſt commutabitur: neque quia tres angulos duobus rectis pares habet.Quare non in gignendo triangulum habet vt ſit,aut vt in ipſo tres anguli cernantur duobus rectis pares. Atque in aliis compluribus idem comprobare licet. Non igitur quicquid ab aliquo principio eſſe cœpit, id protinus in continuo ortu & mutatione ſuam naturam & eſſentiam nactum eſt. Si quid tamen ſemel temporis principio caret, id omni mutatione ſuperius eſt, vt nuper docuimus. Cùm hæc ita ſe habeant, ſi quando Plato quod ſemper eſt,ortum nullum habere dixit, omnem ipſius alterationem & commutationem tollere inſtituit, à quo remouet ortum,& fieri poteſt, vt res aliqua in gignendo ſuum eſſe non habeat, neque in continua ſit mutatione: à principio tamen aliquo eſſe cœperit, & finem ſit habitura:& ideo immutationis expers non ſit. Quæ autem eſt eiuſmodi, non in iis eſt, quæ ſemper ſunt:neque in iis, quæ ſemper ſub iiſdem ſunt, & eodem modo ſe habent,efficitur profectò,vt talem ortum, hoc eſt, in gignēdo ſuum eſſe poſſidere,ab iis,quę ſemper ſunt,remouerit Plato.Si igitur cùm id quod ſemper eſt, ortum nullum habere diceret Plato,nullam ab ipſo reliquarum ortus ſignificationum remouit: ſupereſt certè,vt ab ipſo ortum, qui ſecundum tempus intelligitur, remoueat: quod docere nobis erat propoſitum. Nam vt ex abundanti

proba

probatione omnem mutationis cogitationem à ſempiternis remoueret, temporis initium ab ipſis remouit. Omnem enim commutationem in tempore fieri videmus, & ab aliquo tempore incipere. Quod igitur extra temporis principium poſitum eſt, id quoque extra omne tempus eſt poſitum. Quod autem eſt extra omne tempus, id omni immutatione caret. Omnis enim immutatio in tempore conficitur. Si igitur id quod ſemper eſt, & mente concipitur, & æternum eſt, ortum nullum habet, quod autem ſentitur, nec vnquam eſt, nec ſempiternum id in ortu poſitum eſt. Hæc autem inter ſe opponuntur: nempe, ei quod ſentitur, id quod intelligitur: & ſempiterno id, quod non eſt perpetuum: & ei quod ſemper eſt, id quod nuſquam eſt: & ei quod ortu certo gignitur, id quod ortus eiuſdem expers eſt. Quod autem intelligitur & perpetuum eſt, id ortum ratione temporis nullum habet. Sanè id quod ſentitur & perpetuum non eſt, in tempore ortum habet: nam contrariis contraria conueniunt, quatenus horum vnumquodque eſt tale, vt in locis oſtenſum eſt: vt ſi nigro conuenit viſum cogere, albo conueniet vt ipſum diffundat. Et ſi domini eſt, imperare, ſerui erit, imperio parére: ſi habitui videndi conuenit videre, priuationi hoc eſt, cæcitati, conueniet non videre: ſi denique ad id quod eſt bene valere, pertinet naturæ functiones expeditè, & citra impedimentum exequi, ei quod eſt malè valere, eaſdem naturæ functiones non expeditè exequi conueniet. Dixi autem quatenus vnumquodque horum tale eſt, vt ea accipiamus, quatenus inter ſe contraria ſunt. Contraria enim ſunt, vt ea quæ inter ſe conferuntur, & ſub eandem rationem cadunt, dominus & ſeruus: tamen horum vnumquodque & ſpirat, & viuit, & ſentit: non quia ſeruus, neque quia dominus, ſed quia homines ſunt. Domino autem quia dominus eſt, competit imperare, & ſeruo itidem imperio parére, quatenus eſt talis. Sic & albo & nigro competit, vt qualitates ſint, & colores, non tamen vt contraria ſunt: quia autem ſunt contraria, illis competit diſſipare, & cogere. Sic quoque ſi patri amare competit, filio conueniet amari: non enim aduerſa ſunt pater, & filius, ſed eorum, quæ cùm in aliquo conferuntur. Quare non aduerſa ipſis conuenient, ſed ea quæ inter ſe conferuntur: contraria ſunt quidem, vt aduerſa, Amare, & Odiſſe: vt ea autem quæ inter ſe conferuntur, Amare & Amari. Quare ſi patri conuenit amare, filio amari conuenit. Quare in reliquis par eſt ratio. Sic igitur, ſi ei quod immutabile eſt, & ſemper in eodem ſtatu, & eodem modo ſe habet, & intellectu comprehenditur, id opponitur quod commutabile eſt, nec vnquam eodem modo ſe habet, & quod ſentitur. Quod autem incommutabile eſt, quatenus eſt incommutabile, temporis principio caret. Et id ſanè quod commutabile eſt, temporis principii expers eſſe non poterit, quatenus eſt eiuſmodi.

QVONIAM igitur noſtra ſatis comprobauit oratio, quòd penes tempus Mundum ortum fuiſſe voluit Plato, hoc eſt, principium aliquod habuiſſe, quo eſſe cœperit, cum nullus eſſet, antequam fuiſſet procreatus, iam tempus eſſe videtur, vt deinceps Philoſophorum ſuper hac re teſtimonia proferamus. Plutarchum autem & Atticum prætermittam, vt quos apud omnes ſatis in confeſſo eſt apertè pronuntiare Platonem in ea fuiſſe ſententia, vt Mundum in aliquo XXVII

tempore procreatum fuisse existimasset: atque adeò iis contradixerit, qui contrà sentiunt. Iam verò & qui nostra ætate verbi fuerunt interpretes, prolixa horum fragmenta in suis scriptis produxerunt: in quorum numero est Cæsariensi Ecclesiæ præfectus Eusebius. Vnde hos ego in præsenti missos facio. Verùm Platonis auditorem huic nostræ orationi testem adhibebo. Quis enim Aristotele certioris fidei testis in Platonis sententia explicanda adhiberi posit? qui totos viginti annos Platoni operam dedisse traditur, quíque viribus ingenii, & acumine omnes quotquot ante ipsum apud Grçcos vixerunt, longè superauit, & apud Platonem ob ingenii vim in tanta admiratione fuit, vt ab ipso diatribæ & scholæ suæ mens appellaretur. In huius autem verbis proferendis vnà etiam Alexandri Aphrodisiensis commentationes producam: tum vt hoc autore, Aristotelis sententiam planam faciam, quia rotunda est natura huius viri eloquutio: tum vt simul alterum testem in nostra confirmanda sententia adhibeam.

Aristotelis è Primo lib. De cælo.

" His ita constitutis deinceps dicamus expérsne procreationis sit Mundus, an " generatus. Adhęc, alienúsne sit ab interitu, an verò interitui obnoxius: si priùs ta" men aliorum opiniones fuerimus persequuti. Et paulò pòst: Omnes itaq; Mun" dum procreatum esse aiunt: sed alii ita procreatum esse dicunt, vt sit sempiter" nus: alii autem, vt sit subiectus interitui, perinde, vt quoduis aliud eorum, quæ " natura constant: alii autem permutatim, interdum quidem hoc modo, inter" dum autem alio modo se habere dicunt, vt intereat: ídque semper ita continua" ri, vt Empedocles Agrigentinus tradit, & Heraclitus Ephesius.

Alexandri Aphrodisiensis ex iis Commentariis, quæ in prædictà conscripsit.

" In eo igitur, quòd ortus sit Mundus, omnes dicit inter se consentire, tum diui" narum, tum naturæ rerum interpretes: in iis autem, quæ consequuntur, inter se " dissentire. Alios enim eorum, qui Mundum ortum esse dicunt, sempiternum " ipsum asserere. Orpheus enim, & Hesiodus, & complures Theologi in hac fue" runt opinione, & post hos Plato. nonnulli autem eorum, qui ortum esse dicunt, " ipsum etiam caducum esse pronuntiant, perinde atque vnumquodque aliorum. " Omnia enim, quæ oriuntur, etiam interire cernuntur. Alii autem permutatā " quadam vicissitudine ipsum nasci dicunt, & interire: & per quasdam periodos " rursus procreari, & iterum interire: idq; esse perpetuum, & semper continuari, " vt Empedocles, & Heraclitus voluerunt. huius autem opinionis etiam Stoicos " fuisse dicit. Et paulò pòst: Qui autem ortum esse dicunt, ipsum quoque interire " asserunt, perinde atque aliud quoduis, quod natura constet, & coagmentatum " sit. huiusmodi fuit Democritus. Nam quemadmodum vnumquodq; aliud per " ipsum oritur, & interit: sic sanè & ex Mundis infinitis vnusquisque naturæ eius" dem est particeps.

Aristotelis: quæ deinceps sequuntur ea, quæ proposita sunt.

" Mundum igitur procreatum esse & nihilominus esse sempiternum affirma" re, eorum est, quæ fieri non possunt. Ea namque demum constituenda, & iure

concedenda ſunt, quæ in multis aut in omnibus eſſe videmus. In hoc autem cō-trà euenire cernimus. Nam omnia quę oriuntur, eadem etiam adparet interire.

Alexandri expoſitio.

Vbi eorum de Mundi ortu opiniones propoſuit, qui ipſum præceſſerunt, hîc inquirens, quid ipſis rectè, aut ſecus dictum ſit, primùm aduerſus eos diſputat, qui ortum quidem ipſum dicunt, cæterùm interitus eſſe expertem. In quibus, vt dixi, erant tum Theologi, tum Plato: quorum opinionem primo loco propoſuit. Nam quòd Plato huius fuerit ſententiæ, ac non, vt nonnulli Platonis ſectatores ſcribunt, cùm ortu per ſe careat Mundus, eum ideo ortum dixerit, quia in ortu & procreatione ſuum eſſe obtineat, ex iis, quæ à Platone in Timæo ſcripta ſunt, quiuis intelligere facilè poſsit. Nam quod ad eum modum ortum eſt, vt iſti volunt, Mundum ab ipſo Platone dici, id oritur ſimul & interit, ortum autē nuſquam eſt. Diſtinguens autem Plato ea, quæ ſunt, ſcribit: Quid eſt, quod ſemper ſit, neque vllum habet ortum: &, quod gignatur, nec vnquam ſit? In Mundo autem non dicit, Gignitur, aut, Oritur: ſed, Ortus eſt. Et initiò conſyderandum proponit, non an gignatur, ſed ortúſne ſit, an non generatus. Scribit enim: Nos autem de Vniuerſo verba facturos, ortúmne ſit, an verò nunquam generatum. Non enim proponit inquirendum, an oriatur, & gignatur: ſed an ortus ſit Mundus, an non generatus. Sunt enim qui particulam *An,* in *Si,* commutare conantur, vt legant, ortúmne ſit, etſi ortum non ſit. Nam præterquam quod ineptum eſt ea commutare, quæ non ſic ſe habent, eiuſmodi præterea eſt, quod dicunt, vt intelligentia comprehendi non poſsit: neque vllo pacto iis conſentiens eſt, quæ ab ipſis dicuntur. Nam paululum progreſſus, cùm idem hoc problema repetit, de Mundo dicit: ſempérne fuerit nullo generatus ortu, an verò ita generatus, vt ab aliquo temporis principatu eſſe cœperit. Illud enim: Vt ab aliquo temporis principatu eſſe cœperit, loci nihil ampliùs relinquet iis, qui in, *Etſi ortum non ſit,* tranſmutant: cùm autem propoſuerit hoc inquirere, deinceps ipſum ortum eſſe docet. Vnde perſpicuum eſt, quòd ita ortum docet, vt ab aliquo temporis initio eſſe cœperit: hoc enim erat propoſitum. Initium enim illud aliud eſſe non poſsit, quàm temporis. Nam ſi id quod gignitur, adhuc nondum ortum eſt, quod ortum eſt, palam eſt, quòd non ampliùs gignitur. Atqui ortum Mundum eſſe dicit. Non igitur gignitur, ſecundùm Platonem. Nam qui iam ortus eſt, vt aliquando gigni & procreari cœperit, finem iam ſui ortus & procreationis eſt aſſequutus. Nam ſi Mundum ſic ortum eſſe dixiſſet, vt in gignendo ſuum habuerit eſſe, oportuit ipſum ita accipere Mundum eſſe caducum. Nam cum eo, quod ita gignitur, tanquam conſors, venit in ſocietatem illud, vt gignatur & intereat. Cùm autem ipſum ortum eſſe dicat, non ampliùs ipſum interitus expertem eſſe concedit. Quî fieri enim poteſt, vt eum ab ipſo ſine interitu dici cōtendant? Nam ſi ſic dicant, quòd in intereundo eſſe non habeat, fortaſſe qui ad hunc modū Mundū ſine interitu eſſe dicat, vt in intereūdo ſuum eſſe habere neget, næ ille Mundum non oriri ampliùs dixerit, hùiuſmodi ortus enim omnino cum tali interitu coniunctus eſt. Quòd ſi penes tempus interitu carere dicat,

" perſpicuum eſt, quòd Ortus vocabulo, temporis ratione vſus eſt. Nam ei quod " illo modo interitu caret,quod eodem modo ortum eſt,opponi eſt neceſſe.Præ- " tereà,cùm vellet id tollere,quod cum eo,quod ortum eſt,coniunctum eſſe vide- " tur,nempe vt interitum maneat,ipſum interitu carere dicit.Quòd ſi penes tem- " pus ipſum ſine interitu eſſe dicit, hoc certè accipere debet, quod ortum conſe- " quitur.At verò interire non id ortum conſequitur, quod in ortu & procreatio- " ne ſuum eſſe habet: ſed id potiùs, quod à temporis initio ortum fuit. Palam eſt " igitur,quòd ſecundùm ipſum ortus eſt hic Mundus. Iam verò quòd cauſam ali- " quam inueſtiget æternitatis Mundi,id quod facit Plato,conſentientis eſt,à tem- " poris principio Mundum ortum fuiſſe.Nam ſi ortu careret,in ſe cauſam conti- " neret,& principium ſuæ æternitatis.Siquidem ab ipſo confeſſum eſt,id quod or- " tu caret,ſua ipſius vi, & natura eſſe ſempiternum, nec poſſe interire. Hic autem " quaſi ſua ipſius natura Mundus ab interitu vindicari non poſsit,ad Dei volunta- " tem & conſilium eius æternitatem refert. Iam quod de Mundo ſæpe verbum, " *Eſt*,enuntiet, argumento eſt, quòd non ſic ortum fuiſſe dicit, quod in gignendo " ſuum eſſe habeat.Nam ſi priuſquam ortus eſſet,non erat(Eſt autem genus eius, " quod eſt ortum eſſe ipſi) de eo quod in procreando eſſe habet, non enuntiatur. " At verò neq; illud ſententiæ & opinioni Platonis conſentiens dicitur, quod per- " ſpicuitatis gratia eius ortum & procreationem ſtatuerit, quaſi verò per fictam " illam procreationem meliùs,quæ ſit eius natura intelligamus. Neque enim ſta- " tim in principio quaſi primaria ratione in hanc rem inquiſiturus, hoc proble- " ma propoſuiſſet, neque prætermiſiſſet cuius gratia ipſum ortum fuiſſe diceret, " quanuis ortu careat:ſed perinde atque in libris de repub.quia ad iuſtitię diſputa- " tionem pertinebat,de ciuitatis & reipub.compoſitione dicere,de iis diſputaturus " prædixit cuius gratia id faceret,& in Mundo planè eadem feciſſet.

Ariſtotelis, ex eodem libro,paulò poſt ea, quæ prolata ſunt.

" Quod autem adiumentum nonnulli eorum, qui Mundum quidem nunquã " deletum iri cenſent,natum tamen eſſe aſſerunt, adferre ſibi conantur, neutiquã " eſt verum.Nam ſi de Mundi ortu perinde dixiſſe dicunt,atq; Geometræ ſolent, " qui delineationes figurarum deſcribunt. Non enim quaſi vnquam natus ſit, ſe " ita loqui:ſed doctrinæ gratia,quòd magis ea intelligamus, quæ vt diagrammata " gigni cernimus.Verùm res,vt nos dicimus,non eodem modo ſe habet. Nam in " diagrammatum ſeu delineationum effectione, omnibus poſitis idem euenit eſ- " ſe:in horum autem demonſtrationibus non idem,ſed id,quod fieri nequit.Nam " ea,quæ priùs & poſteriùs ſumuntur, ſubcontraria ſunt.Ex inordinatis enim or- " dinata facta fuiſſe dicunt. Vt autem quid ordinatum ſimul ſit, & inordinatum " fieri nullo modo poteſt.Sed procreationem eſſe,quæ ſeparet, & tempus eſt ne- " ceſſe:in diagrammatis autem nihil eſt tempore ſeiunctum.

Alexandri interpretatio.

" Hoc aduerſus nonnullos Platonis ſectatores dicere videtur, quaſi illi quoque " perſpiciant, quid incommodi conſequatur ex eo, quòd Mundus quidem ortus " eſſe dicatur,manere tamen incorruptus, & ideo ſubſidium aliquod illi dicto pa- rent:

renti: quod tum à Platone, tum ab ipsis dicitur. Negant enim Platonem sic Mundum ortum esse dicere, vt ab aliquo temporis principatu esse cœperit, cùm anteà non esset, sed eorum, qui discunt, doctrinæ gratia, & vt ostendatur eius natura & essentia. Nam Platonem quasi Mundi essentiam retexere dicunt: atque docere, si ortus fuisset, quomodo fuisset procreatus, vt in diagrammatis Mathematici solent. Nam in illis, exempli gratia, cùm cubum ex quadratis sex coagmentatum esse dicunt, retexentes atque quomodo constet, ex illis demonstrantes, non quasi vnquam factus sit, aut compositus cubus, ita dicunt: sed quòd ipsi ex his sua sit natura, ortus & procreationis hypothesi docent. Quòd si factus fuisset ex iis, ad hunc modum fuisset procreatus. Ad eundem modum & in Mundo dici asseuerant. Non enim quòd ortus sit, sed quòd ex iis ipsi sua sit natura. Quòd si ortus fuisset ex iis, ita vt volunt, fuisset ortus. Negat igitur Aristoteles probè ipsos Platonis dictum interpretari: neque iis, qui ista dicunt, subterfugium futuræ absurditatis hoc exemplo succedere: non enim similiter se rem habere posse. Nam Mathematicus, qui cubum ex quadratis sex constare dicit, & ex iis ortum habere, ex quibus ipsum factum fuisse dicit: aut triangulum ex tribus rectis constare, ea sumit, quæ vnà cum eo, quod ex ipsis procreatum dicit, simul constant, atque adeò sunt in ipso: non autem cùm prius essent separata, posteà concreta coaluerunt, atque hoc apertè docet dissolutio. Nam in ea, quæ insunt elementa, fit dissolutio, non autem in ea, quæ segregata sunt: neque in ea, quæ mutatione vlla indigeant, vt ex ipsis quid componatur. Dicunt enim, quomodo ex iis, quæ ipsi insunt, factus fuisset, siquidem esset factus? Nam cùm omnia, quæ simul insunt, adsumit Mathematicus, alia ex aliis, quæ ipsis insunt, conflata esse ostendere conatur. Neq; enim cubus quadrata auferendi vim habet, cùm ex illorum mutatione efficitur. Insunt enim in ipso: non autem ante cubi coagmentationē, quadrata ipsa esse oportet. Simul constant igitur, & in ipso insunt, vt diximus. Nam qui ad hypothesin, non ad veritatem ortum alicuius adsumit, ex eiusmodi adsumit, quæ id, quod ex ipsis factum esse dicitur, perimere non solet. Hîc autem nonnulla adsumimus, ad alicuius procreationem, quæ dum immutata permaneant & retineantur, ex se aliquid perficere non possunt, sed per ipsorum immutationem gignitur id, quod ex ipsis constare dicitur. Tunc autem verè ortum est, neque ampliùs ad hypothesin ortus eiusmodi adsumitur. Talis est enim eorum, quæ verè gignuntur, procreatio: atque ita gignuntur ea, quæ natura gignuntur. Neque enim Mathematicus ad hypothesin ampliùs gigni sumeret, si ex eiusmodi ipsa gigni proponeret, quæ necesse esset, aut penes qualitatem, aut penes ordinem commutata, ipsa ex sese nonnulla efficere: Nam quæ per hypothesin gigni ostenduntur, non in hypothesi ea habent proposita, ex quibus orta sunt: sed cùm illa constent, & in iis insint, quæ ex ipsis composita esse docentur, solam oratione compositionem in hypothesi adiunctam habent: talium enim, & per ea, quæ sunt eiusmodi, est dissolutio. In iis autem quę verè gignuntur, non ita se res habet: neque enim simul menstruus est sanguis & fœtus: neque simul lateres, aut lapides, temerè, & nullo ordine iacentes, & quæ ex ipsis excitatur domus. Ex eiusmodi autem etiam Mundum gignunt. Nam qui Mundum ex com-

« mutatione turbati ordinis corporum, in motum eleganti ordine incedentem « gignit, ex eo Mundum natum esse dicit. quod si sit, Mundus esse nullo modo « potest. Ordini enim contraria est perturbatio. Atque perturbationem adimi ne- « cesse est, si ordo est futurus. Mutatione igitur, & procreatione vera est opus, si « quis perturbationem omnino esse ponat. Nam perturbationē, seu inordinatū, « in ordinem adduci, per procreationem & commutationem est necesse. Non ita « tamen se res habet in diagrammatis. Sed cùm insunt ea, ex quibus proponunt « esse procreationem diagrammatum, nihil mouentes eorum, quæ sunt in ipsis, « ortum ipsorum docent. Quòd igitur ipsi non sanè dicant, neque vt volunt, per- « inde atque Mathematici dissolutione vtantur, sed ortum designent eorum, ex « quibus Mundum generatum esse dicunt, argumento est, quòd fieri non potest, « vt hæc sint constante Mundo, sed tempore ea oportet præcedere, vt in omni- « bus, quæ gignuntur. Nam quæ mutuò se perimunt, simul in eodem esse nulla « hypothesi possunt. Quare Mathematici quidem probabilia dicunt, cùm se non « ortum dicere aiunt diagrammatum, sed perspicuitatis tantùm, & doctrinæ gra- « tia, vti hypothesi. Neque enim ex contrariis nec omnino ex separatis ipsis est or- « tus. Quare vna sunt cum iis, quæ tunc gigni, & generata esse dicuntur, etiam ea, « ex quibus procreata sunt, & quibus constant. Quapropter fieri non posse dicunt « vt ortus sit figurarum: non item tamen eiusmodi esse, quod fieri non possit, si in « ipsis per hypothesin ortum adsumant. Quod autem ab his dicitur, qui Mundū « procreant, etiam cùm per hypothesin dicitur, eiusmodi est, quod fieri non pos- « sit. Fieri enim non potest, vt earundem rerum ordo sit simul & perturbatio. « Quare, secundùm ipsos, Mundi inordinatam confusionem præcessisse oportuit, « si vnquam fuit: nam cùm ipsa erat, Mundus esse non poterat. Quare per pro- « creationem reuera ipsis Mundus habuit, vt esset in natura, & à principio tempo- « ris, & aliqua immutatione atque interitu. Neque enim in Mundo inesse, neque « cum ipso simul constare ea possunt, ex quibus ipsum generatum esse dicunt. « Esset enim hoc modo vera analysis, atque dissolutio. In iis enim est dissolutio, « quæ simul stare possunt. Verùm cum Mundo ea simul esse non possunt, quæ « eius ortum præcedunt, & in gignendo mutantur. Quare si neque in Mundo est « corporum structura inordinata, ex qua Mundum procreauit, neq; cum eo stare « potest, sed necessariò præcedit, & per ipsius immutationem Mundi est procrea- « tio. Verùm hoc modo etiam in Mathematicis vera esset, quę dicitur procreatio, « non autem dissolutio aut analysis: quæ in Mathematicis est propria. Nam qui « ex iis rei alicuius ortum esse proponit, quæ si non mutentur, quod ex ipsis effici « proponitur, effici nullo modo potest, is procreationem non verbo tenus, sed ve- « ram atque germanam adsumit.

Aristotelis, ex eodem.

« Sunt enim nonnulli, qui fieri posse putant, vt & quod natum non est, intereat: « & quod natum est, incorruptum permaneat, quemadmodum habetur in Ti- « mæo. Illic enim dicit natum quidem esse cœlum, in posterum tamen tempus « perpetuò esse futurum.

Alexandri

Alexandri expoſitio.

Non quòd ambo ibi ſcripta ſint,nempe tum quidpiam quod natum non ſit, » eſſe interiturum , tum quidpiam quod natum ſit, ſempiternum eſſe futurum. » Horum enim alterum tantùm ibi ſcriptum eſt, veluti ipſe ſubiicit: Mundum » quidem natum fuiſſe, eſſe tamen ſempiternum, ſed hoc ideo dicit Ariſtoteles, » quòd cùm hoc dicatur, illud etiam ſit conſequens. Nam eiuſdem eſt mentis, & » aliquid quod natum ſit,non interiturum eſſe dicere: & quod natum non ſit,in- » terire.Et aliôqui conſequens eſt,vt qui dicit Mundum quidem natum eſſe,nun » quam tamen interiturum,idem conſiteatur,aliquid, quod natum non ſit, occi- » dere. Nam inordinatio, ex qua, de illorum ſententia natus eſt Mundus, cùm ea » nata non ſit, in ordinem & ornatum, hoc eſt, Mundum commutata, interiit. » Nam quòd alterum tantum in Timæo dictum ſit, ipſe ſignificauit, cùm ſubie- » cit,quidnam ſit illud,quod dictum ibi eſt.Ibi enim dicit natum quidem eſſe cœ » lum,in tempus tamen poſterum futurum eſſe perpetuó. »

Ariſtotelis, ex octauo Phyſicæ auſcultationis lib. cap. I.

At verò in tempore omnes præter vnum inter ſe conſentientes eſſe viden- » tur.Non natum enim eſſe omnes dicunt.Et per hoc Democritus conficit,quòd » fieri non poteſt,vt omnia nata fuerint, cùm tempus nunquam ſit natum. Solus » autem Plato ipſum ortum eſſe aſſeuerat.Vnà enim cum cœlo ortum fuiſſe,cœ- » lum verò natum fuiſſe adfirmat. Hæc igitur Ariſtoteles: & qui eius ſenten- » tiam, atque intellectum omnium maximè inueſtigauit in Commentariis ſuis Alexander. Et priùs in iis verbis Tauri Platonici, quæ ex eius in Timæum Cõmentariis protulimus,palam factum eſt,quòd permulti alii Philoſophi hanc de Platone opinionem habuerunt.Non alienum autem eſt fortaſſe futurum,ſi eadem iterum in medium proferamus.Ad hunc enim modum loquitur Taurus: Cùm in quæſtionem vocetur, an non, ſecundùm Platonem, ortus ſit Mundus, » varios ſe in hac ſententia Philoſophi exhibuerunt. Ariſtoteles enim ſcribit, Ti- » mæum dicere Mundum eſſe ortum : quòd Timæus procreatũ eſſe profiteatur. » Nam eius cir cũfertur opus,De Vniuerſitate,quaſi procreata ſit.Et Theophra- » ſtus quoque in libro de Phyſicorum opinionibus, tradit Mundum ex Platonis » opinione eſſe ortum, & hoc propoſito eidem obſiſtere inſtituit. Verùm inſerit, » quòd forſitan perſpicuitatis ergò ortum eſſe ponit. Et alii item nonnulli ſic ſe » affectos exhibuerunt, quaſi ſecundum Platonem Mundus generatus fuerit: alii » autem,quaſi nunquam fuerit ortus.Hinc igitur quoque didicimus,quòd prçter permultos alios Philoſophos Theophraſtus quoque hæc de Platone pronuntiauit. Quanquam Theophraſtus excuſare, vt inquit, conatus eſt, cùm perſpicuitatis ergò ipſum Plato natum eſſe poſuerit. Verùm deinde idem Taurus Theophraſtum iterum produxit eandem hanc hypotheſin euertentem: paulò pòſt enim ea,quæ producta ſunt,hæc dicit:Mos eſt enim Platoni, doctri- » næ gratia,naſcentia tradere.Et in rep.naſcentem inducit ciuitatem,vt in eius or- » tu ac ſtructura,ortus iuſtitiæ apertior euadat.Id quod cõfirmat Theophraſtus, » cùm dicit forſitan Platonem, perſpicuitatis gratia,Mundum natum eſſe dixiſ- » ſe,vt diagrammata quaſi nata,& generata conſequimur.Verùm fortaſſe,inquit, »

" res non ſimiliter ſe habet in diagrammatis. Idem autem cum Ariſtotele dicit. " Nam ille ſcribit, quòd in diagrammatis, ſeu figurarum deſignationibus licet in " principio contraria proponere: in Mundi autem ortu, non item: vt ſi quis ſimul " motum proponat & quietem, ordinem & inordinationem. Quòd igitur Plato Mundum principio non vacare velit, ſed illi tribuat principium, quo eſſe cœperit, ſatis, opinor, oratio noſtra comprobauit, atque Philoſophorum de Platonis opinione teſtimonia, iis prȩſertim, qui non ambitioſè contendant, quique ſua libidine non ducant poſteriorem eſſe veritatem. quȩ autem Proclus in eo Opere, quod ſȩpe commemorauimus, pro Timȩo contra Platonem iterum ex Porphyrio tranſcribens, ſtatuit, dum docere conatur, quòd Plato Mundi ortũ ſine principio fuiſſe arbitrabatur: tum quòd Mundi exemplum ſempiternum eſſe dicit: tum quòd cauſam, cur ſtet Mundus, in Dei probitate ait eſſe ſitam. Probus enim erat, inquit Plato. In probum autem nunquam vlla de re, vlla cadit inuidia. Ex quibus conficit Proclus, quòd ſi Mundi exemplum ſempiternum eſt, Mundum quoque exempli illius imaginem ſemper eſſe eſt neceſſe. Et quòd ſi ſemper Deus vacat inuidia, quoniam ſemper eſt probus, ſemper erit & probus. aut niſi ſemper ſit Mundus, facultate huius erit opifex: & ideo imperfectus, & temporis indigens. Hæc inquam & eiuſmodi, vt iam ſatis in ſuperioribus diſquiſita, in præſenti miſſa facio. Perſpicuum eſt enim, quòd hiſce confutatis, conficitur, Platonem nunquam in ea fuiſſe ſententia, vt ex his Mundum ſempiternum eſſe putaret.

XXviii. NVNC ſecundùm ea, quæ initio propoſiti capitis, facturos nos eſſe recepimus, conſequens ſit, iis quæ iam diximus, vt inquiramus deinceps, num Plato ſibi ipſe repugnantia loqui deprehendetur. Nam ſi ex eius ſententia neceſſariò interit quicquid natum eſt, huic autem per conuerſionem cum oppoſitione conſequens eſt, vt quicquid non interit, id neque natum ſit, quî fieri poteſt, vt idem ſimul & ſempiternum, & natum Mundum eſſe ſtatuat? Huic autem dubitationi paucis ſic occurritur: Nam ſi quod ratione temporis non natum eſt, id natura interire non poteſt, efficitur, vt ſi natura non eſt expers interitus, id penes tempus ortu non careat. Mundum autem non natura interitus expertem eſſe Plato propoſuit, imò contrà, natura caducum eſſe adfirmat. Omne enim colli- " gatum ſolui poteſt: ideo autem ſolui poteſt, quia natura eſt diſſolubile. Quo- " niam enim, inquit, orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non " poteſtis. Neutiquam tamen diſſoluemini: nec vos vlla mortis fata periment, " nec fraus violentior, quàm conſilium meum, quod maius eſt vinculum ad per- " petuitatem veſtram, quàm illa, quibus eſtis tum, cùm gignebamini, colligati. " Quare ſi caducus & diſſolubilis Mundus eſt per Platonem, ipſi tamen ineſt, vt " ſit indiſſolubilis voluntate & conſilio Dei opificis (Indiſſolubilia enim, inquit, " non natura, ſed me ita volente) certè ratione temporis natus eſſe debet. Platonem igitur in omnibus maximè ſibi conſentire probatum eſt. Nam ſi Mundum natura immortalem, atque indiſſolubilem arbitratus fuiſſet à Deo procreatum fuiſſe, qualia ea eſſe dicit, quæ mente & intelligentia comprehenduntur, conſequens erat, vt etiam penes tempus non natum ipſum fuiſſe proponeret. Verùm

si natura solui potest, nihil autem, quod (quantum attinet ad tempus) natura procreationis expers est, solui potest: efficitur certè, vt penes tempus Mundus non sit procreationis expers. Ob id enim ipsum, inquit Plato, quia ortus est Mundus, dissolubilis est. Quare ea conclusit, quæ ipsius principiis sunt consentientia. Illud autem, Immortales vos quidem esse & dissolubiles non potestis, non id significat, quod nonnulli fabulantur, nempe, non estis simplices, sed cogitatione in ea vos dissoluere licet, ex quibus estis compositi, atque hac ratione mortales estis. Verùm quòd significet, vos naturæ estis, quæ sit mortis & dissolutionis capax, patet ex opposito, quod sequitur: Neutiquā tamen dissoluemini, „ nec vos vlla mortis fata periment, nec fraus violētior, quàm consilium meum: „ quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis, tum „ cum gignebamini, colligati. Quare si dissolutionem ac mortem eam intelligit, „ quæ cogitatione concipitur, atque per hanc mortales ipsos esse dicit, illud certè, Neutiquam tamen dissoluemini, nec vos vlla mortis fata periment, illos hæc co „ gitatione non subituros esse significat. Nam quod ponit adfirmatio, id ipsum necessariò euertit negatio. Solutionem autem atque mortem, quam ipsis à natura sua inesse dixit, eandem Dei consilio ipsis non euenturam esse pronuntiauit. Quare si à natura habeant, vt cogitatione mortales sint, ac dissolubiles, & ex Dei certè consilio ac voluntate, cogitatione immortales erunt, & indissolubiles. Tota igitur eiusmodi erit sententia: Nō futuri estis cogitatione indissolubiles, neq; immortales, neq; vnquā moriemini. Idē igitur & cogitatione erit dissolubile, & eadem cogitatione non dissolubile, atque simul vera erit contradictio. Quare cùm hoc & stupidū sit, & eiusmodi, vt cogitatione cōprehendi nō posit, dicere idem cogitatione dissolui in simplicia, & cogitatione non dissolui, certè mortalia & dissolubilia, non cogitatione, sed natura, cœlestia esse dicit. Verùm quoniam, etsi talem naturam sunt sortita: tamen Platoni in perpetuum permansura esse videntur, vt neque moriantur, neque dissoluantur, non naturali vinculo, sed Dei voluntate sustentata. ob id dicit, prorsus indissolubilia & immortalia neutiquam esse posse, sed & mori & dissolui, quantum in ipsorum natura situm est: quia eiusmodi sit corporata natura, & quia quicquid natum est, dissolubile est & mortale. propter creatoris autem consilium, ac voluntatem, quę omni naturali vinculo est superior, ipsa immortalitatem atque perpetuitatem sunt consequuta, quam ędificator atque opifex Mundi Deus ipsis prospexit, & benignè contulit. Quemadmodum enim si quis domum, aut nauim continenter instaurans, & laboranteis atq; labefactatas partes emendans, quàm diutißimè integram hanc contineat: sic Deum Plato dicit instauratitiam ac rediuiuam immortalitatem Mundo conciliari. Audi igitur cuiusmodi de hoc iterum in Politico philosophatus est, ad hunc enim modum loquitur: Hoc enim Vniuersum interdum dirigit „ Deus, dum facit, vt eodem motu progrediatur, atque ipsum versat. Interdum „ autem dimittit, quando conuersiones modum temporis sibi conuenientem cōpleuerunt. Mundus autem in contrarias partes vltrò circunducitur, vt qui vitam „ & intelligentiam nactus sit ab eo, qui ipsum ab initio construxit. Porrò ipsi retrorsum ire ob id necessariò insitum fuit, quòd tale quidem semper in iisdem „

" esse, & eodem modo se habere, atq; idem permanere, omnium maximè diuinis " naturis solis conuenit. Corporis autem natura non huius est ordinis. Quòd igi- " tur cœlum, seu Mundum nuncupauimus, permulta atque beata munera à pro- " creatore suscepit, corporis tamen factus est Mundus particeps: vnde fieri non " potest, vt ipse in omne tempus sit mutationis expers. Ad hunc igitur modum in his Plato, consentiens iis, quæ ex Timæo produximus, naturam immutabilem, & quæ semper in iisdem & eodem modo se habeat, soli diuinæ, & quæ mente tantùm comprehendatur, substantiæ tribuit. Nullam autem corporatam naturam compotem dicit huius esse ordinis: vnde vt Mundi corporata natura, prorsus expers sit mutationis, fieri non posse pronuntiauit. Verùm quando conuenientem temporis modum conuersiones fuerint consequutæ, tum regresiones & mutationes Vniuersum subire. Et hoc iterum ex sacris literis colligens, vt pulchrè è nostris nonnulli adnotauerunt. Nam cœlum Deum versare, & rursum remittere, vbi conuenientem temporis modum conuersiones iam sint assequutæ, quid est aliud, quàm cœlos, tanquam pallium, immutari? Verùm quoniam " Plato cùm illud audiuisset: Mortem enim Deus non creauit. & item illud: Condidit vt essent omnia. arbitratus est Vniuersum immortale permansurum. Audi quomodo iterum in eodem Politico non natura Mundo inesse immortalitatē, sed ab opifice accitam venire, pronuntiauit. Ex hisce igitur omnibus Mundum affirmare decet, neque ipsum se semper conuertere, neque totum à Deo versari geminis, iisque contrariis conuersionibus: neque rursus deos aliquos duos contraria inter se sentientes ipsum versare, sed, quod nuper diximus, id solùm superest, partim quidem ab alia quadam vi diuina gubernari, dum vitam extrinsecus venientem adscititiam ab Opifice accipit immortalitatem: partim verò, cùm dimissus fuerit, per seipsum progredi, cùm suæ potestati eo tempore relictus est, vt retrorsum progrediatur multis conuersionum millibus. His igitur clarè docet, quòd cùm immortalitatem à natura cœlesti corpus non haberet, propter fluxā ac fugientem naturam rei cuiusuis corporatæ, vitam extrinsecus quæsitam habet: atq; ipsi instauratitia ab Opifice accedit immortalitas. Quare si Plato Mundum animantem esse putat, cuiuis autem animanti, ab ea vitæ, quam habet, forma & specie tributa est natura & essentia: & cœlum sanè naturam & essentiam suam habebit à forma suæ vitæ. Hanc verò vitam iterum, atque iterum cœlum sibi adquirere dicit, & instauratitiam ac rediuiuam immortalitatem ab Opifice obtinere. Non igitur indissolubilem & immortalem cœli substantiam esse arbitrabatur, quare neq; sine principio naturam eius esse constituit. Quicquid enim principio caret, necessariò expers est interitus, per naturam. Et quicquid natura interire potest, natum sit necesse est.

Psal.102. *Sap.cap.1.*

XXIX. QVO'D si in aliis Plato Mundum per se sibi satis esse dicit, nec rei vllius indigere, nulli morbo, nulli senectuti esse obnoxium: non ideo tamen eiusmodi esse dicit, vt ad perpetuitatem ipse sibi sit satis: verùm eius esse modi, vt ab vllo eorum, quæ extrinsecus incurrere possunt, & corrumpendi vim habent, nihil tale, quale nostra corpora, ipse perpetiatur. Neque enim extra Mundum corpus est vllum, à quo tale quid perpetiatur, quale hæc singula ab ambiente nos

aëre perpeti videmus: neque vt nostra corpora & rerum singularum vnaquæque ab ambiente discutiuntur, & disipantur, & supplementum eius, quod decedit, per ea, quæ extrinsecus subeunt, recipiunt: sic & cœlum. Extrinsecus enim nihil est, neque quod disipaturum seu discussurum sit, neque nutriturum. Ipse enim, inquit Plato, ex interitu suo sibi suppeditat alimentum: nam vnius interitus, alteri fit alimentum. Aëris enim, verbi gratia, interitus, aut aquæ, aut ignis fit procreatio. Atque in reliquis eodem modo se res habet. Hac igitur ratione nullius externi indigere dictus est. Atque ita nullo morbo, nullo affligi senio, quod extrinsecus nihil incurrat, à quo malè efficiatur: non tamen quod natura tum immortalis sit, tum per se satis instructus, vt sese sustentare posit. Soli enim ei naturæ, quæ mente comprehenditur, hoc inesse dicit, vt semper in iisdem, & eodem modo se habeat: corporatam autem naturam non huius esse ordinis, sed de eorum esse numero, quæ nascuntur & intereunt, nunquam autem verè sint. Qui fieri igitur potest, vt corporatam naturam, & sibi satis esse, & nullius indigere dicat, nisi ad eum, quem diximus modum? Vt autem intelligatur, quòd propter huiusmodi cogitationem, hæc de Mundo protulit, nihil æquè conducet, quàm ipsa Philosophi verba exaudire. Hæc enim habet in Timæo: Itaque „ & ob eam causam, & ab iis rebus numero quatuor, Mundi est corpus effectum, „ ea constructum proportione, qua dixi. Ex quo ipse se concordi quadam amici- „ tia, & charitate complectitur: atque ita aptè cohæret, vt dissolui nullo modo „ queat, nisi ab eodem, à quo est colligatus. Earum autem quatuor rerum, quas „ suprà dixi, sic in omni Mundo partes collocatæ sunt, vt nulla pars, aut facultas „ huiusce generis excederet extrà, atque in hoc vniuerso inessent genera illa vni- „ uersa. Id ob eas causas: primùm, vt Mundus animans posit ex perfectis partibus „ esse perfectus. Deinde, vt vnus esset, nulla parte, vnde alter gigneretur, relicta. „ Postremò, ne quis morbus eum posit, aut senectus affligere. Omnis enim co- „ agmentatio corporis, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi „ labefactatur, & frangitur, & ad morbos, senectutémque compellitur. Hanc igi- „ tur habuit rationem effector Mundi, molitórque Deus, vt vnum opus totum „ atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolueret, quod omni mor- „ bo senióve careret. In his tres causas Plato proposuit, cur effector Mundi ex- „ tra Mundum elementum nullum relictum esse voluerit, neque verò partem eorum, neq; facultatem. Partem siquidem, pro corpore posuit, vt partem ignis aliquam, aut aquæ, aut aliorum. Corporum enim partes & ipsæ sunt corpora: facultatem autem eas qualitates intelligit, quę formam ac speciem elementorum procreant: calorem dico & frigus, humiditatem, siccitatem: grauitatem prætereà ac leuitatem, & similes. Causam igitur vnam dicit, vt perfectus sit Mundus totus ex totis, perfectus ex perfectis elementis procreatus. Alterum, vt vnicus sit Mundus, ac non vt tum Democrito, tum nonnullis aliis visum est, complures, atque adeò infiniti sint Mundi. Nam si de Platonis sententia Mundus est animans, ex quatuor coagmentatus elementis, extra Mundum autem elementi nulla relicta pars est, sanè vt Mundus sit, aliter fieri nequit: cùm quæ Mundi efficiendi elementa vim habent, in hoc vno omnia sint comprehensa. Tertiam de-

niq;, vt nullo morbo senióve affligatur: quia nihil extrà sit relictum, à quo quicquam perpetiatur. Nam quemadmodum cùm ab ambiente nos aëre, præter modum refrigerantur, impensiùs aut incalescunt nostra corpora, aut humectãtur, aut reliquas affectiones perpetiuntur, à suo moderato temperamento depelluntur ac dimouentur, & ob id affliguntur senio & tabe cõficiuntur: eodem inquit, modo, si extra cœlum partes nonnullæ, aut facultates elementorum fuissent relictæ, illæ extrinsecus cœlo occursantes, suis ad agendum viribus eosdem in ipsum affectus inuexissent; quos ab ambiente nostris accidit inuehi corporibus. Vt igitur ab hisce perpessionibus liberum esset Vniuersum, intra ipsum, inquit, vniuersam elementorum naturam conclusit ædificator. Quanquam nisi ad senectutem & dissolutionem subeundam natum esset cœlum, nullo modo, vel si vniuersa elementorum natura extrinsecus incumbens ipsi occursaret, ab his quicquam perpetietur tale, quod eius natura admittere non posit. Quid enim, quæ in Mundo sunt rationis compotes substantiæ, à corporum agente facultate perpeti posint? Non igitur cœlum senio & morbo vacare ponit, quia sit incommutabile, aut propter natiuam eius immortalitatem. Contrarium enim, quod dixi, ex iis, quæ nunc producta sunt, ostenditur: nempe, quòd cùm natura mortalis & dissolubilis sit Mundus, quia natus est: & hoc quia corpus: & velit Plato, ipsum in æternum permanere, ne quam affectionem sustineat, quę ipsum interimere posit, nihil extra ipsum reliquit procreator, quod ipsius dissoluendi vim haberet naturalem. Cæterùm, quod natura est indissolubile, à nullo vnquã modo vllo dissolui potest. In Mundi igitur anima, ædificator Mundi apud Platonem Deus, tale nihil est veritus: sed hanc à medio quoquouersus ad extremũ cœlum, cùm explicauisset, nihil tale est suspicatus: ne quando propter coniunctionem cum iis, quæ calfaciunt, & refrigerant, immutationem vllam, aut varietatem subiret. Naturæ enim eius erat; quæ intelligentia tantùm comprehenditur, & quæ semper est in iisdem, & eodem modo se habet. Sed quid de Mundi anima loquor? Neque enim cùm nostras animas corporibus alligauit, & quod caducum est, immortali attexuit, quicquam eorum, quæ corrumpendi vim habent, ipsas pati timuit, vt quas immortalis naturæ esse profitetur. Fieri igitur nõ potest, vt quod natura est immortale, ab elementis quicquam perpetiatur. Ea enim sola à se mutuò affici nata sunt, quę eandem inter se materiam participãt & similium affectionum naturam sunt consequuta. Quare si cœlum non similis, aut eiusdem esset naturę cum elementis, aut potiùs si non ex ipsis coagmentatum esset, secundùm Platonem, etsi vniuersa elemẽtorum natura extrinsecus in ipsum incurreret, nihil ab ipsis afficeretur. Nunc autem cùm natum sit, ab iis affici, ex quibus ipsum iunctum est & coagmentatum, ne quid afficiatur extra ipsum, Plato effectorem nihil relictum esse voluisse dicit. Verùm etsi nihil sit extrinsecus, à quo quicquam Mundo posit accidere: tamen quoniam nouit Plato corpus omne finitis gubernari viribus, & nullum esse, quod infinitarum sit particeps, vt Platonis discipulus Aristoteles in fine octaui libri Phys. ausc. comprobauit. Quicquid autem infinitis præditum non est viribus, in infinitum sufficere, aut perdurare nullo modo potest. Et ob id tum cœlum, tum Mundum

Vniuer

vniuersum, cùm corpus sit, & viribus præditum finitis, ipsum sibi ad perpetuitatem sufficere nullo modo potest, nec si nihil quidē sit, quod extrinsecus ipsum aut frangere, aut labefactare queat. Finitam enim facultatem ob id ipsum, quòd finita sit, aliquando defatigatam deficere, atq; euanescere, est necesse. Ipsi tamen videtur indissolubilis permanere Mundus. Et ideo ipsum procreatorem ei adhibet, qui vitam ipsius atq; immortalitatem instauret, vt hoc modo in perpetuum permanere posit. Nam si natura incommutabilem, atque immortalem esse Plato ipsum est arbitratus (cuiusmodi earum rerum, quæ mente concipiuntur, naturam esse dicit) cur ampliùs immortalitatem eius instauratitiam esse dicit? hęc enim inter se cohærentia non sunt. Aut cur extra ipsum nihil relinquit, ne affectus ab eo senio tabéve conficiatur? Et cui inesse dicit, vt nullius indigeat, non tamen propter naturæ eius perfectionem, quæ ipsa sibi satis esse posit, sed proptereà quòd nullius externi indigeat: quia ipse quod deest, adiectione supplet, & instaurat. Audi enim cuiusmodi sunt, quæ de eo in Timæo dicit: Omni autem, » inquit, læuitate Mundi figuram totam circundedit, multis de causis. Neq; enim » oculis egebat: quia nihil extrà, quod cerni posset, relictum erat. Nec auribus: » quia nec quod audiretur quidem: neque erant anima circunfusa extrema Mun- » di, vt respirationem requireret. Nec verò desiderabat aut alimenta corporis, aut » detractionem confecti & consumpti cibi: neque enim vlla decesio fieri pote- » rat, neque accesio. Neque verò erat vnde ita se ipse consumptione & senio ale- » bat sui: cùm ipse per se, & à se & pateretur & faceret omnia. Sic enim ratus est » ille, qui ista iunxit & condidit: ipsum se contentum esse Mundum, neque egere » altero, melius esse futurum ac præstantius. Itaque cùm ipsum altero non ege- » re dicit, non intelligit natura nullo indigere, sed quòd nullo egeat eorum, quæ extrà sunt. Neque enim more nostrorum corporum, eius quod deest, complementum extrinsecus accipit Mundus vniuersus. Sed ipse per se, & à se & patitur, & facit omnia: ita nimirum, vt pars vna faciat, & pars altera patiatur. Et partis vnius interitus, alterius partis pabulum efficitur atque accretio. Porrò cuius partes interitui & commutationibus obnoxiæ sunt, ipsum totum iisdem subiectum esse oportet. Siquidem totum nihil est aliud, quàm partes vniuersæ, vnde eo indiget, qui ipsum instauret atque retexat. Non igitur eiusmodi est Mundus, vt, aut pati non posit, aut nullius indigeat. Verùm eorum quidem quæ extrà sunt, nihil indiget, neque ab iisdem affici potest, quia extrà nihil sit relictum. Ipse tamen & patitur & óccidit à se. Quod autem est huiusmodi, id neque perpesionis expers est, neque immortale. Nihil enim, quod natura immortale sit (cuiusmodi sunt naturæ, quæ vi sua rationis sunt compotes) nec per partes quidem quicquam perpeti, aut interire natura potest; quoniam id totum & indiuiduæ & simplicis est naturæ: siquidem quicquam est omnino, quod natura sua sit immortale. Quare si natura immortalis Mundus non sit, sed acquisititiam & rediuinam immortalitatem extrinsecus accepit, natura certè omnino mortalis est, & caducus. Quòd si natura, secundum Platonem, mortalis est, non temerè principium ipsi tribuit, quo esse cœperit. Quare efficitur, vt hoc pacto Plato nihil sibi repugnans, proposuerit, cùm & natum Mundum esse dicit, & natura mortalem, im-

mortalitatem autem aduentitiam ipsi præter naturam, ab opifice & ædificatore Deo accedere. Porrò, quòd Proclus hæc non ignorarit, sed & ipse accuratè nouerit, quòd Mundus, quantum in ipsius natura situm est, non habet, vt sit perpetuò: quia omnis corporata natura, á finita facultate sustentatur: quòd autem perpetuò sit futurus, id externum & aduentitium extrinsecus adipiscatur. Nunc verò sponte nos fraudulenta conclusione fallit, dum Mundum non interire, à Platone dici absolutè sumit: neque distinguit, quomodo id à Platone sit dictum: atq; hinc conficit, quòd Mundum penes tempus ortu carere arbitratur: quòd hæc, inquam, nouerit Proclus, nobis erit perspicuum, si ex multis ipsius verbis pauca hîc proposuerimus, quibus id solùm semper esse profitetur, quod mente & intelligentia tantùm comprehenditur: id autem omne, quod sentitur, nasci & interire, verè autem nunquam esse. Pro Platone enim defensionem scribens Proclus, præter alia complura, hæc etiam addidit.

Procli ex eo Opere, quod inscribitur, Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles.

" Hoc igitur vnum sumendum nobis est, an etiam cœleste corpus natum " esse dicendum sit, & eodem modo Mundum vniuersum. Quomodo autem non " necesse sit, atque ex quibúsnam causis ipse nobis subiecit, ad hunc modum dica" mus: Nullum enim, inquit, finitum corpus, viribus infinitis præditũ esse potest. " Atque hoc in Octauo Phys. Ausc. lib. confirmauit. Si igitur finitus est Mundus, " id quod & ipse probauit, ipse viribus infinitis præditus esse non potest. Atqui " quòd æternitas, seu æuum, sit infinita facultas, in superioribus demonstrauimus. " Mundus igitur sempiternus non est, qui viribus præditus non sit infinitis. Quòd " si æternus non est (nam quod huiusmodi est, id æui & æternitatis est particeps: " quod autem æui est particeps, id infinitæ compos est facultatis) Mundum non " semper esse est necesse. Nam semper esse & ipse æui proprium esse dicit, cùm ab " eo, quod semper sit, αἰῶνα, hoc est æuum, Græcis appellationem inuenisse velit. " Vbi ad hunc modum Proclus confirmauit, quòd secundum Aristotelis decreta, " Mundus in eorum numero esse non potest, quæ semper sunt: deinceps osten" dit, vt semper gignatur, ipsi aliunde, ac non ex sua ipsius natura, conuenire. Sic " enim ait: Neq; enim quod in eo verũ est, quod semper est, id protinus in eo etiã " est verum, quod semper gignitur: nempe vt hoc ipso, quòd semper gignatur, vi" res habeat infinitas, vt illud easdem habet, ideo quia semper sit: verùm id ei con" uenit, quod hoc efficit, & cuius ope hoc gignitur semper, acquirens sibi vt sem" per sit, propter illud, quod verè semper est, cùm hoc, quantum in sua ipsius natu" ra est positum, id non habeat, vt sit semper. Vnde fit, vt eius quod gignitur defi" nitio, Mundo adaptari posit. Et paulò pòst: Quicquid igitur nascitur, id ipsum " per se omnino etiam interit. Vinctum autem ab eo, quod est, cùm in eo maneat " vt gignatur, id totum esse dicitur, quod gignitur. Et propterea quòd ita est, non " interit id, quod ex eo sibi conciliauit, quod verè est. Cùm igitur ipsum per se de" finitionem eorum quæ gignuntur accipiat, ipsum interire dixit, vt quod sua " ipsius natura sit eiusmodi. Idem in iis, quæ deinceps sequuntur. Quoniam Vni-

uersum

uersum est finitum. Quod autem finitum est, viribus non est præditum infini- » tis: vt ipse probauit. Quod verò infinito motu mouet, id viribus mouet infinitis: » nempe illud immobile, quod infinitæ motionis Vniuerso causam adfert, ipsum » viribus pręditum est infinitis. Quare si ratione ab illo Vniuersum seiunxeris, non » mouebitur in infinitum, cùm virium compos non sit infinitarum: sed mouendi » finem habebit. Sin iterum ipsum cum illo coniunxeris, illius ope mouebitur, & » impelletur in infinitum. Neq; verò absoni quicquam erit, si quæ connexa sunt, » cogitatione separemus, vt perspiciamus quidnam vni ab altero cõueniat: & per- » spicientes intelligamus, quidnam à sua ipsius natura habeat deterius, quid item à » societate & coniunctione cum præstantiore. Et haud ita multò pòst: Omnino » enim, quoniam his etiam conuenit, quæ hîc visuntur in terris, vt partim inter- » eant propter virium infirmitatem & imbecillitatem, partim conseruentur, pro- » pter vires, multò magis his, quæ non intereunt, conueniet perpetuitas, atque im » mortalitas, propter vires, eásque infinitas. óccidit enim vis omnis finita. Cùm » igitur, vt ipsi etiam Proclo videtur, Mundum, quia viribus præditus non est infinitis, non esse semper necesse sit: verùm vt semper sit, vel veriùs, vt semper gignatur, aduentitium habeat ab eo quod semper est: cùm quantum est in ipso, non habeat vt semper sit, sed nascatur & intereat: & ob id si quis ab ipso seiungat, id quod ipsi causa est, vt gignatur & semper moueatur, quia virium compos non est infinitarum, mouendi finem habebit, & ideo etiam esse desinet, quia vis omnis finita intereat: cùm hæc, inquam, Platonis decreta Proclus etiam sit confessus, certè Mundum natura caducum esse profitetur: immortalitatem autem ipsi supra naturam conuenire, quæ à vi quadam præstantiore ipsi suppeditetur. Quare si natura caducum esse Mundum Proclus in hoc argumento probauit, & ob id necessariò esse natum, perspicuum est, quòd Philosophus hoc in loco sponte, nos fraudulenta conclusione fallit: tum modum, quo Plato Mundum interitus expertē esse dicit, prætermittens. Nam si quid cuipiã supra ipsius naturam conuenit, non protinus id à propria natura ipsum transmutat, aut dimouet, vt eiusdem generis ac naturæ sit cum eo, à quo eiusmodi natura ipsi cõuenit. Nam qui supra montium vertices diffusus est æther, etsi vnà cum cœlesti corpore torqueatur in orbem, & supra suam ipsius naturam hoc motu impellatur, vt Aristoteli placet: nihilominus ipse in eorum corporum est numero, quæ recto motu cientur: neque motum habebit, qui characterem præferat propriæ ipsius substantiæ, vt propterea ipse eiusdem formæ atq; naturę esse dicatur cum cœlesti corpore. At verò neque instinctu diuino percitas animas, quæ supra suã ipsarum naturam cognoscunt, quæ sunt, quæ fuerint, quę mox ventura trahuntur, substantiam à reliquis diuersam induisse dicemus propter eam diuinandi vim, qua diuinitus sunt imbutæ. Iam verò vt nonnulli eorum qui apud Græcos, vt illi asseuerauerunt, Deo pleni, vt autem ipse affirmauerim, à prauis occupati dæmonibus, gladiis, vt sermone multorum fertur, sua ipsorum corpora dissecantes, & per medium ignem incedentes, nihil eorum, quæ tum ab igni, tum à gladiis corpora solent, ipsi, vt aiunt, perpessi sunt. Neque verò alterius ob id naturę, aut substantiæ ipsorum corpora fuisse dixerint, quàm reliquorum: neque impa-

tibilia propterea, & eiusmodi fuisse, vt labefactari & interire nullo modo possent. Ad eundem plane modum, si hæc Vniuersitas à vi quadam superiore, opinione Platonis, habet vt sit indissolubilis, non protinus ob id naturæ eorum erit, quæ & semper sunt, & nullo modo possunt interire. Verùm quoniam sua natura interire potest, nata etiam erit necessarió. Porrò, quæ in decimotertio capi. libri, quem citauimus, scribit Proclus, contra Aristotelem, quòd Platoni succenseat, quasi ille Mundum naturâ quidem óccidere posse voluerit, Dei tamen cōsilio atque voluntate nunquam futurum, vt intereat: quæ, inquam, ibi Proclus scribit, volens nobis persuadere, non solùm Dei consilio Mundum id habere, vt nunquam intereat, sed sua etiam ipsius natura, quòd ea præterquam quòd nihil necessariò conficiant, ipsum etiam & sibi & Platoni, & verò veritati repugnare conuincant, hîc docere supersedeo, ne superuacanea verborum turba orationē meam videar onerare. Nulla est enim oratio, quę conuincere posit, quin omne corpus viribus præditum sit finitis: Et, quin quicquid finitarum est virium, interire sit necesse, ac non sufficere in perpetuum atque perdurare. Cùm igitur virium eiusmodi sit Mundus, hunc modis omnibus est necesse naturæ esse interitus capacis, quantum ad propriæ eius naturæ vires attinere potest. Quare & natus est necessarió. Siquidem quicquid interit, id natum esse est necesse. Fieri igitur potest, vt Mundus etiamsi penes tempus natus sit, & ideo dissolubilis, & mortalis, ab aliqua tamen, quam pro eius natura superiore facultate, aduentitiam atque rediuiuam obtineat immortalitatem. Neque ob id, quia non sit interiturus, natum nunquam fuisse conficietur, quoniam non per suæ naturæ, ac substantiæ rationem habet, vt sit sempiternus, & vt non intereat.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum septimum.

SI Vniuersi anima ortu caret, & interitu, Mundus quoq; ortu & interitu vacare debet. Nam eius, vt cuiusuis animæ, ratio in eo est posita, quod est, ipsum motu ciere. Quicquid autem seipsum impellit & mouet, id fons & principium est mouendi. Quare si Vniuersi anima sempiterna est, ipsum Vniuersum semper esse est necesse, vt quod ab ipsa motu cietur. Nam vt Vniuersum aut prius aut posteriùs animæ motu agitatum non fuerit, fieri nullo modo potest, cùm ipsa semper sit mouendi principium, neq; posit mouendi initium non tribuere, quæ secundùm suam essentiam ipsa à se mouetur. Et ob id ipsum mouendi est principium. At verò & ortus & interitus ob id ipsum expers est anima, quia ipsa à se mouetur. Est igitur Vniuersum tum ab ortu, tum ab interitu alienum. Hinc porrò perspicuum est, quòd omnis anima primum corpus sempiternum ingressa est, & id semper mouet. Quòd si caducis insit corporibus, illa eorum beneficio motu ciet, quæ ab ipsa perpetuò mouentur.

Capita solutionis septimi Argumenti.

I. *Expositio aggreßionis septimi epicherematis.*

II. *Quòd non ab ipsa re sumptum sit propositum epicherema, sed ex Platonica hypothesi quæ nulla nititur demonstratione.*

Quòd si anima in eo suam essentiam nacta esset, quòd mouendi sit principium, vt sine corpore natura eius consistat, fieri non possit. III.

Quòd si ab omni corpore animæ naturam ac substantiam separari posse concessum est, fieri non potest, vt ipsa in eo vim ac naturam suam obtineat, quod mouendi sit principiū. Et quòd ipse quoque Proclus nouit, quòd in alio suam essentiam ac naturam habet anima, & in alio mouendi est principium. IIII.

Quòd fieri non potest, vt perpetuæ sint animi actiones, illæ quibus corpus impellit: & ob id neque hic corpus perpetuo motu ciere potest: neque sempiternum corpus vllum ab ipsa semper contineri. V.

Quòd nullus corporis motus, nec vlla mutatio ortu caret aut interitu. Unde neque corpus vllum ab anima motu perpetuo agitatur, etsi nata non sit anima, vt Platoni videtur. VI.

Quòd eius motus, qui redit in orbem, principium esse non dicit Plato, id quod ipsum à se mouetur. Ubi docetur, quòd nulla animans, quæ sub Luna viuat, natura corpus in orbem impellit. Et quòd non sine arbitrij libertate, sed animarum sponte & voluntate animatorum corporum in loco perficitur motus. VII.

Quòd etiamsi ex opinione Platonis anima nunquam nata fuisse concedatur, & cuiusuis motus principium, nullo modo necesse est, vt si est anima, vnà cum ea sit & corpus sempiternum. VIII.

Quòd etsi quatenus vitam anima impertitur corpori, mouendi principium à Platone esse diceretur, ne sic quidem efficeretur, vt qui animam non natam esse dicit, is Mundum etiam ortus expertem esse constituat. Ubi docetur, quòd ex habitu corporum vita quies est, ac non motus. IX.

Quòd non rationis compos anima, sed rationis expers, vitæ cuiusuis corporalis, & motionis est causa, rationis autem compos componit tantùm & moderatur affectionum ratione carentes motus. Unde efficitur, vt non sit necesse, vt si est causa & principium huiusmodi motus, eius nempe, qui rationi est consentaneus, protinus sit & id quod moueatur. X.

Quòd si anima esse ponatur, non statim id corpus esse ponitur, quod ab ipsa moueatur. Sed si ipsa tollatur, vnà etiam tollitur animatum corpus, quia est animatum, tum secundum Logicæ præcepta, tum secundùm ea, quæ Platoni videntur. XI.

Quòd etsi ipsa sua essentia, non voluntariæ vitæ, & motionis corporibus causa esset anima, non propterea tamen necessariò efficeretur, vt si anima esset, protinus esset & corpus, quod ab ipsa mouetur. XII.

Quòd etiam in ipso Phædro, quemadmodum & in Timæo, tum vitæ, tum motus finem omne corpus Plato palam habere tradit: nihil autem quod intereat, ortu carere. XIII.

Quòd fabula sit, cui nulla est habenda fides, ea quæ de sempiterno corpore à Græcis traditur hypothesis, quod lucidum dicunt, & quod primum rationis compotes animas subire aiunt: & ipsum mouere, & eius ope corpora caduca impellere. Et ibidem quòd fieri non potest vt sempiternum corpus penes locum immobile manens, vi quadam naturali corpus moueat quod interit, vt magnes ferrum mouere solet. XIIII.

Quod fieri nequit, vt quod versatur in orbem sempiternum corpus, ad rectam lineam caducum moueat. XV.

Quòd si, cùm illud rectà moueatur, caduca corpora mouet, aut secundùm naturā rectà mouetur, aut contra naturam: verū vtroq; modo non sempiternum erit, sed natū interire. XVI.

XVII. *Quòd quomodocunque statuatur moueri illud, quod ab ipsis fingitur sempiternum corpus, non poterit mouere caducum, nec si intra ipsum sit, nec si extra, neque in toto, neque in parte. Ubi etiam ostenditur, nullum corpus per corpus aliud penetrare ac permeare posse: nec si ex cœlestibus, nec si ex iis sit, quæ sunt infra Lunam: neque alia in aliis esse posse.*

XVIII. *Quòd fieri non potest, vt corpus illud, quod ex æternitate, ab anima contentum esse dicunt, aliud sit ab iis, quæ aut rectà feruntur, aut versantur in orbem.*

XIX. *Quòd neque ex iis corporibus esse potest, quæ recto motu ciuntur, siquidem est sempiternum.*

XX. *Quòd neque ex iis, quæ versantur in orbem, hoc est, ex cœlestibus, ipsum esse potest.*

XXI. *Quòd neque misceri corpus illud potest ex iis, quæ rectà mouentur, & iis quæ versantur in orbem, neque natura per circunuolutiones clauiculatim moueri: vt nonnulli dicunt. Et quòd nullum est omnino corpus, quod natura conuolutionis motu in modum clauiculorum moueatur.*

SEPTIMI ARGVMENTI PROCLI SOLVTIO.

I. CVM Plato animam, nec vnquam natam, nec caducã esse in Phædro pronuntiet, & essentiam eius ita finiat, vt id sit, quod ipsum à se mouetur, ídq; principium mouendi esse statuat, hinc iterum Philosophus conficere conatur, quòd si hæc ita se habent, Mundum nec natum, nec caducum esse oportet: aut si ortu & interitu non caret Mundus, neque Vniuersi animam ortus & interitus esse expertem: quasi necessariò stent simul, & simul intereant anima, & corpus, quod ab ipsa motu cietur. Quoniam enim, inquit, ipso suo esse, & non delectu, aut arbitrio ipsa se mouet anima, & mouẽdi est principium: & prętereà, sempiterna est & immortalis, oportet Vniuersum quoq; semper ab ipsa moueri: aut si non semper Vniuersum ab ipsa moueretur, quia Mundus non esset sempiternus, neque ipsa esset sempiterna. Nam ipsa sua essentia mouendi est principium. Quare si non semper mouendi esset principium, neque ipsa esset sempiterna. Si igitur perpetuò mouendi est principium, corpus sit, quod ab ipsa semper impellatur, necesse est. quare hinc, inquit, efficitur, vt cùm per Platonem ortu anima careat, & interitu, Mundum neque ortum, neq; caducum esse per eundem necesse sit. Deinde, quoniam animæ nostræ, secundùm Platonem, ipsæ à se mouentur: & de iis in Phædro Plato maximè verba facit, tum quòd ipsæ à se mouentur, tum quòd id, quod ipsum se mouet, mouendi est principium: nata autem euidenter & caduca sunt, quæ ab ipsis mouentur corpora, hoc est nostra, à rebus sumptam reprehensionem Proclus volens effugere, non linum lino, iuxta parœmiam, sed fabulam fabulæ cõnectit. Quoniam enim secundùm ipsum, animam rationis compotem & sempiternam perpetuò corpus aliquod promouere oportet: omnem animam dicit primùm sempiternum corpus ingressam fuisse, & ipsum semper mouere, etiamsi in caducis insit corporibus: per sempiternum autem illud etiam caduca mouere. Propositi igitur syllogismi, vel potiùs paralogismi, seu captionis ratio est huiusmodi.

II. ATQVE cuiuis apertum esse puto, quòd non ab ipsa re ducta est proposita argu-

ta argumentatio, neque hîc æternitatis Mundi ab iis petitur probatio, quæ communi consensu recepta sunt: sed ab iis tantùm, quæ Platoni probantur: vnde, opinor, oportuit nos non admodum assentiri Platonis nulla fultis demonstratione decretis. Nam cùm ambo sint amici, vt inquit Platonis discipulus, tamen veritatem pluris facere, pium est & sanctum. Quanquam si reuera Platonis de anima opinionibus consequens esset, Mundum neq; natum, neq; caducum esse, non decebat tamen longam huiusce rei orationem habere, priusquam euidentibus ac necessariis probationibus antecedentia confirmata fuissent. Nunquam enim equidem statuerim naturam ac finitionem animę in eo esse, quod ipsum à se mouetur. Et nisi propositum mihi scopum excederem, propositis in medium iis, quæ a Proclo in Commentariis in Phædrum dicuntur, vt defendat ipsum à se moueri, naturam esse ac finitionem animæ euidenter, vt opinor, ostenderem nihil firmum aut necessarium eius rationem habere: verùm hæc in pręsenti missa sunt. Platonis igitur decretum recipientes, quod animæ vim ac naturam in eo esse statuit, quòd ipsa à se moueatur, & id, quod à se moueatur, mouendi esse principium: videamus, an ex hisce necesse sit, vt cùm Plato animam neq; natam neq; caducam esse dicit, Mundum quoq; neq; natum, neq; caducum esse constituat. Et quoniam tota captionis coagmentatio ex eo habuit initium, quòd Plato id, quod ipsum à se mouetur, mouendi principium esse dicit, hoc ipsum quale sit, considerandum nobis est: & an huic hypothesi necessariò consequens sit, Mundi æternitas. Nam si probatum fuerit nihil esse necesse, cur priori posterius sit consequens, nihil certe vetabit, quominus animam quidem ortu carere, & id, quod ipsum se mouet, mouendi principium esse proposuerit Plato, Mundum tamen procreatum esse voluerit.

ANIMAM igitur mouendi esse principium, aut idem est, quod eius vis III. ac natura, vt scilicet in hoc ipso anima suam nacta sit essentiam, quod motionis sit principium, aut certè in alio ipsius vis est ac natura, seu ea sit id, quod ipsum se mouet, seu quiduis aliud, in alio autem ipsa habet, vt mouendi sit principium: perinde atq; ædificatori in alio est, vt sit in natura, & in alio, vt principium sit & causa ædificationis: & præceptori in alio est, vt sit, & in alio, vt discipulum promoueat. Si igitur in anima idem est animam esse, & mouēdi esse principium, & ob id, vbi primum est anima, id corpus esse protinus est necesse, quod ab ipsa moueatur & cuius mouendi ipsa sit principium (principium enim, alicuius est principium) quandoquidem neque ipsum, quòd ab anima corpus impellitur, quatenus ab anima mouetur, sine impellente anima esse possit. Quicquid enim motu cietur, id à mouente aliquo impellitur: vt in iis probauit Aristoteles, quæ de motu composuit. Simul certè tum anima, tum quod ab anima mouetur corpus, quatenus ab ipsa motu cietur, aut stant, aut cadunt. Non igitur fieri potest, vt sit anima sine corpore, quod ab ipsa moueatur. Nam si huius mouendi ipsa est principium, quod autem mouendi est principium, id animæ est essentia, animæ porrò essentia, dum actu permanet, idipsum est, quod est, non autem dum facultate est: actu igitur ac non potestate mouendi principium est anima: actu autem motionis vt sit principium, sine eo, quòd ab ea moueatur corpore, fieri non po-

test. Anima igitur sine corpore, quod impellat, esse nullo modo potest. Quare efficitur, vt animę essentiam in habitudine ad corpus positam esse eueniat. Nam si quis citra corpus ipsam per se animam constare posse dicat, cùm sit mouendi principium, perspicuum est, quòd animam quidem actu constare concedet, facultate autem ipsam ponit mouendi esse principium. Quòd si hoc verum est, ab alio anima suam vim & essentiam obtinebit, ab alio autem, vt mouendi sit principium. Nam si idem esset animæ essentia, & motionis esse principium, si vnum actu esset, alterum quoq; actu esset necessarió. Sinautem non in hoc animæ vis est & natura, vt mouendi sit principium, nihil erit necesse, cur si animam sempiternam quis esse dicat, Mundum protinus sempiternum esse constituat. Quare conficitur, vt si in hoc anima habet essentiam, quòd mouendi sit principium, nunquam ipsa per se sine eo, quod ab ipsa impellatur, corpore constare possit. Quẽadmodũ enim annexa materiæ corporũ vita, sine corpore esse non potest, ob id quia in eo suam habet naturam, quòd vita sit corporis: & omnino rationis expers anima, quæ & ipsa à se mouetur, & mouendi est principium, secundùm Platonis sententiam (id quod & Proclus in suis in Phædrum Commentariis cõfitetur) sine corpore consistere nullo modo potest: propterea quòd in eo suam vim habet, ac naturam, quod corpori vitam & motum impertitur. Hîc sanè nec anima Mundi, siquidem in eo suam consequuta est essentiam, quòd corporis mouendi sit principium, sine corpore stare vllo modo potest, nec vllam exercere functionem, quę à corpore separari queat. Nam si substantia sine corpore nequit consistere, multò minùs functiones eius citra corpus constare posśint. Hoc enim scitè ab Aristotele in lib. de anima confirmatum est. Et in hoc omnes cõsentiunt, quòd sine substantia sit aliqua, quæ à corpore separari posśit, actionem quoq; omnino à corpore separabilem habebit (Nam aliôqui separata substantia frustra erit omni functione viduata) siue actio sit à corpore separabilis omnino, & substantia, à qua functio eiusmodi emanat, poterit à corpore separari. Neq; enim actio substantia potior esse potest: potior autem sit, siquidem à corpore sit separabilis, cùm ab eo substantia nequeat separari. Potiora autem esse ea, quę à corporibus separabilem habent naturam, iis, quę ab iisdem separari nequeunt, apud omnes in confesso est. Si igitur causa est substantia, actio autem id quod oritur de causa, fieri verò nequit, vt effectus causa sit potior, & eo quod in naturam producit id, quod producitur, fieri profectò nequit, vt si functio à corpore separari potest, non etiam substantia ab eodem separetur. Omnino igitur est necesse, vt si animæ essentiæ à corpore seiungi non potest, nulla quoq; animæ functio ab eodem separetur. Quod apertè falsum est.

IIII. VIDENTVR enim cùm adhuc in corpore sunt animæ, vbi primùm à corporis contagione, & ab eius affectionum consensu liberatæ fuerint, à corporis commercio liberas & separabiles functiones exercere. Quam enim corporis particulam, aut quomodo mens cõtinebit, vel fingere, aut comminisci est difficile. Est igitur omnino necesse, vt animę substantia, à qua huiusmodi manat actio, ab omni corporis contagione, & societate sit libera, neque cum corpore vllam habeat relationem, vt tum Platoni, tum pręstantisśimis quibusque Philosopho

sophorum est visum. Huic enim immortalitatem eius collegit Plotinus, cùm ex eius functionibus separabilibus substantiam quoque docuit necessariò separari, & Deo esse immortalem. Quòd si ab omni corpore separabilis est animi substantia, neque ex relatione ad ipsum pendet, non sanè in eo suam habuit substantiam, vt mouendi esset principium. Hoc enim nihil est aliud, quàm animam in comparatione cum corpore vim suam & naturam habere: quemadmodum docuimus. Nam aliòqui absurdum esset, corpus ipsum, quatenus est corpus, in nulla comparatione cum anima suam essentiam obtinere (siquidem animatis corporibus inest ab alio, vt sint corpora, & ab alio, vt sint animata. Neque ad id, vt corpora sint, vllo modo comparatione cum anima indigent) incorpoream autē animam & intelligentem & immortalē dicere sine corpore non posse cōsistere, siquidem in eo ipso habet, vt sit, quod motionis sit principium: hoc enim nihil est aliud, quàm intelligentem animæ substantiam corporibus facere deteriorem. Quòd autem ipse etiam Proclus nouerit, quòd ipsi animæ in alio sua est natura & substantia, & in alio, vt mouendi sit principium: & quòd seu contempletur, seu corpori vitam impertiatur, seu quo alio motu ipsum impellat, hæc omnia animæ sunt functiones, & non eius substantia, ex permultis aliis scriptis eius certa fide confirmare liceret. Satis autem erit, ex eius in Phædrum Commentariis vel locum vnum producere. Propositum enim Platonis de anima sermonem exponens, hæc habet ad verbum: Scire nos decet, quòd in Phædone, tum per reminiscentiam animam immortalem esse confirmauit, tum per similitudinem, quam ipsa cum diuinis habet, tum quòd ab iis vitam suppeditat. Hæc autem omnia animæ sunt functiones. Quare in Phædone ab animæ functionibus producebatur demonstratio: hîc autem ab ipsa animæ substantia probationem instituit. Quantò igitur substantia animæ actione est potior & perfectior, tantò quæ hîc immortalitatis animæ producitur demonstratio, ea potior est, & accuratior, quæ est explicata in Phædone: ab animæ enim essentia eius docetur immortalitas, hoc est, ab eo, quòd ipsa se mouet. Cùm igitur alıis, hoc est, corporibus vitam impertiri, ex qua omnis actio, & omnis motus animatis suppetit corporibus, animæ functionem ac non substantiam dicat esse Proclus: substantiam autem in eo esse, quod ipsa à se mouetur, non sanè idem est animæ substantia, & ipsam causam & principium esse mouendi. Quòd autem ipsa se moueat, de Platonis sententia, animæ est substantia. Quòd verò sit motionis principium, vis quædam est animæ, à qua vitam impertiendi corporibus, & eadem motu ciendi functio manat. Ex dictis itaque demonstratum est, quod fieri non potest, vt in hoc animæ sua natura sit & essentia, quód mouendi sit principium. Quare ei, qui ortu & interitu animæ substantiam carere dicit, non est necesse, vt Mundum quoque nec vnquam natum, nec caducum esse constituat.

SIN verò animæ aliunde sua est natura, ac substantia, & aliunde, vt mouendi sit principium, actio omnino aut vis est animæ, qua motionis est principium, vt pręceptor, cum promouendi discipuli sit principium, non quia homo est, huiusmodi motus est principium. Nam hoc pacto fieret, vt omnis homo, vbi pri- V.

mùm eſſet homo, idem eſſet & præceptor. Verùm hoc ei per vim aliquam cō-petit, aut actionē, quę in eius ſit ſubſtantia. Cùm hoc igitur ita ſe habeat, vt cō-firmatum ſit, vim eſſe animæ, aut actionem, qua mouendi efficitur principium, ſi quiſquam eſt, qui docere poſſit omnem animæ vim ſeu facultatem comitem ſtatim habere actionem, aut ſaltem animæ functiones omnes eſſe ſempiternas, nos confitebimur, quòd quatenus anima eſt mouendi principium, æternas ipſa functiones exercet, hoc eſt, corpus aliquod motu ciet ſempiterno. Verū ſi æternæ non ſunt animę functiones, neq; ea, quibus cognoſcit, neq; ea, quibus agit, ſed ex ignoratione in cognitionem mutatur, & viciſsim ex cognitione in ignorationem, atq; obliuionem, & itidem ex vitio in virtutem, & rurſus ex virtute migrat in vitium, quid ampliùs neceſſe eſſe videbitur, cur animæ vis qua impellit corpora, ſempiternas edat functiones? facultate igitur interdum mouendi erit principium, & non actu: quemadmodum & facultate interdum ſciens eſt quis, & non actu: aliôqui cuiuis eſt perſpicuum, quòd actiones animæ, quibus ipſa ad ſe conuertitur, & quæ præterea maioris adhuc ſunt intelligentiæ, quæque nos ad Deum ſubuehunt, longè, vel potiùs infinitò eas antecellunt, quas ipſa exercet cum corpore: & tantò fortaſſe, quantò anima eſt corpore præſtantior: atq; adeò (vt melius dicam) quantò ea, quæ mente tantùm concipiuntur, & mens, ne dicam Deus, ipſi naturæ corporum antecellunt. Siquidem intelligentes animæ functiones animam Deo conciliant, & quaſi coniungunt, reliquæ autem corporibus. Si igitur potiores animæ functiones, hoc eſt, intelligentes, & quæ nos ad diuina ſubuehunt, ſempiternæ non ſunt, multò ſanè minùs deteriores, & quæ nos ad inferiora detrudunt, æternæ ſint futuræ. Nam ſi meliori melius adeſſe oportet, ac non contrà, melius deteriori, ſempiternum autem caduco melius eſt, patet quòd ſi intelligentibus functionibus æternitas non inſit, multò minùs in animæ functionibus, quæ corpus impellunt, cùm hæ, quàm illæ, ſint deteriores, inerit, vt ſint ſempiternæ. Nam aliôqui intelligentes animæ functiones ſecundùm ipſius animæ functionem eſſe, apud omnes in confeſſo eſt: ſiquidem mens eſt, & intelligens. Quæ autem motu cient corpora facultates, eæ & præter naturam rationi inſunt, & eſſentialem eius perfectionem non complent. Neq; enim ex eo, quòd ratio ac mens impulſu agitat corpora, proprietatis ſuæ eſſentialis characterem obtinet. Naturæ enim potiùs atq; ratione carentis facultatis, hoc eſt proprium, non rationis compotis, & intelligentis eſſentiæ. Quare ſi rationis compotes, & quæ animam noſtram perficiunt functiones, ſempiternæ non ſunt, multò ſanè minùs, quæ cum corpore cohærent, & quaſi contra naturam ſunt, atque alienæ, poſſunt eſſe ſempiternæ. Quare ſi quæ ad corpus exercentur functiones, æternæ non ſunt, neque corpus ſempiternum ab anima contineri poteſt.

VI. LICET autem & ad hunc modum in re propoſita argumentari: Quæ in corpore efficiuntur motiones omnes, aut, vt omnino dicam, mutationes genere ſunt quatuor: in ſubſtātia quidem ortus & interitus: in quantitate accretio & decretio: in qualitate immutatio: in loco migratio, ſeu loci permutatio: atq; huius vna per rectā lineam efficitur, vt elementorū (horum enim alia infernè ſurſum,

ſum,alia ſupernè deorſum nituntur,altera in orbem eſt conuerſio,qualis eſt orbium cœleſtium.Si igitur motus corporum principium, & cauſa, eſt anima, & ob id ſine delectu & voluntate, ſed ipſa eſſentia perpetuò mouet corpora, vt Proclo videtur, omnino per vnum aliquem horum motuum, aut per omnes, aut per plures anima perpetuò corpus impellat eſt neceſſe. Quare ſi quod mouet,perpetuò mouet,& id quod mouetur, perpetuò moueri debet, & motum oportet eſſe perpetuum,qui neq; principium,neque finem obtineat.Videndum eſt igitur, an vllus ſempiternus ſit motus ex iis, quos adnumerauimus. Nam ſi nullus ſit æternus,neq; corpus,quod mouetur,perpetuò motu ciebitur: neque quę impellit anima,perpetuò agitabit.Porrò quòd neque ortus,neque interitus vllus exors ſit principii,aut finis, cuiuis eſt perſpicuum. Nam id quod gignitur, in finem & terminum aliquem, nempe in formam ac ſpeciem, deſinit: vt domus procreatio, initium habet à iactis fundamentis, finem autem domus, formam.Sic & in iis,quæ natura gignuntur, ortus initium ſeminis eſt mutatio: finis autem naturalis eſt formæ perfectio,verbi cauſa,humanæ.Eodem modo & id quod corrumpitur,in finem aliquem,nempe in priuationem,& id quod non eſt,deſinit:&,vt paucis dicam,ſi procreatio via eſt ab eo,quod nō eſt,ad id quod eſt,interitus autem via eſt ab eo,quod eſt,ad id quod non eſt,fieri non poteſt,vt ortus & interitus principio careant & fine, cùm terminos habeant id quod eſt, & id quod non eſt.At verò neq; in qualitate immutari quidpiam perpetuò poteſt(Eſt enim in rebus ſtatus ac finis)neq;,vt Heraclitus cenſebat, in motu ſunt omnia. Nam & immutatio, cùm motus ſit,à duabus formis continetur, ac circumſcribitur,tum ea,ex qua,tum ea,ad quam fit progreſsio: vt dealbatio via eſt à nigro ad candidum,ad quod cùm peruenit, id quod immutabatur, & dealbatum eſt,in eo deinceps conquieſcit. Iam verò ſenſus actu cùm immutatio quædam ſit ſenſuum,quòd tum oriri,tum interire natus ſit,palàm eſt:neq; enim videmus,neq; audimus,neq; vllo alio ſenſu ſentimus continenter: quandoquidem ſomnus nihil eſt aliud, quàm quies ſenſuum. Eadem in accretione & decretione dicimus.Neque enim in immenſum augeſcunt corpora: ſed tum quieſcunt, cum ad naturæ modum peruenerunt. Quare etiam diminutio, quæ accretioni aduerſatur, terminum habet & finem. Supereſt igitur, vt in loci mutationibus rem expendamus, an in iis vlla ſit perpetua. Quòd igitur, quæ rectis mouentur lineis,& initium habent & finem mouendi,& vtraq; ex parte,hoc eſt,tum ante principium,tum poſt finem à quiete continentur,abunde Ariſtoteli probatum eſt.Nam ſi motus eſt in magnitudine,magnitudo autem infinita non eſt,neque motus certè,qui ad rectam lineam cietur, infinitus eſſe poteſt. Sed neq; regredi perpetuò ſine interiecta quiete poſſunt, quæ rectis lineis mouentur: vt ſi quod ſupernè deorſum depellitur,regrediatur,& iterum infernè ſurſum nitatur, inter contrarios motus omnino erit interiecta quies. Nam & hoc Ariſtoteles neceſſaria ratione probauit. Porrò de conuerſione in orbem, qua cœleſtia verſantur corpora, quòd nec ipſa ſempiterna ſit, pleniùs tum adiutore Deo demonſtrabitur,cùm Ariſtoteli in Mundi æternitate contradicemus:nam ad hoc nobis pluribus verbis erit opus.Quòd ſi in primo argumento abunde nobis oſtenſum eſt,

quòd fieri nō poteſt,vt ortus Mundi ſit ſempiternus (vt & accuratiùs priuatim docebitur,vbi omnium dubitationum moleſtias ſuſtulerimus)perſpicuum eſt, quòd neque motus in orbem , quæ conuerſio dicitur , ſempiternus eſſe poteſt. Quare cùm nullus corporis motus ſit ſempiternus,nec corpus ſit, quod perpetuò moueatur, neque anima perpetuum corpus impellat , fieri certè poteſt, vt Mundi anima,de ſententia Platonis,ſit ſempiterna, Mundus tamen non ſit ſempiternus.

VII. NEQVE verò de ea,quæ in orbem fit conuerſione, ſermo nos admodum vrget in præſenti. Nam Plato in Phædro de animis noſtris verba faciens, & horum immortalitatem volens docere, animæ naturam id eſſe definiuit, quod ipſum à ſe mouetur : quod autem ipſum ſe mouet , motus corporum eſſe principium.Cæterùm,cuiuis eſt perſpicuum, quòd nullum in nobis corpus adparet, quod verſetur in orbem. Omnis enim animans totum ex toto locum commutat.Nullum autem corpus quod verſetur in orbem , ex toto in totum locum alium commigrat,ſed omnia circa ſua centra,quæ immota manent, conuerſantur.Nullum igitur animal corpus habet vllum,quod circulari conuerſione impellatur. Quare, cùm Plato id quod ſeipſum mouet , mouendi principium eſſe dixit, non conuerſionis principium eſſe voluit.Nam omnis animæ naturam, ac finitionem in eo eſſe voluit, quod à ſe mouetur. Non omnis autem anima corpus impellit,quod vertatur in orbem.Nihil enim eorum,quæ infra Lunam continentur,hac conuerſione cietur. Non igitur conuerſionis principium id Plato eſſe dixit, quod ipſum à ſe mouetur. Et aliòqui Proclus ſine delectu & arbitrio, ſed ipſa ſua eſſentia animam mouendi principium & cauſam eſſe dicit.Motu autem in loco non ipſa ſola eſſentia, & ſine electione adparet animā corpora mouere,ſed ex appetitu & arbitrio. Nam ſi ipſa eſſentia ſua anima in loco corpora cieret,continuata certè,& perennis eſſet motio: neq; vnquam animantium corpora in eodem loco conſiſterent. Siquidem perpetuò promouendi vim haberet anima , & naturæ delectionis experte facultate moueret. Nunc autem omnis qui ad rectam lineam inſtituitur motus, & à quiete incipit , & in quietem desinit.Non igitur ſine libertate,& ipſo ſuo eſſe anima ad rectam lineam motu ciet corpora. Quòd ſi rectus motus, qui in loco fit, ex appetitu animæ, & arbitrio manat,& non ab ipſa ſubſtantia ſine voluntate,conſequens ſit,vt ſi vlla conuerſio ab anima fiat,eadem animæ voluntate & arbitrio perficiatur. Quoniam & conuerſio ex iis eſt motibus,qui in loco fiunt. Quis autem à ratione abhorrere non videt,vt ſingularum animarum vnaquæque voluntate,& arbitrio ſubiectū ſibi corpus in loco moueat : ſola autem vniuerſi anima naturæ ratione carentium modum ſine electione principium ſit & cauſa motus Mundi?Quòd ſi ex arbitrio animæ perficitur motus in loco,Proclus autem non ex arbitrio & voluntate,ſed ipſa ſubſtantia à ſe moueri,& motionis principium animam eſſe dicit,non ſanè eius motus, qui fit in loco, Plato animam principium eſſe voluit. Quare & circularis conuerſio motus eſt in loco,& ex iis certè, quæ ab ipſo Proclo dicuntur,confirmatum nobis eſt,quòd non conuerſionis principium Plato id eſſe voluit,quod ipſum à ſe mouetur.è reliquis autem motibus nullum eſſe perpetuum

apud

apud omnes in confesso est. Non igitur perpetui motus principium id esse dixit Plato, quod ipsum se mouet. Quare nec si Vniuersi animæ conueniat animarũ nostrarum definitio, statim ob id erit necesse, vt si à Platone anima nunquam nata & incorrupta manere dicatur, Mundus etiam, qui ab ipsa motu cietur, ortu careat & interitu.

AT VERO etiamsi omnis motus, & eius etiam, qui fit in loco, principium id esse posuerimus, quod à se mouetur, ne sic quidẽ vlla adparebit necessitas, cur vnà cum anima id etiam sit corpus, quod ab ipsa mouetur. Animam enim, quę motionis est principium, non natam esse dicit Plato. Nam principium ortu carere, non rectè mihi sanè dicere videtur: quandoquidem ratione carentes animæ, motionis carentium ratione corporum sunt principium (nam & ipsæ, iuxta Platonem, à se mouentur: & ob id vnaquæque mouendi est principium) non tamen ortus sunt expertes, & eius motus, qui in lapide fit deorsum secundùm naturam, principium est & causa ea, quę in ipso lapide insidet natura: & ea, quæ in igne est insita, eius motus est causa, qui sursum efficitur. Neq; verò vllus affirmare ausit, quòd quæ in singulis corporibus natura inest, ea ortus sit expers: tamen, etiamsi secundùm Platonem concessum sit animam ortu carere, & mouendi esse principium, nullo modo adparet esse necesse, cur vnà cũ anima ea sint, quorum ipsa est principium: quoniam non in eo suam substantiam habet anima, vt mouendi corporis sit principium, vt probatum est. Nam & ædificator eius motus, qui in ædificanda domo insumitur, causa est & principium: & præceptor iidem eius motus, quo promouetur discipulus in discendo: non tamen vbi primum est, aut ædificator, aut præceptor, statim est quod ædificetur, aut qui doceatur: quia non in eo naturam suam & substantiam obtinuerunt præceptor & ædificator, quòd mouendi sint principiũ. Iam verò & Deus princeps est, & primaria causa atque principium omnium, tum quæ sunt, tum quæ futura sunt: non tamen vnà cum Deo omnia in natura constiterunt. Siquidem in Vniuerso sunt, tum quæ ortus, tum quæ interitus sunt capacia. Atque adeò, quod maius est, omnino est necesse, vt ipsius motionis, eorum quæ nascuntur & intereunt, sit principium & causa. Nam ab anima animantium perficitur motus. Quapropter si eius quod nascitur & interit, corporis mouendi principium est anima, anima autem, ex Platonis sententia, nata non est, corpus autem hoc ortu non caret, efficitur certè, vt non necessariò, vbi primum est ptincipium & causa mouendi corporis, corpus id sit, quod moueatur. Nam etsi concessum fuerit, non sine medio aliquo corpore caducum corpus ab anima moueri, sed per medium sempiternum, vt ait Proclus, omnino est necesse, vt ipsi ponant, aut animam ipsam caduci corporis mouendi esse principium, aut sempiternum illud corpus, aut vtrunq;. Verum quodcunq; ex hisce esse posuerint, necessariò confitebuntur, principium & causam caduci corporis mouendi secundùm ipsos esse sempiternum: ipsum autem quod mouetur corpus, ortum esse & caducũ. Nullo igitur modo est necesse, vt si cuiusq; principium ortum non sit, ipsum quoque, cuius est principium, ortu careat. VIII.

VERVM si quia viua reddit corpora, ob id animam mouendi princi- IX.

pium à Platone dici contenderint, vnde sine libertate & delectu hoc ipso solo quòd pręsens sit, corpori vitam impertiatur, & ob id omnino oportere velint, ut esse, quod perpetuò ab ipsa vitam accipiat: primùm quidem inquisitione dignū puto, quæ nam ea tandem vita sit, quam anima tribuit corporibus. Deinde, an fieri posśit, vt vita eiusmodi sempiterna sit. Modis certè omnibus est necesse, v quo viuētia corpora ab his differunt, quæ vita destituta sunt, id vita sit ea, quam anima impertit corporibus. Porrò, quę viuunt corpora, ab iis differunt, quę no viuunt, quòd sentiant, alantur, augeantur, similia sibi procreent, cieantur appetitu, & voluntario animæ motu progrediantur. Quare omnis corporum vi his continetur. Horum autem vnunquodq; aut facultate in viuis cernitur corporibus, aut actu: Facultate autem ea dico, quæ penes habitum spectatur. Quò autem nulla harum animæ functionum sempiterna sit, nempe nec sensus, n progresśio, nec accretio, nec imminutio, nec aliud quicquam eorum, quę adnumerauimus, ex ipsa euidentia paulò antè nobis demonstratum est. Quapropt non ipsa substantia sua eius vitæ, quæ actu corporibus inest, anima principium est, & causa. Quòd si eius vitæ, quæ per habitum inest, principium & causam æternitate animam esse dicit, & hanc vbi primùm inest, vitam tribuere corporibus, primùm quidem nullus habitus, nulláque omnino vis est motio. Nam actu sensus, & accretio motus est, palam est, quòd horum vtrunq; in habitu omnino in facultate quies erit, sensus & accretionis. Non enim ex motu in motum mutatio fit in iis, quæ ad rectam mouentur lineam, sed ex quiete ad motum, quemadmodum ex motu in quietem. Et in reliquis eadem est ratio. No igitur vita, quæ facultate inest corporibus, motus, sed quies potiùs est dicen Quare cùm motus principium id esse dicit Plato, quod ipsum se mouet, no corporum vitam, quæ viribus & facultate inest, motum esse dicit. Non igit necesse habebit Plato, quia id quod per se mouetur, motus esse principium, id ipsum ortus & interitus expers esse dicat, Mundum etiam non natum esse cere, & incorruptum permanere: siquidem neque corporum vita, quæ iisd per habitum inest, motus est: neque qui actu vitales ipsorum functiones ed motus sunt sempiterni. Vnde efficitur, vt quatenus interdum corpus moue anima potest, motionis principium eam esse dicat, & non quatenus perpet mouet. Nam aliter Platonis hypothesis naturæ rerum consentiens esse non potest, vt euidenti probatione docuimus. Quare si Platonem decet ea concludere quæ non perperam cohæreant, semper facultate motus principium id esse dic quod per se mouetur, actu autem non semper.

X. SIN quisquam sit, qui eam corporum vitam, quæ per habitum insit, motum aut esse, aut dici cōncesserit, vt Proclo videtur, licet orationē altiùs à capi arcessentes, omnino dicere animam cōpotem rationis nullo prorsus modo h iusmodi corporū vitæ, neq; eius quæ habitu, neq; eius, quę actu insit, corporib esse causam videri. Nam si aut sensus aut motus, aut vlla deniq; alia ex iis viribu aut functionibus vitæ inseruientibus quę in corporibus conspiciuntur, & qua ratione corpora viuere dicūtur, ipsis corporibus ab ipsa rationis participe anima sufficeretur, nihil viueret, quod non rationis compotis substātiæ esset particeps.

Nunc

Nunc verò rationis expertes animantes, cùm anima careant rationis participe, omnium vitę functionum, quas diximus, adparet esse participes: atque adeo permultæ viuidiùs sentiunt & accuratiùs, ac reliquis fruuntur animæ facultatibus. Perspicuũ est igitur, quòd non à rationis participis animæ substantia vita huiusmodi impartitur corporibus. Id autem vnum ab anima vtente ratione iis accedit, quæ ipsam participant, quòd ipsa ratione carentis vitæ modum temperat, & eadem moderatur. Atque hæc rationis est vita, facultatum animæ ratione carentis in perturbationibus positarum motus, pro rationis pręscripto ad modum & temperiem reuocatus. Et quemadmodum in bigis, quas Plato animæ nostræ imaginem referre voluit, cur omnino corpus moueatur, ad equos causa est referenda: verùm cur ex arte, & decoro motus progrediatur, præfecto aurigæ causam tribuimus. Sic planè & in nobis cur omnino nostra viuant corpora, in rationis experte anima causa collocanda est. Cur autem ordine & modo decenti vires perturbationum incendant, causa est ratio. Quòd si in singulis animantibus non sine interiecto medio rationis particeps anima coniuncta est corpori, sed quasi vinculo ratione carentis animæ est opus, cuius ope corpus effectum viuum ad rationis participem animum excipiendum idoneum efficitur, prorsus certè est necesse, vt si cœlesti corpori vlla rationis compos præfecta est anima, multò magis nec ipsa eidem sine medio adiuncta sit, sed rationis experte facultate vtatur, cuius adminiculo à rationis participe anima cœlo accedat illustratio. Neque enim possunt corpora, quæ ipsa per se vitæ & sensus sunt experta, nullo interiecto medio, ab anima rationis participe collustrari. Perinde atque neque oculus noster sine translucido interiecto corpore Solis radios excipere potest. Atque ea nunc dicimus, quæ ipsi Sapientes Græci sentiunt. Cùm igitur rationis expers anima, vitæ causa sit corporibus, palam, quòd etiamsi id quod à se mouetur, hoc est rationis particeps anima, mouendi esset principium, non omnis tamen motus est principium, sed eius tantùm, qui ordine fit, & rationis modo. Nam in corporibus anima carentibus, motus, qui ipsis inest, principium est natura. Natura enim, vt Aristoteli placet, motus est, & quietis principium. Quæ enim in igne natura inest, ea principium est & causa, cur ignis sursum euehatur: & quæ aquæ inest, itidem cur aqua deorsum fluat. Atq; cuiuis est perspicuum, quòd non à rationis participe anima, ea mouentur, quæ animata non sunt: si quidem nec ab ea impelluntur animantes illę, quę ratione non vtuntur. Quemadmodum igitur principium & causa, cur currus arte & temperamẽto certo feratur, est in auriga: & cur nauis, itidem in nauclero. Cur autem omnino & absolute horum vtrunq; quomodocunque agitetur, neuter est causa: neque cùm primùm est auriga, aut gubernator, protinus nauim & currum esse oportet. Potest enim per habitum esse tum auriga, tum gubernator: cùm tamen neque nauis sit, neque currus. Ad hunc planè modum cùm anima rationis compos, motionis sit principium, non cuiusuis, sed eius, quæ rationi sit consentiens, nullo modo erit necesse, vt vnà cum participe rationis anima, protinus sit corpus illud, quod ab ea impellatur.

CONTRARIO enim modo adfectum est necessarium. Nam si XI.

anima tollatur,ea etiam animata corpora,quæ ab eadem impelluntur,simul tol
lantur oportet.Quoniam si animata sunt corpora,animam quoq; esse est neces-
se.Non tamen si est anima,omnino consequens est,vt sit animatum.Nam cùm
animum immortalem esse persuasum sit, animata tum nasci, tum interire cer-
nuntur.Sic enim & Plato in Phædro,non vnà cum anima necessariò cœlum esse
pronuntiauit.Sed si ipsa tollatur, protinus ordinis rationem, quam Mundo ani-
ma suggerit,in confusionem deduci.Ad verbum autem in eo, quem citauim
« Dialogo,hæc habet:Ita sit, vt motus principium ex eo sit, quod ipsum à se mo-
« uetur.Id autem nec nasci potest,nec mori, vel cóncidat omne cœlum, omnisq;
« natura consistat necesse est:nec vim vllam nanciscatur, qua primo impulsu mo
« ueatur. Ad id enim animum aduertere decet,quòd cùm nec nasci nec mori
posse dixit,quod ipsum à se mouetur,non ea,quæ ortum eius sequuntur, quod
« se mouetur, sed ea intulit, quæ eius interitui sunt consequentia. Eueniet enim,
« inquit,vt cóncidat omne cœlum,omnisq; natura consistat,nec vim vllam nan-
« ciscatur:qua primo impulsu moueatur. Hoc enim non eius ortum consequi-
tur,quod ipsum se mouet.Nam si quod à se mouetur, nascatur,rursum iis mo-
uendi principium tribuit,quæ mouentur, vt cuius primo impulsu moueantur.
Verùm si id quod ipsum se mouet,moriatur,mortuo principio nihil quicquam
habebunt,cuius vi constent ea,quæ ab ipso in naturam producuntur. Atq; hoc
non solùm ex Platonico pronuntiato, verùm etiam ex rationis consecutione,
atq; adeò ex ipsa rerum natura palam est & perspicuum. Nam cùm, vt dictum
est,persuasum sit, animum esse immortalem, nostra corpora immortalia esse
non est necesse. Quare non necessariò vnà cum animo id corpus erit, quod
eo mouetur.Quare si necessariò,quando est animatum corpus,consequens est,
vt sit anima,ex Logicę artis legibus,per conuersionem cum oppositione:non
anima est, necessariò est & corpus, sed si anima non est, corpus animatum
est necesse.Nullo igitur modo est necesse,vt qui animum non natum esse di
Mundum quoque propterea non natum esse dicat.

XII. CAETERVM, quoniam Proclus, quasi hinc rationi suæ vim ne-
sariam adsciscere velit, animam dicit ipsa sua substantia sine libertate causam
esse & principium vitæ & motus corporum, agedum, & nos hoc expendamus,
nósq; hoc concedamus,quanuis id Plato non concederet,animas rationis parti-
cipes ipsa essentia, sine arbitrio causam & principium esse vitæ & motus corpo-
rum:ipsa autem essentia dico,non quòd animæ in eo vim, & substantiam suam
obtineant,quòd mouendi sint principia.Hæc enim iam reprehensa est hypo-
sis.Nunc autem nobis est positum animam in alio suam habere substantiam
in alio, vt motus sit principium. Sed quemadmodum sol sine electione sta-
vbi comparuit,suo lumine collustrat,& ignis cùm primùm præsens est,calfacit,
siquidem ea sint præstò,quæ calfieri,& lumine collustrari possint.Neq; enim
hoc essentiam nactus est ignis,quòd calefaciat,neq; sol, quòd illuminet. Verùm
cùm præstò sunt quæ excipiant, sine arbitrio & delectione, & calefacit ignis,
sol illustrat. Ad hunc igitur modum positum sit, quòd quibus anima ratio-
particeps accesserit, iisdem substantia sua, nulla sua voluntate vitam inuehit
motum

motum. Cùm autem hoc ita se habeat, cur tandem est necesse, vt si ortu caret anima, ortu careat & corpus illud, quod ab ipsa mouetur? Nam lumen simul ac præsens est, vim habet eius mouendi, quod facultate est perlucidum. Et non omnino si lumen est, id omne illuminatur, quod est facultate translucidum, sed id tantùm, vt adparet, quod in natura est. Neq; verò id omne, sed id modò, quod ad illuminans relatione certa adfectum est. Nam quando sol est supra terrã, totus terræ subiectus aër, & aqua itidem terræ obiectu obscurata, quia ad id, quod vim habet illuminandi, non bene adfecta sunt, à lumine nullo modo immutantur: neque quod in ipsis est facultate translucidum, in actum deducitur. Atque adeò colores omnes, sua substantía, sine arbitrio conspectus mouendi viribus sunt pręditi, & soni aurium sensus: & reliqua deniq;, quę sub sensum cadunt, singula sensus alicuius mouendi vim habent: non tamen vbi primùm est color, protinus conspectum ab ipso moueri est necesse. Neque statim vbi est sonus, aurium sensum aliquem ab ipso sono cieri oportet. Atque in reliquis idem est iudicandum. Nam qui in profundo, aut subter terram delitescunt colores, quíque in tenebris iacent, natura quidem conspectus mouendi viribus valent. Atq; ipsa sua substantia non voluntate, sensus mouent oculorum: nullus tamen ab ipsis conspectus mouetur. Nam non in eo colores habent, vt sint, quòd conspectus mouendi facultate sint præditi: verùm constant quidem, & in eo sunt, quia sunt colores. Vnde etsi nunquam visi fuerint, nihilominus sunt colores. Accidit autem ipsis, vt sua vi conspectum tum moueant, cùm ipsis occursat, & erga eos ita est adfectus, vt erga id, quod agit, adfici solet. Quemadmodum igitur id, quod agit, priusquam præstò sit, quod patiatur, facultate agens est (facultate dico, quę per habitum insit) sic colores, si visus non adsit, facultate eadem conspectum mouere possunt. Idẽ & soni cùm sine electione aurium sensum mouere possint, si in deserto fuerint excitati, vbi præstò nihil sit quod facultatis sentiendi sit particeps, potestate tantùm auditum mouere dicũtur. Sic quod appetitum mouet, ipso suo esse appetitus mouẽdi vim habet: vt verbi gratia, formæ decor, amatoris mouendi facultate præditus est, non tamen vbi primùm est, quod moueat appetitum, necessariò ab eo mouetur cupiditas: sed tum demum, cùm in ipsam incubuerit, & adfectionem erga ipsum receperit. Quare cùm non omnino vnà cum eo omni, quod alicuius mouendi facultate est præditum, etiamsi sine electione, & ipso esse moueat, id necessariò sit, quod ab ipso natum est moueri, perperam sanè Proclus id arripiens, quòd nec natum, nec caducum id sit, quod ipsum à se mouetur, quódq; corporum motus id sit principium, & quòd deniq; ipsa substantia, ac non voluntate vim habeat corpora mouendi, his consequens esse dixit, Mundum non esse natum, & incorruptum manere: quasi verò vnà cum mouente causa sit necessariò, quod ab ea natum est moueri. Quod verum non esse, ex ipsis rebus demonstrauimus.

IAM ipsemet Plato in Phædro ei soli, quod à se mouetur, consequens esse dixit, vt nec natum sit, nec posit interire: quod autem aliunde mouetur, id & viuendi, & mouendi finem habere pronuntiauit. Verba autem eius sic habent: XIII.
Anima omnis immortalis est. Nam quod semper mouetur, æternum est. Quod »

" autem motum adfert alicui, quódq; ipsum agitur aliunde, quando finem habet
" motus, viuendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese mouet, quia
" nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinet. Quinetiam cæte-
" ris quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. Cùm igitur id solum, quod sese mouet, quia ipsum à se nunquam deseri posit, moueri nunquam desinat, & propterea sit sempiternum: contrà autem, omne quod agitur aliunde, & motus & vitæ finem habeat, & nullum corpus à se ipsum moueatur, vt & Aristoteles probauit, & Plato antè pronuntiauit: verùm corpus omne ab alio moueatur, cœlum autem & Mundus sit corpus, quod non ipsum à se impellitur, sed ab anima, quæ ipsa se mouet, agitatur, & quod, dum ab ea mouetur, moueat cætera, efficitur, vt secundùm Platonem, Mundus & mouendi & viuendi finem ha-
" beat. Atq; hæc cum iis sunt consentientia, quæ scripta sunt in Timæo: Quoniam
" orti estis, & immortales vos quidem omnino esse & indissolubiles non potestis.
Quod autem vitæ finem habet, eiusmodi esse non potest, vt non oriatur. Nihil enim quod interire potest, nascendi necessitatem effugere posit, etsi vi quadam maiore, quàm eius sit natura, ita contineatur, vt nunquam intereat. Neque verò id quod ortum non est, interire vnquam potest. Nam si quid, quod interire posit, non nasceretur, aliquid quoq; quod natum non sit, necessariò interitui subiaceret, quod fieri non potest. De Platonis igitur sentẽtia, cœlum ortu non caret, quod vi ac natura sua interitus expers non est. Atque ideo interitu non caret, quòd cùm mouendi finem habeat, viuendi quoque finem habet: vitæ autem & motus ideo finem habet, quia sese non mouet: sed aliunde, nempe ab anima, motum habet, & aliis, nempe iis quæ intra se continet, motum adfert. Vnde & immortale & indissolubile permaneat, rediuiuam & instauratitiam immortalitatem ipsi accedere dicit: quia vi ac naturâ sua immortalitatem non habet, vt pleniùs in Sexto confirmauimus.

XIIII. VERVM quoniam quod initiò dicebam, ex eo quòd anima sese moueat, Proclus effici dixit, vt vnà cum ea id corpus sit sempiternum, quod ab ea mouetur: ab ipsis autem rebus cùm firma vrgeretur reprehensione, quòd omnia nasci & interire adpareat, quæ ab animabus aguntur corpora, cùm ex confessis ea essent confirmanda, quæ ignota sunt: hoc est, cùm ex eo, quòd omnia, quæ animarum vi aguntur corpora, & nasci & interire perspiciatur, concludendum esset, quòd neque Mundi corpus ortu & interitu carere posit, ipse demonstrationis naturam deprauans, ex incertis incerta concludit. Nam vbi ne vlla probatione sumpsit, necesse esse, vt vbi est anima, necessariò sit & corpus, quod ab ea mouetur (id quod neq; ex ipsa euidentia, neque ex ratione certa credi potest) hinc apertum esse dicit, quòd omnis anima ęternum corpus primùm est ingressa, quod perpetuò mouet, quódq; si caducis insit corporibus per medium illud perpetuum eadem illa caduca etiam impellit: cuiuis autem opinor, est apertum, quòd si reprehensum fuerit antecedens, vnà euersum est & consequens. Nam si necessaria ratione probauimus, nullo modo esse necesse vt si est anima, sit & corpus, quod ab ipsa moueatur, palam est, quòd nulla est ratio, quæ conuincat animas primùm corpus perpetuum esse ingressas. Verùm

non perperam, vt puto, fecerimus, si ipsam hanc hypothesin, per se excusserimus: an ex vlla necessaria naturæ consequutione pendeat, vt necesse sit sempiternum aliquod corpus animabus esse alligatum, quod vnà cum ipsarum natura, & essentia protrahatur. Atque hoc primum ingressas esse animas, & eius ope caduca mouere corpus corpora. Nostrę autem inquisitionis eiusmodi esto principium: Corporum in loco duplex est motus: vnus, quo versantur in orbem: alter, quo per lineam rectam feruntur. Nam mistus, quem conuolutum, seu clauicularem Latini, Græci helicoidem appellant, non naturalis est: nullum est enim corpus, quod naturâ hoc conuolutionis motu agatur, vt in progressu, quamlibet euidens, confirmabitur. Quæ igitur ad rectam lineam mouentur corpora, præterquam quòd ab ipsa euidentia & nasci & interire perspectum est, Græci omnes Sapientes etiam prodiderunt. Nullum enim omnino licet corpus cernere recto motu impulsum, quod nascendi & moriendi legibus subiectum non sit. Si quod est igitur corpus, quod nec nascatur, nec intereat, aut prorsus erit immobile, aut certè si quis erit eius motus, vertetur in orbem. Hoc enim nobis interim esto controuersum, an quæ circulo mouentur corpora, non nata sint, nec caduca. Cum hæc igitur ita se habeant, si corpus est aliud, vt volunt, sempiternum, in quod primùm anima ingressa sit, & cuius ope caduca moueat corpora, ipsum certè loci permutatione impulsum, caducum corpus motu ciet: vt mulus motu impulsus plaustrum agit. Et manus dum ipsa motu cietur, aliud quidpiam mouet: aut sane immobile in loco ipsum permanens, vi ac facultate naturali caduca mouet corpora: quemadmodum magnes lapis in loco conquiescens ferrum mouet, & succinum paleas. Si igitur immobile manens, viribus naturæ mouet, non interdum quidem mouet, & interdum non, sed semper mouebit, dum erit præsens. Et ad illud, quod ab ipso cietur, corpus bene erit adfectum: eiusmodi etenim cernuntur, quę corporibus insunt naturę facultates efficientes. Nam magnes semper adiacens sibi ferrum proliciet, dum naturalis ipsius facultas debilitata & fracta non erit, sed integra permanebit, & succinum itidem paleas, & calidum, humoris trahendi viribus semper erit præditum, & frigidum vicina semper densabit corpora. Quòd si illud semper mouet, caduca quoq; corpora semper mouebuntur. Nam vt mouet mouens, sic quod mouetur, moueri est necesse. Verum caduca corpora motu non aguntur perpetuo, sed interdum sunt in motu, interdum in quiete. Ex quibus perspicuum efficitur, quòd neq; illud perpetuo mouet. Quare neque facultate mouet naturali. Nam aliôqui anima per illud corpus non amplius moueret, si viribus naturalibus ipsum permanens immobile caduca moueret corpora, sed sua vi illud causa esset primaria motus caducorum corporum: peinde atque magnes lapis primaria ratione causa est cur ferrum proliciatur, neq; prius ab anima impulsus mouetur. Quòd si non naturæ viribus mouet, superest, vt ipsum, dum ab anima in loco impellitur, caducũ corpus impellat, perinde atq; mulus cùm ab anima impellitur, plaustrum ducit, aut aliud quidpiam: sinautem motu impulsum mouet, aut dum ad rectam lineam ab anima mouetur, aut dum torquetur in orbem, alia mouet. Verùm, vt in orbem corpus illud versetur, & ita caducum agat, fieri non potest. Nam si

ideo mouet,quia ipſum impellatur,pulſu certè atq; vi mouet.Quod autem vertitur in orbem,id ita mouetur,vt circa medium punctum, quod centrum appellatur,immotum permaneat.Quo fit,vt totum ex toto loco non migret. Quî fieri igitur poteſt,vt motu ſuo ad rectam lineam corpus caducum à loco in locum totum per ſe totum traducat?Quod enim motu ſuo aliud mouet, & ab vno loco in alium traducit,quia ipſum ex loco in locum migret,illud aliud ſecum traducit.Equi enim locum ipſi mutant,vt currum & aurigam vnà ſecum transferant.At verò & quo motus genere mouetur illud quod mouet, eodem id quod mouetur,cieri oportet.Cœlum enim cùm motu ſuo ſubiectum ętherem ſecum rapiat,eundem torquet in orbem. Nam motum eum, qui in commutatione & procreatione cernitur,viribus magis & cœleſtium corporum certa habitudine, quàm abſolutè nuda vertigine,atq; conuerſione ſuppeditat:Quia enim ſol nonnullis propinquat, ideo ea calfacit, & ab iiſdem rurſus abcedens, ea refrigerat. Nunc autem de eo motu tantùm nobis eſt ſermo,qui in loco perficitur. Ventus igitur ad rectam impulſus,eâdem agit & nauem, & mulus itidem currum. Motus enim ſpecies eadem retinetur,etſi modus ſit differens.Motus autem modum dico,vt quòd mulus cruribus ingreditur,currus autem rotis illabitur.

XV. NEQVE verò,vt quiſpiam fortaſſe exiſtimauerit,rotarum motus ab eo ſpecie differens eſt,qui cruribus initur. Aduolutio enim eſt, rotarum is motus, non circularis conuerſio. Iam aduolutio rectus motus eſt quodammodo: vt ſi quis rotundum lapidem ad decliue quidpiam deuolui intelligat.Figura enim varietatis motus cauſa eſt,non ſpecies mouendi differens.Nam ſi quis rotarum figuram immutet, modus vnà variabitur recti progreſſus. Id quod & ea magnitudo indicat,in qua fit aduolutio, quæ in rectum extenſa eſt. Quare recta linea mouentur ea,quæ aduoluuntur: & volutio ideo rectus eſt motus, vt à quo ſolo motionis modo differens eſt.Quemadmodum quæ cruribus ingrediuntur,modò tantùm ab iis differunt,quæ ſerpunt & trahuntur. Eorum autem quæ naturâ verſantur in orbem,nihil aduoluitur.Hinc efficitur,vt,ſi caducum corpus recta linea mouetur,motu autem corporis quod nec naſcitur,nec interit caducum, vt aiunt,impellitur, fieri non poſsit, vt dum in orbem ſempiternum ipſum mouetur, corpus caducum ad rectam impellat.Non enim totum locum commutat id, quod verſatur in orbem. Et quoniam non ſolùm per ſe totum mouetur fluxum corpus,ſed etiam per partes, vt cùm manum ſolam quis mouet, aut digitum ſolum,aut pedem,aut caput, dicant iſti Sapientes, quis tandem motionis partis modus eſt? Nam ſi dum in orbem verſatur ſempiternum corpus, totum caducum corpus,ſecum ſuo motu impellit,quæ partis motus erit ratio? Neque enim ex eadem cauſa pars mouetur,& totum.Par autem,atq; adeò neceſſarium eſſe videtur, vt quemadmodum totius conuerſio, totum impellit, ſic & cùm ſempiterni illius pars aliqua mouetur, ea caduci partem aliquam impellat. Verùm fieri non poteſt,vt pars vlla eorum,quę vertuntur in orbem,per ſe ſine toto moueatur.Vnde igitur caduci corporis partes mouebuntur?Neque enim totius motu caduci pars impelli poteſt.Nam ſi totius ſempiterni motu veluti rurſum cietur corpus caducum,ipſum autem ſibi continuatum eſt,omnino eſt ne-

ceſſ-

cesse, vnà cum illius æterni motu trusum totum per se totum moueri. Quî fiat igitur, vt caduci corporis pars impellatur, dum totum manet immotum, explicare non poterunt. Quare si vt totum toto, sic partem parte moueri oportet, & pars à parte cieri non potest (quoniam eorum quæ circumaguntur, pars aliqua conquiescente toto, in orbem moueri non potest) neq; certè totius conuersio caducum totum impellit. Quare fieri non potest, vt dum in orbem versatur illud sempiternum, recta linea corpus agat caducum.

SVPEREST igitur, vt si omnino est illud corpus recta linea, ipsum quoque moueatur. Quòd si recto motu mouetur, aut natura ipsi rectus inest motus, aut non natura. Si natura igitur ipsi motus rectus inest, quoniam nullum corpus, quod motu recto impellatur, ortus expers est, & interitus, nec illud quidem ortu carebit & interitu. Sin autem non natura recto cietur motu, aut supra suam naturam ita impellitur, aut vi, & cōtra naturam. At vt supra naturam, fieri non potest. Nam quæ supra naturam aliquibus insunt, ea insunt aliis natura præstantioribus: vt conuersio in circulum, cùm supra naturam æthereo insit corpori, natura pręstantiori, nempe cœlesti, competit. Ob id enim suprá naturam, quæ huiusmodi sunt, nonnullis inesse dicuntur, quia potioribus quibusdam naturis competunt à natura. Et ideo diuino instinctu concitos animos, & futurarum rerum anticipatam cognitionem excipientes, aut in aliorū quorundam arcanorum cōtemplatione versantes, supra naturam functiones obire dicimus: quia pręstantioris cuiusdem naturæ, quàm pro hominum conditione sunt eiusmodi functiones. Quare si rectus motus naturâ caducis corporibus inest, supra naturam simul illi inesse corpori non potest, in quod animā primùm ingressam esse dicunt: siquidē illud hoc caduco est pręstātius. ęternum enim caduco nobilius esse concedunt: illud autem sempiternum esse contendunt. Quare si neque natura, neque supra naturā, modis omnibus est necesse, vt vi & contra naturam recto moueatur motu. Corporis autem nihil quod vi & contra naturam moueatur, ortus & interitus expers esse potest. Nam quæcunque ad rectam lineam impelluntur corpora, nempe particularia, vt hic ignis, hæc aqua, & quodq; reliquorum, & quæcunque prætereà cientur contra naturam, vt rursum particularia (ignis siquidem vi & contra naturam deorsum depellitur, & gleba, aut aqua sursum eiicitur) &, vt vno verbo dicam, omnia, quæ motum contra naturam admittunt, nasci cernuntur & interire: neque quicquam est eiusmodi, quod nascendi & intereundi legibus subiectum non sit. Vnde efficitur, vt neque corpus, quod contra naturam moueatur, ortus & interitus expers esse posit. Ipsa enim via ad id quod est contra naturam, principium & causam interitus adfert corporibus. Huc adde, quod eius motus, qui contra naturam est, aliqua causa sit oportet. Quare si aliud corpus rursus inuestigabūt ortus expers, quod ipsum moueat, in illo rursum eodē modo hæsitabimus. Atq; in immensum progredietur oratio: aut necessariò confitebuntur, animā nullius medii corporis ope caducū corpus subiisse, sed ipsum proximè mouere: nullius autē corporis ope dico, quòd sempiternū corpus nullū sit mediū. Nam inter compotē rationis animā, & corpus mediam esse tum naturā, tum expertes rationis vires nos quoq; cōfitemur. XVI.

XVII, ET aliôqui, si corpus illud ortus expers & interitus, quia, vt profitetur hypothesis, ab anima mouetur (seu ad rectam lineam, seu in orbem quis dicere velit) caduca mouet corpora: & corpus omne quod suo motu corpus aliud mouet, contactu illud impellit, efficitur, vt sempiternum illud caducum ita moueat, vt ipsum contingat. Est igitur omnino necesse, vt sempiternum aut extrinsecus, aut intrinsecus caducum contingat. Verùm si ita mouet, vt extrinsecus ipsum tangat, motus causa extrinsecus comparebit. Iam nihil sentimus, quod moueat extrinsecus. Sed contrà, neruos, qui mouendi viribus sunt præditi, intra corpus delitescere in confesso est. Neque verò extrinsecus vndique corpori nostro coniunctus esset aër, siquidem vllum esset aliud corpus, quod extrinsecus caducu corpus contingens, ipsum moueret. Atque adeò si corpus aliquod nobis omni ex parte continuatum esset extrinsecus (hoc enim ita fieri accideret, ac si qui totus innataret submersus aquis) seiunctum illud esset à nobis, neque inesset im. perfecto, non contingens nos extrinsecus. Fieri enim non potest, vt simul aqu nos omni ex parte contingat, & aliud prætereà corpus. Nam per corpus permearet corpus. Quod fieri non posse in confesso est: & nos necessaria ratione paulò pòst confirmabimus. Oportet igitur, vt natantes ab anima nullo medi moueamur: & non ab illo corpore, quod nos extrinsecus contingit & moue Hanc igitur hypothesin, vt facilem ad refutandum, prætermittamus. Iam si intrinsecus sempiternum illud natum & caducum corpus, tangit, omnino est necesse, vt aut totum illud sempiternum per totum caducum permearit, aut pe partes tantùm se ipsi mutuò contingant, vel potiùs per extremitates partium si mul coniunctarum: quomodo omnia corpora sese contingentia se mutuò tan gere naturâ solent. Porrò, totum per totum permeare non potest. Corpus eni per corpus permeare non posse persuadent naturæ Interpretes. Nam aliôq fieret, vt cyathus totum caperet mare. Si enim duo pares cyathi se mutuò ita netrarent, vt ambo eodem loco caperentur, quid vetaret etiam tres, atque ad infinitos in eodem contineri? Nam cùm minus maioris sit mensura, quia qu quid terminatum est, à quouis finito & terminato metiri possumus: efficitu totum mare in cyathum intrare posit. Vnde concludimus, quòd si hoc abs dum est, & eiusmodi, quod fieri nequeat, corpus in corpus penetrare non pos Neque verò corpus magis in hoc intrare nequit, quàm in aliud: sed nullum mnino in aliud intrare, & illo capi & contineri potest. Siquidem neque cœle corpora sese mutuò penetrare conspiciuntur, sed tantùm se mutuò continge Vnde fit, vt astra se mutuò obscurent, quasi non solùm corpora in se mutuò pe netrare non posint, sed nec lumen superorum corporum, per subiectas ste permeare posit: quia perlucida non sint astrorum corpora. Nam si in sese mu tuò intrare corpora possent, nunquam sese mutuò obscurarent: quia tum ip tum lumẽ, quod ipsis inest profundum totum occuparet. Quare si fieri nequ vt lumen ipsa permeet, multò minus fieri potest, vt ipsorum corpora mut sese permeent ac penetrent. Nam cùm persuasum sit dimidiũ lunæ orbem pe petuo solis splẽdore illustrari, quod in dimidiato eius orbe incumbit lumen, n valet ita fundum eius permeare, vt alteram partem dimidiam collustret. Cùm

enim

enim quãdo(exempli gratia)quinta aut septima Luna est eius pars,ea quę ad Solem spectat,illuminata sit,vt,inquam,radii solis incumbunt, & id translucidum totum colluceat,quod partem illuminatam contingit, reliquam tamen corporis partem illustrare non potest. Quasi quod in parte eius insidet lumen,profundum ipsius penetrare non possit.Quare si quod celerrimum est,& maximè permeabile lumen,per Astrorum corpora permeare non potest,multò magis persuasum esse debet, quòd neque ipsorum corpora sese mutuò penetrare possunt. Nam si ipsorum corpora in sese mutuò intrare nata essent, quod in ipsis lumen inest,corpora penetrare posset:siquidem in ipsis subiectis lumen inest.Et vbi est subiectum,ibidem & illud lumen adesse necesse est. Quare si lumen in ipsa ingredi non potest, multò minùs corpora poterunt. In omnibus enim prædicta valebit ratio.Aliôqui enim possit in minima mole,& quod aiunt,in milii grano cœlestium corporum moles contracta contineri. Quare si fieri non potest, vt minor magnitudo,vt Solis moles,totius cœli sit capax, sanè cœlestia corpora se mutuò penetrare non possunt.Minimè igitur omnium per vllum corpus, quod sit infra Lunam, cœlestia permeare possint. Quoniam nullum corpus quod sit infra Lunam,alterius corporis est capax:idq; eò minus,quàm cœlestia, quantò hæc,quam illa crassiora sunt,& terrena magis.Vnde efficitur, vt neq; sempiternum illud totum per caducum totum penetrare possit. Ambo igitur frustatim comminui,& se mutuò incidere oportet,cùm in se mutuò continentur: vt in iis humidis fieri cernimus,quæ inter se commiscentur.Quare neutrum erit ipsum sibi continuum, nec sempiternum illud, nec caducum. Cùm hoc igitur falsum sit,& dictu absurdum. Est enim ipsum sibi continuatum totum caducum corpus. Siquidem secundum Hippocratem, conspiratio vna & confluxus est vnus, omniaque ita inter se sunt adfecta, vt alia aliorum adfectiones mutuò sentiant. Non igitur in toto caduco sic inesse corpus incorruptum illud potest, vt ambo a se mutuò frustatim comminuantur,vt humida corpora,quæ inter se confunduntur & commiscentur.Esto tamen,si cui ita libet,vt totum corpus caducum permeare totum sempiternum possit: quod tamen fieri non posse probatum est. Necesse est igitur,vt caduci corporis conformationem & figuram æternum illud suscipiat: vt quæ in vase sunt humida corpora,receptaculorum suorum figuram excipiunt.Quare eandem cum caduco conformationem instrumentorum æternum habebit. Adquid igitur tum iis, quæ ad procreandos liberos destinatæ sunt,tum reliquis partibus æternum vtetur? Atqui à propria & naturali figura hoc modo exciderit.Verùm tam obtusam hypothesin hanc esse puto, vt nihil sit obtusius. Nam quod ortu caret & interitu,commutationis contra naturam capax nullo modo esse potest. Quî sempiternum igitur illud esse possit, quod à naturali figura desciscit,& in eam transit,quę est contra naturam?Quare vt accidere possit, corpus corpore capi, fieri tamen non posse probatum est, vt corpus illud,quod proponunt,sempiternum totum in toto sit caduco.Sinautem totum illud sempiternum in totum caducum ingressum non est,sed in aliqua eius parte sedem habet, primùm dicant, in quánam illa?Neque enim facilè quis qui id fiat,animo fingere poterit.Esto igitur vt in particula aliqua,vt verbi

gratia,in cerebro collocatum ſit æternum corpus.Quomodo igitur in ipſo erit? An ita vt incumbens ipſum tangat,an verò per totum permeauit?Eadem enim in parte controuerſa erunt,quæ in toto dubitauimus. Quî fit autem, vt reliquis partibus per ſe motum adferat?Nam totum cùm quieſcat,partes impellit,vt dictum eſt.Quî fit igitur,vt cùm ſit in cerebro,agitet digitum pedis? Aut enim totum pulſu partis impellet propter continuitatem, neq; partis proprius erit motus:aut partem illam tantùm mouebit,quam contingit: atq; ſi totum non mouebitur,neq; partium vlla pelletur.

XVIII. HIS adde, omnino eſſe neceſſe corpus illud aut ex eorum eſſe ſubſtantia, quæ recto motu feruntur,aut eorum,quæ verſantur in orbem, aut certè ex aliqua ab hiſce diuerſa. Iam ſi ex aliqua diuerſa eſſet, alia quædam ſexta corporis natura,præter quintam nobis comparuiſſet.Prætereà,ſi corpora omnia,quę rationis participes animas ex æternitate continent, eiuſdem ſunt inter ſe ſubſtantiæ,oſtendant quódnam ſit ipſorum integrum & totum. Vnumquodque enim ſingulorum,& ſimplicium corporum ex aliquo toto reuulſum eſt:vt hęc gleba ex terra,hęc aqua ex aqua tota.Verùm corporis aliam integritatem,præter nota nobis quatuor elementa,& cœleſte corpus, nullam oſtendere poſſunt. Sin autem non eiuſdem ſubſtantiæ inter ſe ſunt,plures corporum naturas in Vniuerſo fabuloſè ineſſe ſtatuent. Quæ ſunt igitur horum differentiæ? Quanquam ſi omne corpus naturale ſenſu diiudicatur,aut omni,aut aliquibus, aut certè minimùm vno tactu.Et certè cœlum, quod ortu carere volunt,cerni, vt inquit Plato,& tangi poteſt.Cùm igitur corpus omne ſenſu diſcernatur,nullo autem ſenſu corpora illa comprehendamus,quo tandem naturę ipſorum vim ac proprietatem,aut quid inter ipſa ac reliqua interſit, iudicare poſſunt?Nam ſi mens eſt, quæ ſubſtantiæ corporum iudicandæ vim habet, non tamen ſine adminiculo ſenſus.Vnde in libris De demonſtratione docuit Ariſtoteles, quòd ſi ſenſus deficit, ſcientiã deficere eſt neceſſe.Et ideo qui à natiuitate audiendi ſenſu eſt deſtitutus,is ea ſcientia eſt priuatus, quæ in harmoniarum ratione conſiſtit. Eodem modo & ab ipſo ortu oculorum ſenſu priuatus, à colorum ſcientia excidiſſe dicitur. Ex quibus efficitur, vt ſi nullo vnquam ſenſu corpora illa comprehenſa ſunt, quæ ſeparata non ſunt, ſed, vt aſſerunt, in caducis corporibus concluſa,& implexa ſunt,& eadem contingunt,nullo modo ſcientia comprehendantur.Vnde igitur oſtendere quiſquam poſſit, quòd alia quæpiam ſit corporum natura præter ea,quæ nobis nota ſunt,ſiquidem ſenſu nunquam illa perceperunt?Neq verò ſcientia,ſiquidem neq; ſenſu,non enim ſine ſenſu corporum paratur ſcientia. Non igitur alterius naturæ eſſe poſſunt illa corpora, quàm cuius ſunt hæc nota nobis quatuor,& cœleſte corpus.

XIX. QVOD ſi non alius ſunt naturæ, aut eiuſdem planè ſunt cum quatuor elementis, aut cum cœleſtibus.Verùm ſi aut ex vno ſunt de quotuor, aut ex his compoſita, neceſſariò caduca ſunt, & fluxa.Omne enim corpus,quod ab integris quatuor elementis reuulſum eſt, caducum eſt, & óccidit omnino, ſeu ſimplex, ſeu concretum illud ſit. Nihil enim è ſingulis eſt ſempiternum. Quare & illa orta erunt neceſſariò,& óccident. Non igitur accidere poteſt, vt ipſa perpetuo

tuo animos contineant. Quapropter efficitur, vt ſi ſempiterna ſunt illa corpora, naturæ elementorum eſſe haudquaquam poſsint.

SIN eiuſdem ſunt ſubſtantiæ & naturæ cum cœleſtibus, nec ſic quidem XX.
ſempiterna erunt, ſed caduca: quia à ſuis integris ipſa ſint reuulſa. Quandoquidem integra elementa Græci autores ſempiterna eſſe conſtituunt: quanuis ab his reuulſæ partes ortum & interitum experiantur tempore. Quare etiamſi cœlum eſſet ſempiternum, tamen ab eo ſeparatæ partes ſempiternæ non ſint. Et alioqui, ſi eiuſdem ſubſtantiæ cum cœleſtibus illa eſſent corpora, in orbem & ipſa verſarentur. Eiuſmodi enim omnia ſunt corpora cœleſtia. Quòd ſi verum eſt, naturâ neceſſariò globoſa erunt. Fieri enim non poteſt, vt quæ rotunda & globoſa non ſunt naturâ, verſentur in orbem: rotunda autem ſi ſunt, cùm ſunt in caducis concluſa corporibus, aut figuram naturalem omnino retinent, aut non retinent. Si non retinent, in figuram contra naturam omnino commigrãt. Qui fieri igitur poteſt, vt ampliùs ſint perpetua? Nullum enim eorum corporũ, quæ ſempiterna eſſe putantur, hoc eſt, cœleſtium, quandiu conſtant, à natura ſibi datam figuram abiiciunt. Si verò formam ac figuram retinent (quoniam probatum eſt fieri non poſſe) vt corpus aliud corpus permeet, omnino eſt neceſſe, vt inanis quædam regio ac ſedes rotunda fingatur, quę ſempiternum illud corpus excipiat. Verum nulla eſt in nobis ſedes caduco corpore inanis, quæ locum occupet globoſum. At verò neq; vllo modo vlla eſt in nobis ſolido corpore vacua ſedes, vt carnibus, verbi gratia, aut oſsibus, aut ſanguine, quæ non aëre prorſus, aut ſpiritu impleta ſit. Quare fit, vt rurſus corpus in corpus penetrare ſit neceſſe. Atque de circulari conuerſione eadem eſt ratio. Nam ſi ex iis corporibus, quæ verſantur in orbem, illa ſunt, continentem omnino nec interruptam conuerſionem retinebunt. Omnia enim, quæ aguntur in orbem, ſunt eiuſmodi. Doceant igitur, an vlla ſit in nobis circularis conuerſio. Omnis enim animantibus conueniens motus, qui ſenſu quidem percipiatur, ad rectam lineam perficitur, vt cordis & arteriarum. Contractio enim & diductio, quæ ſyſtole & diaſtole dicuntur, recti ſunt motus. Et ſpiritus animalis, cùm per neruos ſuos, qui ad rectam ſunt perforati, inuehitur, & ipſe recto fluit motu. Vnde igitur docere poſsint in nobis corpus eſſe vllum, quod verſetur in orbem? Iam ſi cùm in caduco eſt corpore, ſempiternum illud circularis conuerſionis finem facit, omnino à naturali ſtatu deficit. Qui fieri igitur poteſt, vt ſempiternum ſit? Nam quod finem habet motus, viuendi quoq; finem habeat neceſſe eſt, vt in Phædro Platonem pronuntiare audiuimus. Quare ſi naturalis motus finẽ fecit, lucidum illud, vbi ingreſſum eſt in caducum, omnino & viuere & eſſe deſiit. Prætereà, ſi quæcunq; in orbem verſantur, & per ſe tota, & per partes continuata ſunt & continentia, & nunquam intermittente motu circumaguntur, non tale eſt autem corpus iſtud, quod ab illis fingitur, ſiquidem finem facit conuerſionis, non ſanè ex iis eſt corporibus, quæ verſantur in orbem. quare neq; ſempiternum. Prætereà autem quæ dicta ſunt, illud obſeruare eſt operæpretium: Cuiq; corpori ſuum aliquem locum natura deſtinauit. Terram enim in Vniuerſi medio collocauit: huic autem circunfuſam aquam eſſe voluit: poſt quam, aëri proxima tributa eſt

ſedes. Poſtremò, aërem excipit ignis. Atque demum ſupra hæc omnia corpus illud eſt collocatum, quod verſatur in orbem, hoc eſt cœlum, quod circunflexu ſuo omnia circundat. Idem eſt autem naturâ locus partibus, qui eſt & toti. Nam vt totius terræ, ita & glebæ ſedes naturalis eſt Mundi centrum. Et qui totius cœli proprius eſt locus, idem eſt naturâ & partis. Atque in reliquis eodem modo ſe res habet. Quare ſi ſubſtantiæ eſt eorum corporum, quæ verſantur in orbem, hoc eſt cœleſtium, illud, vt volunt, ſempiternum corpus, quod omnem animum primùm ſubiiſſe dicit Proclus, neceſſariò ſedes ipſi naturalis erit, quæ toti eſt corpori cœleſti, hoc eſt, Vniuerſi ambitus. Cùm igitur in iis nunc verſetur locis quæ terræ vicina ſunt, & ibi caduco corpori moderetur æternum illud corpus quod ad caducum reſpectum & adfectionem accepit contra naturam, nunc in terræ vicinis locis contra naturam degere eſt neceſſe. Vtrum igitur aliquando redibunt illa corpora ad ſuum totum, & naturalem ſedem recipient, an non? Nam ſi ſuo toti nunquam reſtituentur, neq; vnquam naturalem conſequentur ſedem, in loco contra naturam infinito tempore erunt. At verò fieri non poteſt, vt quidpiam immenſo ſit tempore in ſtatu, qui ſit contra naturam. Potius eſt enim & melius, non eſſe, quàm in eo eſſe ſtatu, qui naturæ repugnet. Situm igitur illum aliquando nanciſcentur, & eandem ſedem cum cœleſtibus retinebunt. Quare priùs, quàm huc animus cõmigraret, & cum caduco corpore adfectionem recepiſſet, prorſus erat ſempiternum illud corpus: &, vt abſoluto ſermone dicam, ſi pro ſua vita animæ varium exitum ſortiuntur: & vt quæ praue vixerunt, in loca ſubterranea demittuntur: ſic quæ purgationem nactæ ſunt, a terrenis locis aufugiunt. Nonnulli itaq; eorum, qui apud illos ſe Theologos eſſe profitentur, eum circulum, quem lacteum dicunt, animarum ratione præditarum ſortem, & ſedem eſſe pronuntiauerunt. Quare ſi Græcis Autoribus ita est videtur, & ſempiternum quoddam corpus primùm animus intrauit, & hoc ipſum perpetuò continet, omnino eſt neceſſe, vt huc commigrans, quando mortale corpus ſubiturus eſt, ſupernè cœlitus ad terram vſq; recto motu deferatur ſempiternum illud. Ipſa ſiquidem anima, cùm corpore vacet, & loco & motu eſt libera. Nullum autem corpus, etiamſi immortale ſit, locum ſine motu commutare poteſt. Porrò, motus qui ſupernè fit deorſum, rectus eſt. Vnde fit, vt etiam ſine conſuetudine craſsi huius corporis per ſe recto motu ipſum illud moueatur. Nihil autem, quod ad rectam lineam moueatur, ſempiternum eſt, vt ſupra docuimus.

XXI. HANC autem rationem nonnulli ſanequàm ſtolidè diſſoluere conantur. Aiuut enim, ipſum ſupernè deorſum contorto conuolutionis motu cieri. Quod quantum fieri poteſt, tum ab eorum, quæ verſantur in orbem, tum ab elementorum ſubſtantia eximunt. Quòd ſi hoc ita ſe habet (Quoniam ſecundum ipſos, quæ in orbem verſantur corpora, ſempiterna ſunt, caduca autem ea, quæ recto impelluutur motu. Conuolutionis autem motus miſtus eſt ex recto & circulari) omnino eſt neceſſe vt, ſi quidem hoc illi naturâ ineſt corpori, vt conuolutione clauiculatim impellatur, ipſum ex ſempiterno & caduco corpore ſit cõpoſitum. Nam motum illum clauiculatim intortum ex linea recta, & circulo com-

lo compositum esse in confesso est. Verùm si ita res se habet, cùm in medio sit amborum, neque sempiternum, neque caducum erit. Quod perinde est, ac si diceremus, neque caducum esse, neque non caducum: neque sempiternum, neque non sempiternum. Et simul in eodem vera erit contradictio: Aut pars eius vna fluxa erit, & caduca, altera expers interitus. Atque hoc modo iterum totum non erit sempiternum: siquidem compositi pars vna erit corrupta, quæ totius continuitatem dissoluerit. Verùm hæc meræ sunt nugæ, & cogitationis fabulosum figmentum. Nullum est enim corpus, quod naturâ clauiculatim conuolutionis motu feratur. Nam quæ infra Lunam sunt, omnia grauia sunt, aut leuia. Quorum quæ sunt grauia, supernè deorsum, quæ autem sunt leuia, infernè sursum feruntur. Cœlestia autem omnia, tum per se tota, tum per partes (partes autem dico, vt Solem, vt Lunam, vt reliqua huiusmodi) in absolutissimum orbẽ aguntur. Quod igitur præter hæc corpus ostendere possint, quod naturâ conuolutione torqueatur? Nam etsi aut Solis aut alicuius alius planetæ cursus vertiginem clauiculatim intortam describere dicatur, cuiuis tamen est perspicuum, qui in his sit versatus, quòd nostra cogitatio & intelligentia differentes corporũ cœlestium motus componens, figuram eiusmodi confingit. Nam cùm geminus sit motus errantium stellarum, & omnes vnà cum eo orbe, qui aplanes dicitur, simul circumuoluantur, qui versatur secundùm Aequatorem, & quæque suo motu circumferatur secundùm eum obliquum circulum, qui Signifer dicitur, ambos motus nostra cogitatio componẽs, hoc est diurnam Solis cum Vniuerso conuersionem, & eiusdem prætereà paulatim ad Septentriones, aut ad Austros ab Aequatore recessum obliquum, statim in phantasia conuolutionem comminiscitur: cum tamen e cœlestibus corporibus vnumquodque absolutissimum orbem suo cursu conficiat. Et quanuis infra Lunam corpus sit aliquod, quod aut propter magnitudinis figuram, in qua impellitur, conuolutionis motu feratur, vt in scalis efficitur, quæ cochlides, id est, tortiles, & clauiculatæ dicuntur, aut etiam aliòqui proprio momento ita moueatur, nemo tamen hunc corporum motum naturalem esse ausit dicere. Nam buccina seu murices, & purpuræ, & si quid est aliud eius generis, non momento corporis naturali clauiculato eiusmodi motu cientur, sed animæ viribus propter figuram testæ, qua continentur. Quemadmodũ enim si in globo incedat formica, nõ propterea ipsam naturâ in orbem versari dicemus. Neque verò animalium motum ad latera, naturalem esse corporum motum intelligimus (Natura enim grauia deorsum deducit) sed figura aut animæ impetus, eiusmodi motus est causa. Ad hunc igitur modum, si figura magnitudinis, in qua fit motus, aut animæ impetus, cur clauiculatum torto motu conuolutionis impellantur, nonnullis est causa, consequens est, vt non naturalem corporum dicamus esse eiusmodi motum. Quare nullum est corpus, quod naturâ conuolutionis motu feratur. Neque igitur fieri potest, vt cum corpus illud supernè deorsum demittitur, huiusmodi vertigine naturâ feratur. Sexcenta eiusmodi alia ad fabulosum corpus istud euertendum proferre possim: verùm cum ea satis sint, quæ adhuc dicta sunt, & necessariò confirmatum sit fieri non posse, vt sempiternum corpus vllum animam sustentet & con-

tineat(ſiquidem illud neq; ex iis eſſe poteſt,quæ recto motu feruntur, neque ex iis,quæ verſantur in orbem,neq; ex hiſce compoſitum,nec deniq; diuerſæ ab his naturæ)neque verò Plato vſquam huiuſmodi corporum opinionem explicarit, nullo certè modo eſt neceſſe,vt etſi Mundi anima ſecundùm Platonem ortu careat & interitu,ob id protinus Mundus procreatus nunquam ſit, & incorruptus permaneat:quoniam animos noſtros nunquam natos eſſe, & interitus expertes eſſe cenſet:cùm tamen quæ ab ipſis cientur corpora, & eſſe cœperint, & finem habeant.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum octauum.

QVICQVID interit, ab aliquo extrinſecus occurſante interit, & in aliquid alienum. Extra Vniuerſum autem nihil eſt, neq; vſquam quicquam eſt ab illo alienum : ſed omnia complexu ſuo continet, vt quod totum ex totis, & perfectum ex perfectis conſtet.Quare neq; in alienum quicquam occidere,neque ab vllo extrinſecus occurſante poteſt. Vnde efficitur, vt interire nullo modo poſsit:& ideo neq; natus eſt vnquam. Quicquid enim naſcitur, ex aliquo gignitur,quod priùs eſſet alienum. Quare aliquid ſit,quod ab Vniuerſo ſit alienum: id autem extra id ſit, quod gignitur. Extra Vniuerſum igitur aliquid erit, priuſquam Vniuerſum ipſum productum ſit, quod ab eo ſit alienum. Quòd ſi hoc verum eſt, Vniuerſo aliquid ſit contrarium oportet, ex quo ipſum natum ſit. Atqui contraria ex ſeſe mutuò fiunt, & in ſeſe viciſsim commigrant. Et cùm duo ſint, in horum medio viæ ſunt interiectæ duæ, vt in Phædone pluribus verbis eſt probatum:nempe,quomodo vni contrariorum alterum reddi debeat: & naturam non eſſe in otio.Quòd igitur id,quod inordinatum eſt,ei ſit aduerſum, quod eſt ordinatum,perſpicuum eſt.Verùm ſi opponuntur vt habitus & priuatio,atque à priuatione in habitum fit commigratio,multò magis fit commutatio ab habitu in priuationem.Illud enim multò minus fieri poteſt:quia nonnullæ ſunt priuationes,quæ in habitum ſunt immutabiles. Si igitur illud,quod minùs fieri poteſt,factum eſt,multò magis fiet,quod factu eſt facilius : & mutatur,quod in ordinem eſt redactum,in perturbatum: atq; hoc & naturæ & diuinæ voluntati erit conſentiens. Nam qui quod minùs fieri poteſt, fecit, multò magis faciet, quod factu eſt facilius. Sed ſi contraria ſunt hæc, ſanè ſecundùm legem contrariorum, commutabitur Vniuerſum in id contrarium, ex quo eſt ortum. At verò interitus expers Vniuerſum eſſe probatum eſt. Non igitur in contrarium quicquam commutatur.Vnde efficitur,vt neque ortum ſit.Eſt igitur ſempiternum Vniuerſum.Neque enim fieri poteſt,vt cùm duo ſint contraria,ex vno via ſit in alterum, ex altero autem non ſit: neque cùm habitus ſit & priuatio,ex priuatione via erit in habitum,ex habitu autem, in priuationem non erit. Nam in nonnullis à priuatione in habitum via eſt nulla : contrariis autem in ſeſe mutua eſt commutatio : quemadmodum in Phædone diſſerit Socrates: aut non interitus expers eſſe Vniuerſum,aut multò magis ortu carere, ſi interitu caret:ſeu contrarium ſit perturbatum ordinato,ſeu ordinati priuatio ſit perturbatum.

Capita

Capita solutionis octaui Argumenti.

Quod ex iis ipsis, quæ Proclo videntur, tum alibi, tum hoc in loco, ostenditur, vt consessum, falsum esse, quicquid interit, ex aliquo alieno extrinsecus occursante interire: & quod naturâ interitui subiectus est Mundus, etiamsi extra ipsum nihil sit. I.

Quod etiamsi verum esse concessum fuerit, quicquid gignitur, ex aliquo gigni, quod prius alienum esset, extráque Mundum non solùm nihil esse alienum, sed nec omnino esse quicquam: nihil tamen vetat, Mundum esse ortum. Et quòd inepta est ea hypothesis, quæ dicit, quod si ortus est Mundus, aut est aliquid, aut erat aliud, tũ alienũ, tum extra ipsum. II.

Quod non quicquid gignitur, necessariò ex contrario gignitur. Quare neque si ortus est Mundus, necessariò ex contrario ortus est. III.

Quod etsi fieri possit, vt habitus vicissim redeat in priuationem, tamen contraria Platoni statuit Proclus, cùm dicit, quòd si ortus est Mundus ex inordinato, de sententia Platonis secundùm Dei voluntatem ipsum rursus remigrare in inordinatum, hoc est, in propriam priuationem, ex qua ortus fuerat. IIII.

OCTAVI ARGVMENTI
PROCLI SOLVTIO.



REPREHENSIONES eæ optimę esse censentur, quę ex principiis oriuntur, quæ ipsa vi sua credantur, & ab iis ipsis iam antè confessa sint, qui contradicunt. Et nos igitur huius argumenti fundamentum, ac radicem, quæ in eo est quod adsumitur, quòd quicquid interit, ex aliquo alieno extrinsecus occursante interit: & vnde cōfecit, quod Mundus non posit interire, quia nihil sit, quod aut sit extrinsecus, aut ab eo sit alienum, non aliunde confutabimus, quàm ex iis, quæ cum ipsa veritate Proclo anteà confessa sunt. Proferam autem in medium ipsamet Procli verba, quæ in sexto capite proposui. Nam cùm Plato quicquid sentitur, id nasci & interire pronuntiauerit, & ei contradixerit Aristoteles, quasi id non sit verum (cœlum enim & Mundum vniuersum, etiamsi cadant sub sensus, neq; tamen nata esse, neque interitura) Platonis opinioni Proclus fauere volens, cùm permultis aliis, tum iis quæ ipsi Aristoteli probantur, hanc confirmat opinionem. Aristoteli autem placet nullum corpus viribus præditum esse infinitis, sed à finita facultate quoduis corpus administrari. Vnde concludit Proclus, quòd corpus omne, quantum in ipsa naturæ ratione situm est, nascitur & interit: quia quę finita est facultas, ea occidit necessarió. Procli autem oratio ad verbum ita habet. I.

Procli ex eo opere, quod inscribitur, Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles.

Hoc igitur vnum sumendum nobis est, An etiam cœleste corpus natum esse di- »
cendum sit, & eodem modo Mundum vniuersum? quomodo autem non neces- »
se sit atque ex quibúsnam causis ipse nobis subiecit, ad hunc modum dicamus. »
Nullum enim, inquit, finitum corpus viribus infinitis præditum esse potest. Atq; »
hoc in octauo Phys. ausc. lib. confirmauit. Si igitur finitus est Mundus, id quod & »
ipse probauit, ipse viribus infinitis præditus esse non potest. Atqui quod æterni- »
tas seu æuum infinita sit facultas, in superioribus demonstrauimus. Mundus igi- »

" tur sempiternus non est, qui viribus præditus non est infinitis. Quòd si æternus
" non est (Nam quod eiusmodi est, id ęui & ęternitatis est particeps. Quod autem
" æui est particeps, id infinitæ compos est facultatis) Mundum non semper esse
" est necesse. Nam semper esse, & ipse æui proprium esse dicit, cùm ab eo, quod
" semper sit, αἰῶνα, hoc est æuum, Græcis appellationem inuenisse velit. Vbi ad
" hunc modum Proclus confirmauit, quòd secundùm Aristotelis decreta, Mun-
" dus in eorum numero esse non potest, quæ semper sunt . deinceps ostendit, vt
" semper gignatur, ipsi aliunde, ac non ex sua ipsius natura conuenire. hic enim
" ait: Neque enim quod in eo verum est quod semper est, id protinus etiam in eo
" est verum, quod semper gignitur, nempe vt hoc ipso quod semper gignatur, vi-
" res habeat infinitas, vt illud easdem habet ideo quia semper sit. Verùm id ei con-
" uenit quod hoc efficit, & cuius ope hoc gignitur, semper acquirens sibi vt sem-
" per sit, propter illud quod verè semper est, cùm hoc quantum in sua ipsius natu-
" ra est positum, id non habeat vt sit semper. Vnde fit, vt eius quod gignitur, defini-
" tio Mundo adaptari non posit. Et paulò pòst: Quicquid igitur nascitur, id ipsum
" per se omnino etiam interit. Vinctum autem ab eo quod est cùm in eo maneat
" vt gignatur, id totum esse dicitur quod gignitur, & propterea quòd ita est, non
" interit, id quod sibi conciliauit ex eo quod verè est. Cùm igitur ipsum per se de-
" finitionem eorum quæ gignuntur accipiat, ipsum interire dixit, vt quod sua
" ipsius natura sit eiusmodi. Idem in iis quæ deinceps sequuntur. Quoniam Vni-
" uersum est finitum. Quod autem finitum est, viribus non est prędirum infinitis,
" vt ipse probauit. Quod verò motu mouet infinito, id viribus mouet infinitis,
" nempe illud immobile, quod infinitæ motionis Vniuerso causam adfert. ipsum
" viribus præditum est infinitis. Quare si ratione ab illo Vniuersum seiunxeris, non
" mouebitur in infinitum, cùm virium compos non sit infinitarum, sed mouendi
" finem habebit. Sin iterum ipsum cum illo coniunxeris, illius ope mouebitur &
" impelletur in infinitum. Neque verò absoni quicquam erit, si quæ connexa sunt
" cogitatione separemus, vt perspiciamus quídnam vni ab altero cōueniat, & per-
" spicientes intelligamus quidnam à sua ipsius natura habeat deterius, quid item
" à societate & coniunctione cum præstantiore. Et haud ita multò pòst: Omnibus
" enim quoniam his etiam conuenit, quæ hîc visuntur in terris, vt partim inter-
" eant propter virium infirmitatem & imbecillitatem, partim conseruentur pro-
" pter vires, multò magis his quæ non intereunt, conueniet perpetuitas atque im-
" mortalitas propter vires, eásq; infinitas. Occidit enim vis omnis finita. Quare
" quia Mundus virium non est infinitarum particeps (est enim corpus) & vis o-
" mnis finita interire potest, quoniam accidit vt fatiscat, propter infirmitatem, &
" intereat, & enim infirma, siquidem infinita non est, omnino est necesse vt ipsa
" naturæ sit caducæ, & prorsus intereat, ac non semper constet. Atq; hoc ipsi sua
" vi inest & natura. Vt sit autem semper, à communione & participatione eius
" quod verè est, ipsi accedit, cùm adscititia ei sufficiatur immortalitas. Hæc in-
" quam, ita si se habent, atque ita tum Platoni, tum Proclo esse videtur, qui iam
" verum ampliùs esse posit, ab aliquo alieno extrinsecus occursante interire quic-
" quid interit? Nam etiamsi nihil sit quod occursans Mundum labefactet, hoc
ipsum

ipſum quod finitæ vires ſufficere ſemper non poſſunt, ſatis magna ad interitum Vniuerſo adferendum eſt cauſa. Nam etſi non intereat Mundus, & hoc ipſis cōcedatur, non tamen ideo non interibit, quia extra ipſum nihil ſit, ſed quia ex eo quod ſemper eſt, vires ipſi accedunt. Quare ſi probè viſum eſt Proclo nihil abſurdi conſequuturum, ſi mente & cogitatione quæ connexa ſunt, ſeparentur, vt peruideamus quidnam vni ab altero accedat, & peruidentes intelligamus quídnam ex vi ſua ac natura habeat quod deterius eſt, & quid ex coniunctione cum præſtantiore conſequatur. Animo igitur & cogitatione à Mundo ſeparetur, quę ipſi ab eo quod ſemper eſt accedit immortalitas, atq; adeo id quod hanc ipſi ſuppeditat. Non igitur hoc ſi factum fuerit, interibit Mundus ab imbecillitate ſuæ facultatis, quæ finita eſt: an verò non interibit, propterea quòd extrinſecus nihil ſit ab ipſo alienum? Nam ſi hoc ſecundum verum eſt, non amplius ab eo quod ſemper eſt, ipſi adſciſcitur, vt ſit perpetuó. Si igitur id quod ſemper eſt, cogitatione ſeuocatum fuerit, nihilominus incorruptus manet Mundus, quantum in Procli hypotheſi ſitum eſt, quia extrinſecus nihil ſit quod corrumpat. Interire autem ſi non poteſt, ſemper eſt. Et hoc pacto vis finita non interiret, ſi finitæ ſunt Mundi vires, & nihilominus manet incorruptus, quia nihil ſit extra ipſum. Si autem verum eſt finitas vires interire, alterum neceſſariò eſt falſum, Mundum ideo non interire, quia extrinſecus nihil in ipſum incurrat alienum. Siquidem cum nihil ſit extra Mundum, ſeiuncto ab ipſo, eo quod ſemper eſt, ipſum occidere eſt neceſſe, propter inſitæ facultatis finitatem. Quare verum non eſt, quicquid interit, ab aliquo alieno extrinſecus occurſante interire. Præterea, ſi Mundus ideo non interiret, quia extrinſecus nihil in ipſum incurrat, cùm integer ex integris & ex abſolutis abſolutus conſtet, & omnia complexu ſuo contineat, palam eſt, quod ex ſua ipſius natura habet, vt expers ſit interitus. Nam cum omnia in ſe contineat, nullam cauſam quę interitum adferat, relinquet extrinſecus. Nihil igitur cum ſit quod ipſum interimere poſsit, nullo pacto interibit. Quicquid autem interire non poteſt, quia nihil ſit eorum quæ corrumpere, aut interitum adferre poſsint, naturâ ſua interitus eſt expers. Quare naturâ Mundus interire non poteſt. Et rurſus: Si naturâ virium finitarum eſt Mundus, quia corpus eſt, finitæ autem vires corrumpi poſſunt, naturâ certè Mundus occidere poteſt. Idem igitur naturâ caducus erit, quia viribus finitis eſt præditus, & per naturam expers interitus, quia nihil alienum ſit extrinſecus, quod in ipſum incurrere, ac eundem labefactare poſsit. Cùm igitur fieri non poſsit, vt ſimul vera ſit contradictio, & verum ſit Mundum viribus præditum eſſe finitis, naturâ certe caducus erit. Quod ſi caducus eſt, falſum erit eius eſſe naturæ, vt interire non poſsit. Natura autem interire non poſſet, ſi quicquid interit, ab aliquo extrinſecus occurſante interiret. Quare ſi neq; naturæ eſt, quæ interire non poſsit, neq; ab eo quicquam eſt alienum, quod ipſum corrumpere poſsit, cùm in ſe omnia complectatur, incorruptus certè manens, non ab extrinſecus occurſantibus ſecus interibit. Non igitur verum eſt quicquid interit, ab extrinſecus irruente & incurſante interire. Præterea, in nono huius operis argumēto, quod proximè ſequitur, ſtatim in principio dicit Proclus, quòd quicquid interit, à ſuo ipſius vitio

interit. Quod autem cuiusq; eorum quæ intereunt, vitium esse posit: an cuiusq; ad id quod est contra naturam conuersio, seu digresio, propter infirmitatem ingenitæ naturæ facultatis, quæ finita est? Nihil enim eorum quæ sunt, ipsum se interimendi vim habet naturalem. Subiectorum enim conseruantes sunt facultates naturales: omnia enim expetunt esse. Porrò, cùm subiectum conseruatur, ea quoque conseruatur vis, quæ ipsi inest. Cùm igitur à suo vitio, quod perinde valet, acsi dicatur, à naturali imbecillitate óccidat quicquid interit, euenit certè, vt Mundus, vel nullo extrinsecus occursante, quod alienum sit, intereat à sua ipsius vitiositate labefactatus, hoc est, à naturali infirmitate. Nullius enim est vitium, id quod extra quidpiam est ab eodem alienum. Nam quæ extrinsecus irruunt & corrumpunt, ideo causam adferunt interitus, quia contra naturam adfectionem quandam inuehunt, seu eius, quod continet immoderatio interitus, sit causa, seu ea, quæ ore proferuntur, seu aliud quiduis. Cùm igitur etiamsi nihil accedat eorum, quæ extrinsecus incurrunt, ipsa subiecti conseruans & naturalis facultas in perpetuum sufficere ideo non posit, quia finita est, tandem in interitum subiectum prolabi sinit, & vnà cum illo simul interit: perinde atque gubernator, cùm non potest stare, naui pessum in profundum eunte, defatigatus clauum tenere ampliùs non potest, non tempestate victus, sed viribus ipsum deficientibus, quia tempore defessus est. Cùm hoc igitur reprehensum sit, & Plato non naturâ Mundum interitus expertem esse pronuntiauerit, sed propter opificis voluntatem: naturâ autem ipsum & oriri & interire statuerit, non iam ex Platonis sententia confici posit Mundum expertem ortus. Non enim si quid ascititiam habet immortalitatem, protinus est consequens, vt natum non sit. Sed si quando vnquam est consequens, tum erit, si quid natura sua expers sit interitus, vt in Sexto cõfirmauimus. Quare si naturæ ratione caducus est Mundus, natum esse necesse est.

II. VERVM, quicquid ortum est, inquit, ex aliquo gignitur, quod priùs esset alienum. Quare ab Vniuerso aliquid sit alienum. Hoc autem extra id est, quod natum est. Vnde conficitur, vt extra Vniuersum aliquid sit ab eodem alienum, priusquam ipsum natum sit. Atqui si verum id esse concesserimus, quòd quicquid gignitur, ex aliquo oritur, quod priùs esset alienum: & quòd extra Vniuersum priusquam nascatur, quidpiam sit ab eo alienum, ex quo ipsum nascatur: hoc Platonis opinioni repugnat, quæ habet, extra Mundum nihil esse, vt tanquam repugnans reiicientes non oriri Mundum ex opinione Platonis recipiamus. Nam extra iam coagmentatum, & compositum Mundum nihil esse, neque ab eo alienum tradit Plato. Hoc autem, quod confesi sumus, priusquam natus esset Mundus, alienum quid ab ipso fuisse, seu id forma & specie præditum esset, seu rude esset, & informe, & tantùm Mundi nascentis materia, non ampliùs, aut ab eo est alienum, aut extra ipsum. Nam si forma præditum esset, abiiciens priorem formam, proprium autem subiectum ac materiam nascenti Mundo suppeditans, neque subiecti ratione in posterum à coagmentato Mundo est alienum. A' nullo enim propria cuiusque materia aliena est, à qua quidq; habet vt sit: neque prioris formæ ratione, quæ iam euanuit, & in id, quod nullũ est,

est, est dissipata. Vt verbi gratia, esto equus æneus, qui trāsfiguratus hominis fiat statua. Equi sanè species aliena est ab ea statua, quæ iam cogitatione futura est. Verùm vbi conflatus equus in statuā versus fuerit, in id quod nullum est, equina facescēte specie, iam ab orta statua alienum id esse non potest, quod nullum est. At verò neque æs equi materia, vbi statuæ subiectum factum est, ab eo est alienum, sed potiùs elementum. Ad hunc igitur modum, etsi quid priùs erat præditum forma & specie, ex quo commutato Mundus sit ortus, species quæ iam interierit, & nulla sit ampliùs, à iam constante Mundo aliena esse non possit. Nam quod iam nullum est, quomodo aut extra quidpiam esse dicatur, aut ab eodem alienum? Quod enim extra quidpiam est, aut ab eodem alienum, extra id sit oportet quod constet in natura, ipsum quoque constans. Sin autem informe sit, & materia, id ex quo natus est Mundus, minimè omnium à Mundo alienū esse diceretur, cùm eius pars sit & elementum. Porrò, cùm Plato dicit, extra Mundū nihil esse, neque ab eodem alienum quidquam, nullum corpus extra ipsum relictum intelligit. Iam verò quis statim non videat, stolidum ac stupidum esse dicere, quòd si ex alieno quopiam natus fuerit Mundus, necessariò aliquid erit extra Vniuersum, priusquam nascatur ab eodē alienum? Nam cùm Mundus nondum sit in natura, quí fieri potest, vt extra ipsum quidquā esse dicatur, aut quicquam ab eodem alienum? Nam quod alienum est, ab aliquo quod sit alienum, est. Neque rursus vbi procreatus est Mundus, eam formam, quæ iam euanuit, ab eo, qui iam est Mundus, alienam dicere est æquum: nisi fortè ab eo quod est alienum, quispiam id esse dicat, quod nullum est vt oppositum, & priuationem eius, quod est. Aliena siquidem à specie est priuatio, & extra eandem. Verùm, non sic Plato nihil esse extra Vniuersum intellexit: cùm alióqui nulla sit corporum natura extra connexam cœli faciem extimam. Audi igitur ipsius Platonis verba, quæ ab eo super hac re prolata sunt in Timæo. ea sic habent: „Itaque & ob eam causam, & ab iis rebus numero quatuor, Mundi est corpus effectum, qui ea cōstructus est comparatione, qua dixi. Ex quo ipse se concordi quadam amicitia, & charitate complectitur. Atq; ita aptè cohæret, vt dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem, à quo est colligatus. Earum autē quatuor rerum, quas suprà dixi, sic in omni Mundo partes omnes collocatæ sunt, vt nulla pars huiusce generis excederet extrà: atq; vt in hoc Vniuerso inessent genera illa vniuersa, & eorundem facultates omnes." Apertè igitur extra Vniuersum nihil quicquam esse Plato intelligit, nullum esse corpus, aut corporis facultatem extra cœlum. Id autem, quod nullum est, tum extra Vniuersum esse dicere, tum alienum ab eo quod est, & verum est, & necessarium, & Platonis decretis non repugnans. Nam quod dicit extra Vniuersum nihil esse, neque partem elementi, neque facultatem, is non tollit, quin à specie aliena sit priuatio, & extra id, quod à natura præditum est forma, non quidem ratione loci. Dixi autem ratione loci, quoniam id quod non est, neq; intra id quod est, quantum ad locum attinet, neq; extra esse dici potest. Iam priuatio nihil est. At verò neq; Mundi est priuatio, elementorum partes aut facultates. Nullius enim pars, aut naturalis facultas, ipsius est priuatio.

AT verò nec si, quemadmodum confessi sumus, quicquam esset ante Mun- III.

di ortum, ex quo Mundus eſſet procreatus, id Mundo eſſe contrarium eſſet ne ceſſe. Neque enim verum eſt, quicquid gignitur, omnino gigni ex contrario. Nam ſi non ſolùm accidentium, verùm etiam ſubſtantiarum eſt procreatio, & ortus, & quicquid gignitur, ex contrario gignitur, cuiuis certè ſubſtantiæ, quæ o riatur, aliquid erit contrarium. At verò ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, vt in Categoriis docuit Ariſtoteles. Subſtantia ſiquidem res eſt per ſe conſtans. Ei au tem, quod per ſe conſtat, nihil eſt contrarium, quia eſt tale. Nam quid homini, quia eſt homo, contrarium ſit? Quid autem cani, aut equo? quid item ficui aut viti, atque iis, quæ ſunt huiuſmodi? Nam quæ ſunt contraria, in eodem ſubiecto vicißim ineſſe nata ſunt: vt in corpore candor & nigror: aut calor & frigus. Nul la autem ſubſtantia eſt in ſubiecto. Quare nulli ſubſtantiæ contrarium quicquā eſſe poſsit. Vnde conficitur, vt ſi oritur ſubſtantia, ex contrario non oriatur. Ad didi autem, quia tale eſt: quoniam in ſubſtantiis contraria ineſſe poſſunt, vt in ſan guine calidum, & humidum: in oſſe, vt exempli gratia dicam, frigidum & ſiccū: & calidum quidem frigido eſt contrarium, & humidum ſicco: ſanguini tamen os non eſt contrarium: vtrunque enim eſt ſubſtantia, atque ambobus communis eſt materia: gignitur autem horum vtrunq;, non quia abſolutè ſiccum eſt, neq; quia humidum, ſed quia os eſt, & quia ſanguis. Quare ſi vnaquæque ſubſtantia gignitur, quia ſubſtantia eſt talis, ac non ex accidenti (gignitur enim homo, quia homo eſt: & caro, quia caro eſt) his autem & ſimilibus nihil per ſe eſt contra rium, ſubſtantia certè, quæ in ortu ſpectatur, quatenus gignitur, non ex contra rio ortum habet. Verùm hoc ſpectatur in accidentibus. Nam quod oritur cali dum, non per aliud quicquam, ſed omnino vt calidum frigido eſt contrarium. Atq; in ſimilibus par eſt ratio. Neque verò omnium accidentium procreatio ex omnibus contrariis conſtituitur. Neq; enim in omnibus accidentibus ſpectatur contrarietas. Gignitur enim triangulum, & circulus, & reliquæ figuræ: nullum tamen horum ex contrario ortum nanciſcitur. Non enim figurę expers contra rium eſt figuræ, ſed figuræ eſt priuatio, vt ordinati inordinatum, eſt priuatio. Rurſum dextrum quid gignitur, non tamen ex contrario (nam quæ inter ſe o parantur, contrariis in diuiſione opponuntur) verùm ſimpliciter ex priuatione, hoc eſt, è non dextro: atq; adeò ex inſcio ſciens aliquis conſtituitur. Verùm ſi ex contrario habitu commigraret, ex contrario ſcientis eſſet procreatio. Quòd ſi ex ſimplici ignoratione, ex priuatione eſt. Vt ſi quis cùm prius aërem grauem exiſtimaret, aliter edoctus, ab iſta opinione diſcedat, & leuem eſſe arbitretur, ex cõtrario hæc erit ſciẽtiæ procreatio. Sin verò cùm priùs ignoraret, tum an leuis tum an grauis eſſet, leuẽ eum eſſe didicerit, ex priuatione in ſpeciẽ hic erit ortus. Quare neq; accidẽtium ortus omnino eſt ex contrario. Neq; igitur quicquid gi gnitur, ex contrario naſcitur. Quòd ſi quæ oriuntur, non omnino ex contrario naſcuntur, ex Platonis autẽ ſententia ordinatum ex inordinato procreatum eſt, inordinatum autem, priuatio eſt inordinati, non autem eidem contrarium, nul lo pacto erit neceſſe, cur, ſecundùm Procli rationem, quod in ordinem digeſtum eſt, in ordine carens rurſus reuertatur. Quod nec Platoni videtur, qui Mundum non corruptum iri cenſet. Contraria enim ex ſe mutuò gigni ſcribit Plato in Phæ

Phædone,atque in ſeſe mutuò reciprocari.Nam vt calidum gignitur ex frigido, ita rurſus ex calido gignitur frigidum.Atq; in omnibus contrariis eodem modo ſe res habet:ne manca aut mutila ſit natura,ſi ex contrariis altera tantùm interimeret. Speciem tamen in priuationem non item dicit iterum redire, vt ex priuatione gignitur ſpecies.Nuſquam enim Platonem hoc dixiſſe legitur:ſed contra omne ordinatum,ex perturbato ſeu inordinato procreatum eſſe dicit: ordinati autem priuatio eſt,quod ordine caret.Expers interitus id eſſe dicit,quod ordine digeſtum eſt, hoc eſt Mundum. Non igitur ſpeciem neceſſariò retrorſum in priuationem remeare dicit. Quare viſum eſt Platoni, Mundum quidem eſſe natum,non tamen eſſe interiturum.

VERVM, inquit Proclus,etſi in ordinem adducti priuatio,eſt id quod inordinatum eſt,facta eſt autem commutatio à priuatione in habitum,multò magis ab habitu in priuationem commutabitur. Illud enim multò minùs fieri poteſt propterea quòd ſunt nonnullæ priuationes, quæ in habitum incommutabiles ſunt.Quare ſi id,quod minùs fieri poteſt,factũ eſt, multò magis id fiet, quod factu eſt facilius,atque ordinatum in non ordinatum commutabitur. Atq; hoc tum naturæ,tum Dei voluntati reſpondebit.Nam qui quod minùs fieri poteſt, fecit, multò magis id faciet, quod factu eſt facilius. Quòd igitur Plato cenſeat, quantum in ipſa poſitum eſt natura rerum, id quod ordinatum eſt, in id quod ordine caret, poſſe commutari, ex iis,quæ ipſemet Plato ſcripſit, perſpicuum euaſit.Omne enim,quod ligatum eſt,diſſolui poſſe contendit. Et quoniam orti » eſtis inquit,haudquaquam eſtis indiſſolubiles, neque omnino immortales. Iam » quod Dei ſit voluntas,vt id quod natum eſt, omnino intereat,id quidem Platone non conſentiente, Proclus enuntiauit. Nam apud Platonem contrarium ad cœleſtia protulit Procreator. Vbi enim ea dixit,quæ mundo à natura eueniunt, inquit:Quoniam orti eſtis,vos quidem indiſſolubiles& immortales eſſe omnino » non poteſtis. Addit deinceps fabricator,& effector Mundi Deus,ad ea quæ ab » ipſius voluntate Mundo accedunt:Neutiquam tamen diſſoluemini: nec vos vl- » la mortis fata periment,nec fraus violentior, quàm conſilium meum:quod ma » ius eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram,quàm illa,quibus eſtis,tum cùm gi- » gnebamini,colligati. Quare etiam Plato cum ortu ipſorum naturæ legibus ne- » ceſſariò diſſolutionem coniunctam eſſe conſenſit. Verùm cùm nouiſſet Dei cõſilium quouis naturali vinculo eſſe firmius, inde Mundo immortalitatem acceſſiuit. Non enim quia non poſſit,Mundum non diſſolutum iri dixit,quippe cùm natura ſit diſſolubilis: verùm quia nõ velit.Vnde adſcititiam & externam eius immortalitatẽ eſſe dixit,vt ſuprà comprobauimus. Quid igitur Platoni repugnat,Platonis interpres& ſucceſſor?Plato enim ex ordine carente ordinatum factum eſſe dicit. Vbi,vt dixi,quod ordine caret, ordinati priuationem ſignificat,non contrarium.Et ideo quod ordinatum eſt, naturâ eſſe diſſolubile, non tamen quod in ordinem adductum eſt, in id quod ordine caret, Deum viciſsim commutare velle.Vult autem Proclus, quòd ſi ex inordinato factum eſt ordinatum, omnino & naturæ ratione, & Dei conſilio, ac voluntate conſequetur, vt rurſus ordinatum in id commigret,quod ordine caret. Bifariàm igitur Platoni

IIII.

contradicit, tum quòd dicit ex inordinato non factum fuisse, quod in ordinem digestum est, cùm id Plato palam & apertè pronuntiet: tum quod si factum est, Dei erit consilium, vt rursum quod ordinatum est, in id commutetur, quod ordine caret, cùm hoc iterum ad verbum Deum nolle profiteatur: vt nos ex ipsis Platonis verbis confirmauimus. Quare nos, qui confitemur Mundum esse natum, & rursus esse interiturum, quod quidem natus sit, vnà cum ipsa veritate consentientem Platonem habemus, qui suo suffragio nostram comprobet sententiam. Quòd autem quia natus est, omnino etiam interibit, ac non vt Platoni est visum, indissolubilis erit & immortalis (etsi naturâ dissolui posit) adscititia & rediuiua immortalitate à Dei consilio à voluntate ipsi accedente, hac parte ipsum Proclum testem habemus, qui & naturæ conueniens, & Dei consilio consentiens hoc esse dicat. At verò neq; Plato in his à recta sententia excidisse videtur. Non quòd Mundum immortalem esse putat, sed quod cum arbitratus fuerit, oportere ipsum nunquam interire, non infinitas vires naturæ Mundi perpetuitatis, & immortalitatis causam adferre dicit, sed opificis voluntatem ac consilium. Nam si omnino corpus aliquod perpetuò manere oporteat, non alia ratione ab interitu vindicari potest, quàm si vis opificis perpetuitatem ipsi suppeditet: cùm nullum corpus, quantum in ipsius naturæ ratione est situm, id habeat vt sit perpetuó. Quòd autem ordinato inordinatum non sit contrarium, per se est conspicuum. Quòd si Plato id, quod in ordinem est digestum, nihil intelligit aliud quàm Mundum, Mundus autem est substantia, & non ex contrario oritur, vt probatum est, non sanè vt contraria opponuntur, ordinatum & inordinatum, sed vt species, & priuatio.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum nonum.

QVICQVID interit, id suo ipsius vitio interire solet. Neq; enim sanè suo bono, aut suo, quod neq; bonum, neq; malum sit, sed medium. Quod enim est eiusmodi, id neq; lædere, neq; iuuare potest. Vnde fit, vt neq; perimere, neq; seruare posit. Quare si Vniuersum intereat, id suo vitio intereat, oportet. At verò Mundum, ipse beatum dixit esse Deum, sicut & deos omnes: & propterea deorum genus vniuersum, cùm vitii non sit capax, nullam sentire immutationem. Non igitur vnquam interibit Vniuersum, cùm nihil insit vitii: quia ipse quoque Deus est. Quòd si interire nequit Vniuersum, quia nihil habeat, à quo perimatur, neq; sanè natū est. Id enim, à quo cuiq; suus est interitus, vniuscuiusq; perimendi vim habet. Nam si vincatur, procreationis sociam causam præbet: sin vincit, interitus. Quare si nihil est, quod ipsum interimat, neque quicquam esse posit, vnde nascatur. Atqui nihil est, quod ipsum occidat, siquidem nihil est in ipso vitii. Quid enim id ipsum, quod in ordinem digestum est, perimere possit, præter inordinationem, seu ordinis confusionem? Quid, quod ornatum est, præter id quod temerè, ornatu nullo congestum est? hæc enim eius quod apto digestum ordine, & ornatu polito excultum est, sunt vitia. Si quod est igitur ipsi vitium, temerariam congeriem & ordinis perturbationē habebit, in quam ipsum dissoluetur. Sin autem nihil ipsi inest vitii, nulla erit confusa cōngeries, aut ordinis per-

nis perturbatio, quæ culto & ordinato Vniuerso repugnet. Quòd si confusam congeriem & ordinis perturbationem repugnantem non habet, ex vlla confusione, aut perturbatione ortum esse non potest: siquidem ipsi nihil tale repugnat. Quòd si ipsi nihil inest vitii, neque quicquam habebit, ex quo nasci possit. Cùm autem nihil quicquam sit, ex quo nascatur, nullo modo nasci potest. Oportet enim ex aliquo nasci, & ortum habere, quicquid nascitur, cùm fieri non possit, vt è nihilo nascatur.

Capita solutionis noni Argumenti.

Quòd neque virum Philosophum decet, neque Platonis opinioni est consentiens, Platonem anteferre veritati. I.

Quòd in nullis Physicis decretis Plato à veritate aberrauit. II.

Quòd in iis etiam, quæ ipse consulit, à rectæ rationis præscripto sæpe recessit. Vbi etiam docetur, quòd ex procreatis liberis nonnullos interficere & communes vxores esse sancit. III.

Quòd non ex Theologica subtilitate, sed Poeticarum fabularũ consuetudinem sequutus Plato, Mundum dixit esse Deum. Vbi etiam ostenditur, quòd Atheniensis populi metu, non ea Plato dicebat, quæ ipse censebat. IIII.

Quòd ex iis sumptionibus, quas ipsi nobis donauerunt, probatur fieri non posse, vt Mundus sit Deus. in quo confirmatur immutabile non esse, quod per partes commutatur. V.

Quòd Mundus in statum contra naturam euerti potest: quæ intereuntibus causa est, cur intereant. VI.

Quòd si probatum est interitus Mundi aliquam esse causam, omnino est necesse, vt secundum Procli hypotheses aliquid sit, vnde ipse sit procreatus. VII.

Disquisitio an ex eo, quod modis omnibus nihil est, nihil gigni, aut oriri possit, & ob hanc causam Mundum natum non esse necesse sit. VIII.

Quòd necesse non est, quemadmodum singularum rerum quamque Natura produxit, materiam ex iis quæ sunt accipiens, sic Deum, siquidem Mundum, qui priùs non esset, procreauit, e re aliqua subiecta ipsum fabricatum fuisse. Sed contrà potius, quòd omnia ex nihilo procrearit & simul cum forma rem etiam ipsi subiectam in naturam à Deo productam sit necesse. IX.

Quòd qui ortum Vniuersi procreationi rerum singularum similem esse dicunt, confitentur efficientem Mundi causam necessariò ipsum antecedere, vt rerum singularum causam anteire concedunt. Aut si non eadem Vniuersi ortum consequuntur, quæ in particularium rerum procreatione eueniunt, cùm partes ex iis, quæ sunt, gignantur, totum ipsum siquidem procreatum sit ex iis, quæ non sunt procreatum esse est necesse. X.

Quòd nihil eorum, quæ oriuntur, ex eo gignitur, quod sit. In quo ostenditur, quòd omnium quæ gignuntur & intereunt, quæ composita sunt ex materia & forma, neque materiæ est procreatio neque compositi ex ambobus, sed tantummodo formæ. Et quòd cùm formæ omnes quæ inhærent materiæ intereunt, neque materia efficiuntur, neque in aliud vllum subiectum commigrant neque in simpliciora dissoluuntur, neque ad totum aliquod suum redeunt neque in aliam formam commutantur, neque per se constant, neque ad id, quod potentia est, regrediuntur sed in id, quod modis omnibus non sit, euanescentia perimuntur: & ex eo gignuntur, quod nullo modo sit. XI.

Comprobatio, quòd materiæ inhærentes formæ, neque gignuntur neque intereunt, sed XII.

sine ortu & interitu, aut sunt, aut non sunt.

XIII. *Quòd si concessum fuerit verum esse, sine ortu, & interitu aut esse, aut non esse materiæ inhærentes formas, hoc ipsum etiam necessariò probat. Mundum si vnquam ortus est, ex iis, quæ non sunt, ortum habuisse, non autem ex iis, quæ sunt. Et quòd si materia nata est, ipsam quoque ex iis, quæ nulla essent, natam esse oportet, & ob eandem causam, quod ex ambobus coagmentatum est. Quare ex hisce confici, quòd quicquid nascitur, ex eo, quod modis omnibus nullum sit, efficitur.*

XIIII. *Quòd verum non est, sine ortu & procreatione formas, quæ in materia cohærent, in naturam prodire.*

XV. *Quòd non, propterea quòd in nullo tempore formarum perfectio in naturam producitur, formarum ortus est tollendus.*

XVI. *Quòd tum in iis, quæ arte, tum in iis, quæ naturâ oriuntur, solius formæ, ac non item materiæ est procreatio.*

XVII. *Quòd compositi non est ortus, sed formæ propriè, ex accidenti autem etiam composi[ti]*

NONI ARGVMENTI PROCLI SOLVTIO.

I. CV M Plato tam apertè Mundum procreatum esse, ac non semper esse dicat, vt suprà sæpe ostensum est, sanequàm versutum, & Sophisticæ artis fraudulenta malitia non alienum esse puto, qu[æ] tam euidenter dicta sunt, eludere; & ex aliis quibusdam Platonicis hypothesibus, velle nos inuitos eò compellere, vt credamus non natum e[sse] Mundum, sed ortus expertem esse, Platonem credidisse. Nam etsi apud Plato[nem] reuera esset vlla hypothesis, quæ aliud eius pronuntiatum euerteret, aut conui[n]ceret, viri tamen erat candidi, & qui plus tribuat veritati, ea, quam veram [...] adpareat, stabilita hypothesi, eam quæ repugnet, reiicere. Neq; enim Philoso[phi] viri esse puto, neq; eius, qui Platonis præceptis obtemperet, quicquid Platoni [di]ctum fuerit, id tanquam ex tripode dictum, verum esse censere: & ob id no[n] [nul]la, quæ ab eodem dicta sint, quia vera non esse videantur, velle syllogismis p[er]suadere nunquam ab eo dicta fuisse. Induxit enim Plato Socratem dicente[m] non contemnendum quidem esse Socratem, sed veritatis longè maiorem [cu]ram haberi debere. Non enim mirum videri debet, Platonem, cùm homo sit, [a] veritate nonnunquam aberrare. Nam quòd illi hoc satis frequenter vsu venerit, in ipsa etiam naturæ inquisitione, ne quid de Deo dicam, ostendunt, cù[m] aliorum quorundam, tum Aristotelis aduersus ipsum sexcentæ inficiation[es]. Verùm non alienum opinor est futurum, si paucorũ in præsenti meminerimu[s].

II. N A M cùm qui in Astronomicis disciplinis clari & illustres fuerunt, Solem inter erranteis stellas medium obtinere locum docuerint, ídq; iis omnibus, qui posteà sunt sequuti, placuerit, ipsum Plato secundũ à Luna locum tenere dixit. Atque quin in hoc saltem aberrarit, nemo, qui in Mathematicis non sit plumbeus, cõtradicet. Deinde emigrantes rationis compotes animos (fabulas Pythagoricas sequutus) ratione carentium corpora vult induere. ídq; cùm alii multi, tum ipse Proclus apertè confitetur, in xiiii. capite eius Libri, quem nos sępe citauimus

uimus, in quo pro Timæo contra Aristotelem defensionem scripsit. Vbi Platonis hanc esse sententiam pronuntiat: neque satis probè dissoluit, vt mihi quidem videtur, Aristotelis reprehensionem contra hoc decretum exploranti. Tertiò, in viuentium corporibus trahendi facultatem negat esse Plato, cùm Medici tantùm non sensu hanc nobis inesse doceāt. Quartò, vterum animantem esse Plato est arbitratus. Quod falsum esse satis in libro De dignotione, à Galeno demonstratum est. Iam verò & stirpes sensus participes esse voluit, quod nec Aristoteli videtur, nec qui Platonis decreta defendunt, probare id nobis possunt. Atque adeo nisi extra propositum mihi longiùs esset excurrendum, horum vnumquodque vnà cum Procli defensionibus in medium prolatum non verè dici, absit verbo inuidia, hîc apertè docerem.

IAM & in his præceptionibus, quæ pertinent ad mores, permulta alia viri III. huius reprehendere quiuis posit. Verùm quoniam non de hac re præsens suscepta est disputatio, sed tantùm vt doceamus, quòd frequenter à vero recessit, vnius aut alterius hic tantùm mentionem faciam. Quis enim, qui modò communi sensu non careat, non valde eius in Rep. instituenda de nuptiis, atq; liberorum procreationibus statuta reprehendat? Ciuitatis enim tum fœminas, tum viros custodes iubet, quandiu in flore ætatis liberis operam dare poterunt, strenuos quidem cum strenuis misceri, contrà autem, abiectos & ignauos cum ignauis. Atque strenuorum fœtus tollendos & educandos esse censet: Ignauorum autem, atque adeò strenuorum, siquid mutilum nascatur, in abdito alicubi supprimendos. Vbi autem procreandorum liberorum tempus custodes iam excessissent, liberè in posterum congredi, & coire permittit, viros quidem cum quibuscunque velint mulieribus, & fœminas itidem cum viris quibuslibet. Qua in re parum admodum senectutis tempus obseruare videtur. In quo enim magis decebat temperatiorem vitam persequi, in vitæ intemperantiam suæ ciuitatis ciues tantum non impellit, & prouocat. Atque, quod molestius est, si quid ex hisce nasci contigisset, id maximè studio habendum esse iubet, ne in lucem peruenire permittatur: sed in vtero imperfectum adhuc pharmacis nonnullis, aut vi aliqua simili abigendum esse censet. Neque enim alia ratione studio prouidere possumus, ne fœtus in lucem edantur. Quòd si quid pharmaca & imposturas eorum, qui partum abigere nitebantur, fefellisset, & in lucem esset editum, exponendum iubet, ac non nutriendum: nihil aliud suis consulens ciuibus, quàm vt eorum, quæ charisima sunt, cæde vitam suam inquinent, ac polluant. Atque ne ipsi Platonem calumniis premere videamur, audi quomodo ipse in V. de Repub. ea digerit & collocat, quæ diximus. ad verbum enim hæc habet: In nuptiis „ igitur & liberorum procreationibus rectum imprimis esse videtur, vt hoc fiat. „ Oportet enim ex iis, quæ concessa sunt, præstantisimos quosque cum præstan- „ tisimis quàm sæpisime congredi: abiectisimos autem contrà, cum vilisimis. „ Atque illorum quidem enutriendi sunt liberi: horum verò minimè, si modò ar- „ mentum optimum est futurum. Atque hęc omnia ita geri oportet, vt ab omni- „ bus præterquam à principibus ignorentur. Hac enim ratione custodum grex „ sine seditione quammaximè est futurus. Cùm igitur pręstantisimorum pro- „

lem enutriri oporteat, contrariorum autem non item, certè eam ad interitum & mortem exponi iubet. Intereat enim necesse est, si non nutriatur. Et paul
" pòst in eodem V. de Rep. ait: Strenuorum igitur prolem excipiētes magistratu
" ad ouile perferant ad nutrices, quæ seorsim habitent in aliqua ciuitatis parte.
" Deteriorum autem, atque etiam strenuorum, si ex iis aliquid mutilum aut man
" cum natum fuerit, in abdito, atque obscuro occultabunt, vt decus & pudor po
" stulant, si quidem custodum genus syncerum est futurum. Quid igitur si
vult iterum, quod iubet in abdito atque obscuro ignauorum & obscuroru
prolem occultari, & quod è strenuis natum fuerit mancum, nisi alicubi def
ad interitum? Neque enim, si nutriantur, & ad ætatem deducantur, toto suæ vitæ
tempore in obscuro esse possunt. Quòd autem eos perimi velit, apertiùs paul
" pòst progressus, suam ipse sententiam explicauit. Sic enim ait: Vbi autem, op
" nor, tum fœminę, tum viri procreandi ętatem iam excesserint, liberos ipsos per
" mittemus congredi cum quibuscunq; volent, præterquàm cum filia & mat
" & filiarum liberis, atq; cum auia, mulieres itidem, præterquàm cum filio, & p
" tre, & horum maioribus, ac nepotibus. Atque cùm hæc iam omnia præcep
" mus, studio imprimis prouidendum esse iubemus, ne in lucem partus vllus ed
" tur, si quis conceptus fuerit. Sin autem inuitis nobis natus fuerit, ita expone
" dum, vt eius nulla fiat nutricatio. Quî fieri autem potest, quod iam dixi, vt st
dio quisquam efficiat, ne in lucem fœtus edantur, nisi medicamentis partu
abigentibus, aut similibus veneficiis eos perimat in vtero? Porrò, quòd iubet
exponi ac non enutriri, si medicamenta effugientes in lucem exierint, quid q
so est aliud, quàm hortari, vt liberorum cęde nos polluamus? At, quantò pieta
officiis erat conuenientius, prohibere, ne omnino cum mulieribus rem ha
rent, qui ita essent affecti, quàm libidini indulgere, & diuinum opificium e
re? Iam verò quàm multos ex prauis pręstantissimos nasci videmus? Quàm
tos item ex probis ferè deteriores, & ex affectis senio, tum fortes, tum probi
ditos moribus? Mirum sanè dictu, quàm multa & magna hominum vitæ
moda adferet generosus iste optimæ Reip. status, qui ferociores mores, qu
rarum quamlibet immaniũ nos induere docet. Quæ enim in hac Vniuers
tam immanis est belua, aut quæ tam humilis & imbecilla, quæ ab ipsa na
nullo doctore, non didicerit libenter pro fœtu suo mortem oppetere? Audi
tur, quomodo Homerus pium & indulgentem naturæ affectum erga pro
atque fœtus versibus celebrarit:

Ilia. 12. *Iam nunc sicut apes, & habentes spicula vespæ,*
" *Mellea quæ posuêre cubilia ad arcta viarum,*
" *Mellilego subeunte aliquo, non ipsa relinquunt,*
" *Sed remanent, stimulísque viros pungentibus arcent,*
" *Pro natis: malúntque mori, quàm pignora linquant.*

Iliad. 9. Et alibi:
" *Sicut auis, quæ pro pullis implumibus ipsa*
" *Euolat, vt pastum miseris paret, & mala suffert.*

Vtrum igitur tam paruæ bestiolæ Naturæ, vel, vt meliùs dicam, Dei præc

el sequentes, pro iis, quæ ipsæ procreauerunt, mortem oppetere non dubitant: immanes autem feræ, quæ naturaliter feroces mores ostendunt, susque deq; ferent quomodo quæ ex se nata sunt, se habeant? An nequaquam ita fiet? Homerus enim cùm clarorum & illustrium heroum erga suos socios intimum amoris affectum significaret, ab hisce maximè duxit similitudinem. Ait enim: Iliad.17.

Patroclum clypeo protexit maximus Aiax,
Ceu leo, qui fœtus alacer defendit inermes,
Tum nudis Sylua catulis comitatus in alta,
Venantes videt ire procul, videt obuia ferre
Arma sibi, toruùm spectans, vellitque sub alta
Fronte supercilium, dum flammea lumina torquet.

Quis igitur non absurdam prorsus legem huiusmodi esse dixerit, quæ tantam Naturæ in nobis benignitatem, ad leæna ferociores ac sæuiores mores transferat. Iam verò tantam crudelitatem in non voluntariis liberorum calamitatibus exhibere, & eos præsertim qui ex probis nati sunt, quam impietatem non superat. Hæc quidem certè eam absurditatem continent, quæ nemini non perspicua esse possit. Quòd autem communes vxores esse velit, satis magnam fidem vel ex iis tantùm locis habere possumus, quæ ex ipso producuntur. Nam si eo tempore, quo maximè procreare possunt, probos cum probis coniungit, contrarios autem cum contrariis, vbi autem procreandi tempus excesserint, liberè deinceps, & pro libidine cum quacunque velint congredi permittit, exceptis iis, quas ipse declarauit, palam est, quòd qui priùs cum ignobilibus, verbi gratia, præcepto legis parentes, congressi sunt, posteà accepta à lege libertate, cum nobilibus & strenuis, vt fit, concumbentes, à quibus priùs vi legis, & autoritate arcebantur, οὐ μίαν γυναῖκα, vt cum Euripide dicam, γάμοις ἀκοινώνητον ἀνδρὸς εὐνάν. Nam iuuenilibus annis neque strenuis cum ignobilibus, neque ignobilibus cum strenuis coire licebat: in senectute autem nihil horum prohibetur. Quæ priùs igitur cum strenuo, posteriùs autem, vt par est, cum abiecto congressa est, aut contrà, communis certe ad coitum volentibus erat proposita: verùm priùs nobilibus solis, aut solis ignobilibus, posteà autem nullo discrimine nobilibus pariter & ignobilibus. Prętereà, quod in Repub. de viduitate tum virorum, tum fœminarum nihil pręceperit, palam indicat, quòd in Reipub. suę statu viduitati nullum locum relictũ esse nouit, propter coniunctionis communem libertatem. Atq; adeò iam aperta oratione hanc legem in V. de Rep. ipsemet exponit. Legem enim illam præscribens, quæ ad id pertinet, vt virorum & mulierum ciuiles virtutes sint communes, in qua præscripsit & edixit nudas mulieres in palæstris exerceri cum viris, non solum virgines, sed & seueriores, eásq; imperare, perinde atq; viros: atq; certamina, tum in venationibus, tum in bello ex æquo subire: quoniam contra opinionem dicere videbatur, eiusmodi esse legem, quæ facilè seruari & exerceri posset, vtilémque esse oratione sua confirmauit. Erat autem statim legem inducturus, quæ vxores ediceret esse communes. Atque hanc videbat longè magis contra opinionem esse futuram, quàm pręcedentem, & vix posse probari in vulgus. Audi cuiusmodi ante legislationem proœmiis vtatur: sic enim loquitur:

" Hunc itaq; tanquam fluctum effugisse nos dicamus, in legibus ad mulieres per-
" tinentibus explicandis: ne nos omnino aquis obrui & submergi contigerit, dum
" statuimus conuenire, vt omnia in commune studeant apud nos custodes, tu
" viri, tum fœminæ. Imò verò oratio nostra sibi consentiens est, quia & quæ fi-
" posint, & quæ sint vtilia, præscribit. Sanè verò, inquit, profundum gurgit-
" euasisti. Tum verò, inquam, profundum non esse dices, cùm tu quod deinceps se-
" quitur, videris. Quin tu igitur istud dicito, inquit, vt videam. Lex, inquam, hæ
" alias præcedentes, vt arbitror, consequitur: Omnes has mulieres virorum om-
" esse communes, priuatim autem nullam vlli esse coniunctam. Et liberos itidem
" esse communes, vt neque proles parentem agnoscat suum, neque parens liberos.
" Longè, inquit, istud à fide & probabilitate magis abhorret, quàm illud, cùm
" quod attinet ad vtilitatem, tum quod ad id vt effici posit. Vides, vt legem se-
cundam priore magis alienam esse à fide dicit, vtilisne sit & commoda, atque ta-
lis, vt effici posit. Hoc autem contra opinionem, aut à fide, aut à persuasione a-
lienum non erat futurum, si vnam vni coniunctam voluisset, neque contrà, i
quod omnibus hominibus probatur, mulieres ad vsum omnibus cõmunes pro-
" posuit. Expẽde autem dictionis perspicuitatem: Has mulieres horum omniu
" virorum esse communes, priuatim autem nullam vlli esse coniunctam. Atq
in iis quæ deinceps consequuntur, multus est in eo, vt conficiat, quòd non ver-
bo tenus, sed reipsa hanc communitatem amplexari decet. Nam post hoc de-
tum: Ad verbum nos diximus, inquit, tum voluptates, tum dolores conseq
communes. Atque vtilitatem legis de communi congressu virorum cum mu-
lieribus in V. de Repu. exposuit. Nihil enim vllius proprium esse in sua Rep. v-
le se dicit. id enim esse quod ciuitates diuellat, & solicitet ad seditionem, ne
si Meum & Tuum quidq; nominetur, & in suam domum deductam mul
& liberos quisque sibi vendicet. Vno igitur præcepto tum dolores, tum volu
tes communes esse debere dicit. Hoc enim modo liberi communes habebũ
non tamen vt pecuniæ communes sunt atque vxores: hoc enim fieri non
est: sed quòd cùm propter vagum & incertum concubitum, vnusquisque q-
sui sint liberi, ignoret, liberos omnes communes videbunt: atq; tum volupta-
tum dolores propter liberos ad se pertinere, & suos esse arbitrabuntur. Porrò
tium solertiam, non vt vnam & eandem semper quisque consequatur, fieri v-
quod nonnulli legis vitio pudefacti confinxerunt, sed apertè ob id vt nobiles cũ
nobilibus, aliâs idem cum alia, ignobiles autem cum ignobilibus, & nescientes
sorte coniungerentur: vt ex ipsius Platonis verbis, quę nos paulò antè citauimu
perspicere licet, vt Fortunæ opus, ac non magistratuum prouidentiæ, id esse ar-
bitrantes ciues seditionibus inter se, vt fit, minimè cõcitarẽtur, dum ignaui &
les nobiles obtinere vellent. Quòd si eandẽ cum eodem semper consuetudinem
habere, & coniunctam esse voluisset, vbi quisque semel vnam sorte accepisset,
ídque palam fuisset factum, vt nunc fit, sors deinceps superuacanea videretur.
Verùm nusquam vnam vni coniungere videtur. Et aliôqui absurdam, & quæ fi-
ri non posit, sortitionem eiusmodi esse adparet, & quæ in contrarium legis vo-
luntatem adducat, si cuique vnam & eandem, vt asserunt nonnulli, coniungi vo-
luisset

luiſſet. Id autem clam ciuibus fieri ſtudens,vt nihil proprium ſe quiſquam habere putaret,ſortitionum aſtutiis effecerit,vt eidem ſemper eadem obueniret.Fieri enim non poterat, vt id lateret, ſi cum eadem idem perpetuò congrederetur. Neque enim conniuentibus & clauſis oculis ipſos edixit coire.Temporis itaque progreſſu, magiſtratuum commentum in ſortibus ferendis omnino deprehenſum fuiſſet,& ridiculum comparuiſſet.Atq; hoc deprehenſo, nulla prorſus fuiſſet legis vtilitas:ſed potiùs in contrarium relaberetur.Nunc autem cùm vnam, quam quiſque ſibi expetit, vnuſquiſque accipiat,atque in ea,qualis tandem cunque ea ſit,acquieſcere debeat,quia ſponte,ac non vi duxerit,ſine ſeditione, quod certè quidem ad hanc rem attinet,permanent ciuitates.Quòd ſi quis putet,ſine diſcrimine, temporis progreſſu futuram cum vxoribus conſuetudinem, quia vnuſquiſq; contra id,quod lex velle videtur,vi magiſtratuum atq; dolo,non voluntate,vt decebat,congreditur,nónne omnia,hoc eſt,tum ciuitatem, tum magiſtratus ſeditione compleri eſt neceſſe?Neq; enim omnibus adfectibus prorſus vacuos eſſe ſuos ciues Plato ſtatuit,atque tales, vt quod iucundum videtur, non ſequantur.Nam ſi eiuſmodi eſſe fuiſſet arbitratus,nihil ipſi opus erat iſtis ſortiũ peritiis,qui ita ciues fallerent,vt clam ipſos eſſet, nuptias magiſtratuum fieri iudicio:vt hac ratione cum Fortunæ arbitrio factum fuiſſe arbitrarentur, vt talem ſortem eſſet quiſque ſortitus, contra magiſtratus ſeditiones non concitarent. Nam cum quibuſnam ſeditioſè agerent,qui ſemel ob id,quod publicè conducere videretur, id negligerent,quod priuatim eſſet iucundum?Quare ſi adfectibus ſunt obnoxii,& ii prętereà,qui voluptates conſectentur,& fieri non poteſt,quin temporis progreſſu palam fiat,quòd non fortuitò,ſed magiſtratuum calculo,ac non ſponte & delectione,vt fieri erat æquum,cum eadem idem congrederetur, qui probabile eſſe videtur, vt cum magiſtratibus ſeditiones non ſint concitaturi, qui tum iis rebus, quæ ad voluptatem facerent, tum libertate, quæ lege permitti videretur,deſtituti eſſent? Quòd igitur ſi eandem ſemper eidem per ſortes contingere diceret,fieri non poteſt,vt res ipſa clam eſſe poſsit, & quòd legis vtilitas in contrarium ſenſum relaberetur,ſatis eſt confirmatum. Iam verò abſurdũ eſt,ſi quiſq; cum eadem neſciat ſe verſari,vt etiam concedamus Platonem ſortibus hoc effeciſſe: iniquiſsimum enim præceptum ac decretum animo ſuo impreſſerit.Nam adulterium,& vagum cum mulieribus concubitum incommodi nihil continere putabit. Si enim aliâs cum alia ſe congredi putet, atque hanc optimę Reip.legem eſſe arbitretur,quid aliud,quàm quod diximus,ciuem quęque cogitare oportet? Verùm, cuiuis perſpicuum eſſe puto, quòd omnis actio adultera conuincitur, non ſolùm propter nudum ipſum vſum, ſed propter morum prauitatem,& rationis ad id aſſenſionem. Neq; enim omnino cum mulieribus congredi, reprehenditur, ſed non ita, vt legē permiſſum eſt. Vſum autem iniquum,& contra legem,ab eo, qui legi eſt conſentiens, ratione nimirum diiudicamus.Qui igitur rationi ſuæ perſuaſit, quòd non cum eadem ſemper congreditur,ſed alias cum alia, is adulterii iniquam actionem perpetrauit, etiamſi cum ſua coëat: perinde atque ex contrario,ſi quis noctu cum aliena vxore congredi volens,atque ita arbitratus,cum ſua tamen congreditur imprudens,verè is adul-

ter,etſi non vſu,cogitationis tamen aſſenſione iure iudicatur.Quoniam non coitus omnino,ſed mores,& propter mores rationis aſſenſio,adulterium efficiunt. Vnde animantes, quæ ratione ea diiudicante deſtitutæ ſunt, vnde irrationabiles dicuntur,in coëundo in peccatum nullum incurrunt. Hoc igitur cõſequens eſt, vt qui ſemper cum eadem congreditur,id tamen ignoret, ſed aliâs cum alia coire ſe putet, idq; honeſtum eſſe ex lege perſuaſum habeat, is apud ſe adulterium, quaſi eſſet in bonis,& confirmauit & perpetrauit. Quicunque igitur huiuſmodi ſolertibus commentis obliqua interpretatione Platonem exponere conantur, non obſcurè ferunt,hoc ipſo,quòd ipſos pudet confiteri Platonem eiuſmodi edicere,ſe hanc rem vnà cum reliquis omnibus hominibus abſurdam eſſe iudicare. Verùm , cùm ipſum crimine liberare non poſsint , ipſi ſuam de legis iniquitate contra illum ſententiam ferunt. Hæc igitur hactenus. Sexcenta autem ſunt & alia, in quibus Platonem à vero aberrauiſſe oſtendere poſsimus : verùm ne digreſsione vtamur longiore, quæ diximus, abunde fidem facere poſſunt, non omnia modis omnibus feliciter dicta eſſe Platoni.

IIII. QVID igitur eſt miri, ſi in iis, quæ ad diſquiſitionem ſunt nobis propoſita,ex duabus hypotheſibus inter ſe pugnantibus, vt eas etiam inter ſe pugnare quis concedat,tum eam,quæ Mundum, Deum eſſe dicit, tum eam, quæ ipſum natum eſſe profitetur, ac non ex æternitate ſtetiſſe:quid, inquam, miri, ſi altera bene ſe habeat,altera non item? Verùm Proclus, qui præceptor, & doctor veritatis vult videri,Mundum,eſſe Deum amplexatus, vt verum, hinc ipſum ortum non fuiſſe conficere conatur.Quanquam,vt ex eo quòd Mundus Deus eſſe dicatur,efficere quis poſsit,eum non eſſe natum:non tamen oſtendere poſsit Platonem conſtituiſſe,non ortum fuiſſe Mundum,ſed ſemper ſtetiſſe:quandoquidem hoc quoque erroris Græcanici eſt proprium,vt deorum ortus,& procreationes in hypotheſi ponantur. Atque Plato in multis quidem videtur ſynceras de Deo ſententias eſſe ſequutus,falſam autem & impiam tum Poëtarum,tum vulgi opinionem reprobare.Contrà autem interdum,vt conſuetudinem, & patrium morem reueritus, atq; adeò Athenienſium populum fortaſſe reformidans, ne ille cum Socrate calculis & ſententiis damnaretur,deuoluitur ad fabulas, & in eandem cum cæteris impietatem pedibus deſcendit.idq; cùm ex multis locis colligere quiuis poſsit , tum euidentiſsimè ipſemet Plato in epiſtola ad Perdiccam id planum fecit. Ad verbum enim ſic loquitur : « Quòd ſi quis cùm hæc audiuerit, obiiciat, Plato quidem ea, quæ democratiæ & populari imperio ſunt ex vſu, ſe nouiſſe profitetur : verùm cùm ipſi liceat, quæ factu ſunt optima, in medium proferre,& populo conſulere,nunquam tamen ſurrexit,vt ea pronuntiaret,quę ipſe ſentit : his ita reſponſum eſto, Platonem ſerò tandem rediiſſe in patriam, & populum iam ſecundò deprehendiſſe à ſuperioribus aſſuetum permulta & diſsimilia ſuo conſilio facere , ſe tamen in omnibus lubentiſsime , tanquam parenti conſilium daturum fuiſſe,niſi fruſtra & cum periculo ſe id conaturum eſſe arbitraretur,& nihil eſſe conſequuturum. » His igitur apertiſsimè ſignificauit Plato, ſe permulta eorum , quæ opus erant , metu reticuiſſe. Quòd ſi in rebus agendis quicquam eorum,quæ iam anteà Athenienſibus probata fuiſſent,loco mouere,

aut immutare veritus est,cùm tamen ea,quę ad statum Reipu.ipsorum pertinebant,perperam se habere arbitraretur,quis non videt, quantò magis extremum periculum adlaturũ sibi credidisset, si quicquã quod ad deos attineret, iam publice moribus & legibus receptos improbauisset? hoc ipsum enim Socrati, cur mortu addiceretur,causa fuerat.Verùm hæc,vt iam à nostrorum permultis cõprobata satis, missa facio: qui ea tantùm gratia horum hîc memini,vt ostenderem hac quoque in re fabularum errorem sequutum Platonem, Mundum, esse Deum ex Orphei versibus pronuntiauisse.Verùm de his hactenus: nunc ad inquisitionem propositi Argumenti orationem nostram conuertamus.

QVICQVID interit,inquit, suo ipsius vitio perimitur. Deorum autem genus vniuersum, cùm vitii minimè sit capax, commutationis neutiquam est consors.Non igitur,inquit,interibit vnquam Vniuersum,cui nihil insit vitii, quia & ipsum Deus est. Si deorum genus Vniuersum, quia vitii non est capax, est quoque exors mutationis, certè quod mutationis exors esse non potest, id Deus esse nullo modo potest.Quando igitur quicquid sentitur,id Plato nasci & interire dicit,& verè nunquam esse,& ob id Mundum,quia cadit sub sensum,ortum esse pronuntiauit.Nam ex omnibus rebus,iis tantùm,quę maximè sunt diuinæ, competit, vt semper eodem modo se habeant,& in iisdem permaneant: corporum autem naturam ordinis huius non esse participem, sed omnino in commutatione versari.Quin ipse Proclus,vt ex superioribus cognouimus,hanc Platonis sententiam amplexatus, finitas esse Mundi vires asseruit, quia nullum corpus infinitarum virium est particeps: caducas autem esse vires finitas:atque hoc Mundo à sua ipsius natura conuenire. Hæc cùm ita sint in confesso, vtrum erat rationi consentiens magis, ex eo, quòd Mundus Deus esse dicatur, ipsum esse mutationis expertem,& ideo colligere nunquam esse natum: atq; hoc modo tum sibi,tum Platoni,tum ipsi veritati repugnare:an verò ex eo,quòd mutationi subiectus sit,& ideo naturâ capax interitus,vt qui virium infinitarum non sit particeps,Deum ipsum esse vt falsum auersari? Si deorum vniuersum genus, vt ait, mutationis minimè capax est. Verùm opinor qui secundum necessarium esse fuerit confessus,nempe Mundum non esse Deum,is priùs falsum esse concesserit, hoc est,Mundum expertem esse mutationis. Nam si Vniuersum Deus est, quid quæso in rebus,quæ sunt, sit reliqui, cui Dei naturam non tribuamus? Nam in Vniuerso ac toto partes continentur. neq; enim totum aut Vniuersum aliud est, quàm partium omnium mutua inter ipsas adaptatio, & omnium in vnum & idem concursus.Hinc igitur tam contumeliosè Dei opinionem acceperunt,& tantam dedecoris notam ei inusserunt isti viri, vt ad beluas vsq; & res ipsas inanimatas, atq; adeò ad fœdissima quæ inter homines sunt vitia, diuinam maiestatem & appellationem detorserint.Cùm igitur Mundus,quia corpus est, in commutatione & varietate cernatur,neque fieri posit,vt mutationis sit expers, & deorum genus mutationem non admittat, fieri certè nullo modo potest,vt Mundus sit Deus.Verùm ad hæc quispiam fortasse dicet, quanuis Mundi partes immutentur,totum tamẽ vt totum est,esse incommutabile: totum enim semper eodem modo se habet. In partibus autem Vniuersi mutatio cernitur &

varietas. Verùm hoc modo fiet, vt earum rerum, quæ sunt, nulla quandiu in natura erit, mutationis sit particeps, sed vniuersæ mutationis expertes erunt. Nullum enim animal, quandiu est animal, ipsum per se totum immutatur: verùm seu augeatur, seu imminuatur, aut tabescat, seu incalescat, seu è loco alium in locum commigret, ab eo non dimouetur, vt sit animal. Nam si per se totum, & quia animal est, immutaretur, à sua essentia omnino dimoueretur. In mutationibus enim ortus & interitus rei totius mutationem efficiunt. Ortus siquidem, est ab eo, quod non est, ad id, quod est, traductio: Interitus autem, ab eo quod est, ad id, quod non est. reliquæ autem commutationes in aliquo, quod ad rem pertineat, perficiuntur. Quinetiam fieri potest, vt cùm res tota seruatur, totius partes nonnullæ nascantur, & occidant: vt cùm carnis parte aliqua corrupta, alia in eius locum succrescit, aut ramo computrescente alii suppullulant. Ad hunc igitur modum & Mundus, quandiu Mundus erit, per se totum est incommutabilis. Nam si per se totum immutaretur, interire ipsum esset necesse. Vniuersum igitur mutationis expers esse non docet: quod ipsum per se totum nunc non commutetur, verùm hoc ita demum conficeretur, si nulla ipsius pars immutaretur: quod verum non est: sed contrà nulla est Mundi pars, quæ prorsus sit incommutabilis. Nam reliqua omnia, præter cœlum, penes omnia mutationis genera commutantur: cœlum autem interim commutationem in loco subit, nec cœli pars est vlla, quæ locum non mutet. Quare Vniuersum incommutabile esse non potest. Quòd si alia, quæ secundùm alias mutationis formas immutantur, omnia ortum admittunt & occasum, Vniuersum certè, cùm sit mutationis capax, in iis erit necessariò, quę oriuntur & occidunt. Nam à ratione prorsus abhorret, cùm elementa, ex quibus coagmentatum est & eductum in naturam, oriantur, & intereant, non ipsum quoque, quod constat ex ipsis, nasci & interire: vt in præcedentibus accuratiùs comprobauimus. Verùm altiùs repetito initio, iterum in propositam argumentationem inquiramus.

VI. QVONIAM quicquid interit, suo ipsius vitio perimi dicit Proclus, quódnam autem cuiusque rei sit vitium, ipse non expressit, inuestigandum hîc meritò videtur, quidnam tandem sit illud, ex quo cuique, quod eius sit particeps, suus est interitus. Equidem cuiusque rei vitium aliud nihil esse puto, quàm degenerationem ad id, quod sit contra cuiusque rei naturam, vt in præcedenti Argumento meminimus. Hoc autem à nulla efficitur facultate naturali. Nulla enim res, quę constet in natura ipsa, sui interitus est efficiens: sed quamque rem sua potiùs conseruat natura. Quare si facultati opposita est virium infirmitas, ei autem, quod non est, id quod est, & vnicuique cur sit, causa est naturalis facultas, certè cur non sit, imbecillitas erit causa. Nam quia naturalis facultas sufficere non posit, & subiectum perpetuò continere, fit, vt res ipsæ intereant. Porrò, facultatem finitam deficere est necesse: vt aurigæ vis & facultas, seu corporalem seu artificialem dicere velis, in causa est, cur seruetur currus: contrarii autem, imbecillitas. Quare si Mundus, vt corpus, finitæ est facultatis, finitam autem facultatem deficere est necesse, & cùm deficit, in id res ipsas labascere, quod contra naturam sit, oportet. Quod autem est contra naturam, id cuiusque rei est vitium,

& id

& id quod cuique rei adfert interitum, Mundus certè vitium habebit, quantum in facultatis imbecillitate est positum, viam nimirum ad id, quod est contra naturam. Aut igitur doceant, quòd Mundus virium non est finitarum: aut, quòd finitæ vires caducæ non sunt: Aut, si hæc vera non sunt, omnino est necesse, Mundum, quantum in ipsius finitate est positum, capacem esse eius vitii, quod contra naturam est, & ob id interitui esse subiectũ, nec ideo expertem esse procreationis. Nam quod Deus ipsum nolit perimere, ratione docere non possunt, cùm Argumenta, quæ ad hoc pertinebant, in Sexto confutata sint. Quòd si hoc etiam esset verum, non propterea tamen conficeretur, ipsum naturâ ab interitu esse alienum. Iam cùm naturâ ab interitu nõ sit alienus, sed aptus ad interitum, in iis esse, quæ procreantur, omnino est necesse.

VERVM agedum, quæ deinceps in Argumento sequuntur, expẽdamus. VII.
Quòd si, inquit, interire nequit Vniuersum, quia nihil habeat à quo perimatur, » natum sanè non est. Id enim vnde cuique suus est ortus, eiusdem perimendi vim » habet. Nam si vincatur, ortus & procreationis sociam causam præbet. Sin vice- » rit, causam adfert interitui. Quare si nihil est, quod ipsum interimat, neque quic- » quam erit, vnde nascatur. Et quæ sequuntur. Vbi Proclus sibi quidem videtur » docuisse ex eo, quòd Mundus Deus sit, vitii ipsum nihil habere, & ideo nihil habere vi præditum perimendi. Hinc iterum docere conatur, natum ipsum non esse. Idem enim, inquit, & interitus & procreationis est causa: sed victum quidem procreationis, vincens autem interitus. Quare, inquit, si Vniuersum, quod in ordinem digestum est, & reductum in ornatum, à nullo perimi posit, quàm ab ordinis & ornatus priuatione. Hæc est enim, quæ ordinati & ornati continet vitium. Si igitur Mundo, inquit, nihil inest vitii, neque ordinis & ornatus priuationem habebit sibi repugnantem: qua vincente interire, victa autem, nasci & oriri Vniuersum contingat. Verùm quoniam abunde docuimus, Mundum admittere, quòd sit cõtra naturam, propter suarum virium finitionem, ei porrò quod ordinatum est, contra naturam est ordinis confusio, & ornato, ornatus priuatio, Mundus sanè causas habebit, quæ ipsi adferant interitum. Ei verò, quod interitus est causa, id Proclus ait procreationis etiam esse causam: & secundùm hoc Mundus sanè habebit vnde fuerit procreatus. Mihi igitur non verum esse videtur, quod interitui sociam causam adferat, id omnino procreationis adiuuantem causam continere. Ne verò in digressione orationem longiùs æquo producamus, nos hoc missum faciamus. Nam etsi in toto genere dictum verum esset, probato tamen, quòd Mundo aliquid insit contra naturam, certè secundùm Procli hypothesin, est etiam causa interitus, id quod procreationis eius sociam causam adfert.

QVONIAM autem Græcorum sermone tritam rationem deinde VIII.
mouit Proclus (Si enim, inquit, nihil quicquam sit, ex quo nascatur, nasci nullo » modo potest. Ex aliquo enim nasci, & ortum habere oportet, quicquid nascitur. » Nam vt ex nihilo nascatur, fieri, inquit, non potest) agedum, primùm rationi » ipsi nos patrocinemur, ne indicta causa aduersus ipsum pronuntiemus: tum, pro viribus veritatis patrocinium suscipiemus. Quòd igitur quicquid oritur, ex ali-

qua re,quæ iam ſit, naſcatur, credere quiuis poſsit, ſi ad ea omnia reſpiciat, quæ generantur. Homo enim ex ſemine naſcitur, & ſanguine menſtruo, & ficus itidem ex proiecto in terram acino,& aqua irrigante. At verò & ex concreſcente aëre conficitur aqua,& ex eodem rareſcente gignitur ignis.Atque in aliis omnibus, tum quæ natura duce, tum quæ arte proueniunt, eadem eſt ratio. Quare, aiunt, niſi ante exortum Mundi aliquid fuiſſet, ex quo procrearetur Mundus, fieri omnino non poterat,vt naſceretur.Si quid igitur erat, illud aut prorſus natum non erat,aut erat natum. Verùm ſi natum non erat,cur non ſtatim in ipſo Mundo idipſum dicimus,vt non fuerit natus:ſi fieri omnino poteſt,vt ex iis, quæ in Mundo ſunt,quidpiam ſit, quod non ſit natum, nempe id, ex quo ortus eſt?Sinautem illud ortum eſt,ex alio iterum illud orietur:ídque progredietur in infinitum.Vnde conficiunt, quòd, ſi hæc fieri non poſſunt, Mundus natus eſſe non poteſt: quare ortu vacat & procreatione. Quibus igitur rationibus defendere quis poſsit,quicquid naſcitur, ex aliqua re, quæ ſit, oriri, nihil autem ex eo naſci,quod modis omnibus nihil ſit, & ob id Mundum ortu quidem carere, hæ ſunt,quas diximus.Quib.autem dictis ſit occurrendum,ea ſunt,quæ ſequuntur.

IX. PRIMVM, ſi rerum ſingularum,vt Socratis,vt Platonis,vt huius equi, & aquæ huius,& deniq; omnium,quæ hîc gignuntur, natura eſt procreationis continens,& vicina cauſa:Totum autem & Vniuerſum à Deo, nullo interiecto medio,procreatur,vt ait Plato,quis non videt eum tollere Deum,qui dicat Deũ procreare non poſſe,cùm quod priùs non erat,in naturam rerum producit,niſi eo modo quo ſingularum rerum vnamquamq; natura producit?Nam ſi efficit ars,efficit & natura:non tamen vtriuſq; eadem eſt & ſimilis efficiendi ratio.Verùm ars quidem,vt verbi gratia, fabrilis, nullius illa quidem rei ſubſtantiam extrinſecus procreans,ſola lignorum compoſitione abaci aut ianuæ figuram effingit. Natura autem non ſolùm temperamentum & elementorum efficit compoſitionem,verùm & iam ipſas quoq; rerum ſubſtantias,ac ſpecies,quæ priùs non erant,in naturam producit: nempe carnis formam & oſsis, venæ, nerui & reliquarum animalis partium,& vitæ in ipſis effectricem facultatem:deinde nutrientem,augentem, ſentientem, ac mouentem, & reliquas facultates, quæ in elementorum certa compoſitione & temperatione conſiſtunt: & ſtirpium præterea ſexcentas ſpecies, colorum, ſuccorum, metallorum infinitas differentias, & varietates. Cùm igitur tantùm artem ſuperet natura, quî fieri poteſt, vt non ſit neceſſe,Dei opificium incomparabili exceſſu naturam ſuperare?Quare ſi natura formas, quæ priùs non eſſent, in naturam producit, materiam nacta ex iis, quæ iam ſunt, in qua formas ipſa procreat, quia non poſsit, niſi re aliqua ſubiecta ſua efficiendi vim exercere,ſed re aliqua ſubiecta omnino indigeat, in quam ipſa agat, vt quæ in ſubiecto conſiſtat, ſine quo nec cohærere nec agere poſsit, omnino eſt neceſſe, ſi Deus etiam efficit, & res quæ ſunt,in naturam producit, rationem eius efficiendi aliquid ſupra naturam obtinere. Sed nulla in re naturã ſuperabit,niſi ex eo quod modis omnibus nullum ſit, res poſsit in naturam procreare, ſed perinde atque ars & natura ipſe antecedente re aliqua ſubiecta indigeat,in qua ſuam exprimat efficientiam: neque tanto ſuperet naturam,quanto

artem

artem superat natura. Si igitur, quod dixi, incomparabili excessu à Deo naturam superari oportet, natura autem ex iis, quæ iam sunt, subiectum & materiam nacta, solas rerum formas & species efficiens, prouehit in naturam, modis omnibus est necesse, vt si quid Deus ex eo, quòd non sit, in naturam producit, non solùm formas eorum, quæ efficiuntur, verùm & subiectum ipsum, quod priùs nullo modo esset, in naturam producat. Aliôqui nulla in re naturam superabit. Efficitur igitur, vt nullo modo sit necesse, quamadmodum in rebus singulis ex iis, quę iam sunt, vnaquæque efficitur, sic & Vniuersum, si à Deo procreetur ex aliquo procreari, quòd prius constiterit.

DEINDE, si quia rerum singularum vnaquæque ex aliquo fit, quod iam constet, ideo volunt Vniuersum, si procreetur, ex eo, quod iam sit, oriri, palam est, quòd quæ in rebus singulis eueniunt, ea in Vniuerso etiam euenire censent. Quare Vniuersum similium affectuum esse cum partibus inde conficiunt. Quoniam igitur Mundi partes, hoc est, elementa ex quibus ipse coagmentatus est, sunt caducæ, neq; pars est vlla, quæ non nascatur, & óccidat, iam anteà autẽ docuimus, neq; tota & integra elementa eadem numero permanere: vt autem partes se habent, Vniuersum sic se habere est necesse, certè, quantum ex iis, quæ dicta sunt, intelligere possumus, Vniuersum natum est & caducum. Præterea, quando volunt Vniuersum, si nascatur ex aliqua re antecedente, ideo oriri, quia res vnaquæq;, quæ nascatur, oriatur ex aliquo, quoniam igitur rerum singularũ opifex est natura, & tempore posteriora sunt procreante natura, ea, quæ ab ipsa procreata sunt, & Mundum sanè antecedit eiusdem fabricator, & effectorDeus, etsi ex aliquo ortu carente ipsum sit fabricatus. Vnde efficitur, vt non ex æternitate vnà cum Deo fuerit Mundus. Non quæ est sortitio, cur in quibusdam Vniuersi procreationem necesse habeamus rerum singularum procreationi similem esse dicere, in quibusdam verò non item? Constat enim, quòd etsi Mundum sempiternum esse dicant, Deum tamen eius effectorem esse confitentur, rerum autem singularum opifex est natura. Aequum est igitur, vt hîc etiam eadem in Vniuersi procreatione consequi confiteantur, quæ in rebus singulis gignendis eueniunt. Quòd si non concedunt partes suas consequiVniuersum, neq; quæ partibus eueniunt, eadem Vniuerso euenire, certè neque si res singulæ, quæ nascuntur ex iis, quæ iam sunt, oriantur omnes, ob id protinus oportet, si nascaturVniuersum, ipsum quoq; ex aliquo oriri. Nam si non eodem modo efficit natura, vt Deus, natura autem ex iis, quæ iam sint sua profert, Deus certè non ex iis, quæ iam sint, sua procreabit, sed ex iis potiùs, quę nulla sint. Quemadmodum enim mouetur pars vnaquæque, sic mouetur & Vniuersum, non tamen vt partes, sic mouetur & totum. Locum enim totum pars tota commutat, & migrat in alium, Vniuersum autem à toto loco nõ digrediens circa medium punctum, quod centrum dicitur, versatur, vt ipsum quoq; moueatur, quia naturale corpus est. Natura enim motionis est, & quietis principium, & rursum manet adfectum eodem modo: quia nulla est alia sedes, in quam commigrare posit totum per se totum translatum. Neq; verò vllo modo est necesse, res singulas motu Vniuersi cieri, neq; Vniuersum rerum singularum motu agitari. Et eodem modo igitur

est consequens, vt non sit necesse, si Vniuersum natum est, & natæ itidem sunt res singulæ, eundem ortum esse amborum. Sed vt in motu, sic & in hoc contrario modo se res habet. Nam si Vniuersum procreatum est, totum per se totum natum esse oportet, vt verè Vniuersi sit procreatio. Res autem singulas non ad huius similitudinem, sed ex iis oriri, quæ iam sint, & pereuntes in id, quod est, dissolui: idque meritó. Nam cùm iam Mundus sit coagmentatus, & constitutus, per ortum autem & interitum vtilem Vniuerso, partes totius nascantur & intereant, fieri non poterat, vt in id, quod modis omnibus nullum esset, per se totas interirent, & nihil in eodem statu maneret. Nam hoc modo longo tempore alius ex alio Mundus necessariò nasceretur. Hoc ipsum enim ei accideret, quod naui vsuuenire videmus, quæ penes asseres immutatur. Tandem enim tota prorsus innouatur, & alia fit ex alia, etsi formam eandem retineat. Si igitur vnum & eundem Mundum manere oportuit, oportuit autem & ortum esse & interitum, fieri omnino non poterat, vt hæc ambo simul seruarentur, nisi partes in sese vicissim commutarentur: atque hoc modo rerum ortum & interitum efficerent, &, quoad eius fieri potest, totius naturam eandem conseruarent. Quòd si Vniuersum oriatur, nullo modo est necesse, vt ipsum ex aliquo nascatur. Nam hoc modo imperfectum sit futurum Dei opificium, vt quod formam tantùm sine subiecto in naturam rerum, & in essentiam produceret. Sed totum per se totum, si quidem nascatur, Vniuersum ex eo quod nullum sit, in naturam prodiisse oportet. Aut aliis necessariis, & quæ reuinci non posſint, rationibus, doceant procreatum non fuisse Mundum, sed ex ęternitate stetisse: Aut certè si nascatur, nihil est, quod necessariò efficiat, ex eo nasci quod sit, quia res singulæ ex eo nascantur, quod iam sit. Sed contrà potiùs, ipsum totum per se totũ ex eo, quod nullum sit, in naturã prodiisse oportet, vt Vniuersum verè, vt Vniuersum nascatur.

XI. AD HVNC igitur modum, cùm concesserimus quicquid gignitur, ex eo gigni, quod sit, reperimus nihil esse necesse, cur si Vniuersum gignatur, ex eo, quod sit, ipsum quoque gignatur. An verò ne id quidem verum est, quæ gignuntur, ex iis omnino nasci, quæ sint? Nam cùm quæ gignuntur omnia, quæ certè sempiterna non sunt, ex materia constent & forma, & prætereà ortus mutatio sit ab eo, quod non est, ad id, quod est: vt Interitus, ab eo est mutatio quod est ad id, quod non est. Vtrum penes totum ipsum, hoc est penes materiam & formam compositum gignitur, hoc est ex eo, quod nullum est, in id quod est, cõmutatur (hæc est enim procreationis ratio) an verò non penes ipsum totum? Si igitur penes totum oritur ipsum, quod gignitur, nempe penes materiam & formam, certè id quoque, quod interit penes totum interibit: vt necesse sit non solùm formam, sed materiam quoque tum nasci, tum interire. At verò materiam censent ipsi nec nasci nec occîdere. Atque hoc ipsum deinceps Proclum dicentem audiemus. Quin & Aristoteles hoc ipsum enuntiauit in fine Primi, De naturali auditione. Non igitur penes totum ipsum compositum gignitur, & interit. Quomodo autem de iis censendum sit, quæ ad materiam pertinent, alibi inuestigabimus, vbi huius mentionem faciet Philosophus: Vtrum reuera quæ prima nuncupatur materia, incorporea sit nécne? Et vtrum modis omnibus ortu

careat, & sit sempiterna, an non? Et an verum esse videatur illud, quòd rerum omnium, quæ à natura gignuntur, & intereunt, est commune subiectum, nec nasci, nec interire? Nam carnis (verbi gratia) interitus, carnis quidem speciem hāc perimit, quod autem huic subiectum est corpus, non item. Manet enim quod trina dimensione continetur, nullo modo adfectum, quantum ad naturæ suæ rationem attinet. Hæc enim est corporis natura: substantia triplici interuallo diffusa. Eodem modo, si intereat aqua, & ex hac gignatur aër, aquæ quidem interitus, aëris verò procreatio euasit. Quòd autem ambobus subiectum est (hoc autem corpus est omni qualitate vacans) nullam subiuit commutationem, quia corpus est. Atq; in omnibus eadem est ratio. Si materia igitur primum subiectū neq; nascitur in iis, quę gignuntur, neq; perimitur in iis, quæ intereunt, non sanè penes se tota composita ipsa perimuntur: permanet enim in iis, quæ intereunt immutata materia: neque penes materiam efficitur interitus. Superest igitur, vt forma sit, quæ intereat, hoc est, quæ ex eo, quod sit, in id commutetur, quod nullum est. Est igitur & huius procreatio, hoc est, ex eo, quod non sit, in id, quod est, commutatio. Nam corpus illud, quod (verbi gratia) pani subiicitur, cùm caro non esset, factum est caro. Et rursus, extincta & corrupta carne, carnis quidem species in id abit, quod non est, corpus autem nihilominus est corpus. Neq; enim in incorporeum rerum efficitur interitus, neq; ex incorporeis procreatio. Quare corpus modis omnibus incommutatum manet. Totius igitur non fit interitus, neque procreatio in compositis, sed formæ solius. Nam etsi compositum gigni dicatur à parte, tamen de toto dicitur procreatio. Species enim est, quæ propriè gignitur, perinde acsi Socrates verberari diceretur, aut ambulare, aut indui, non penes ipsum totum, hoc est, tum penes animum, tum penes corpus prædicta subit, sed penes solum corpus. Contrà autem, si dicatur sapiens esse, aut iustus, iterum à parte, nempe ab animo, in toto fit enunciatio. Cōsueuimus enim, quæ parti eueniunt, ea propter compositionem in toto enunciare. Quare si hæc ita se habent, & ortus & interitus propriè sunt formarum, si materiæ inhærentes formæ, sempiternæ sunt omnes. eas dico, quę rerum sunt singularum in quibus ortus cernitur & interitus, esto, nihil neq; ex eo, quod modis omnibus nullū sit, gigni, neq; id, quod omnino nullum sit, interire. Sin neq; carnis species, neque sanguinis, neq; ossis, nec item colores, nec figurę, nec aliarum materiæ inhęrentium formarum vlla est sempiterna, certè harum vnaquæque priusquam nata esset, secundùm naturę suę rationem nulla, deinde in naturam & essentiam producta, ex eo quod modis omnibus nullum erat, in id quod est, commigrauit: & corrupta in id transiit, quod modis omnibus est nullum. Nam qui in hoc cygno candor inest, priusquam natus esset cygnus, nullo certè modo constabat, neq; in iis erat, quæ sunt: sed vnà cum cygni procreatione primam in ipso nactus est consistentiam: deleto igitur & extincto cygno, nusquam consistit ille candor, sed in id, quod nullum est, omnino commigrat. Et vt omnino dicam, formarū, quæ in materia sunt, & figurarum vnaquęque, vt carnis & ossis, & hoc triangulum, & hic circulus, qualitatum item vnaquæq;, vt calor, vt frigus, vt candor, vt nigror, vt quæ sunt generis eiusdem, rationis item expertes animæ facultates, vt

nutriendi, augendi, procreandi, ſentiendi, appetendi, & reliquæ. hæc inquam & quæ ſunt huiuſmodi, quoniam in ſubiectis corporibus naturam ſuam & conſiſtentiam obtinent, omnino eſt neceſſe, vt quando particularia corpora, in quibus cõſiſtunt, intereunt, in materiam ipſa recurrant, & tanquam materia fiant, aut in aliud aliquod ſubiectum & corpus tranſeant, & animent illud, & omnino exornent ſpecie, vt in compote rationis anima Græci Autores fieri ponunt: aut in ſimpliciora nonnulla diſſoluantur, vt ſyllabæ in literas, & domus in lapides & ligna: aut ad proprium aliquod totum redeant: vt ſi quod in nobis eſt igneum diſsipatum & exſpirans, in ignis integram molem reuertatur, aut in aliam ſpeciē commutetur: vt ſi corruptus nigror fiat, verbi gratiâ, candor aut dulcedo, aut quid aliud: aut per ſe ſine materia conſiſtant, vt quæ intelligentiâ comprehenduntur ſpecies. Aut ſi horum nihil fieri poſſe probatum fuerit, neque modum alium diſſolutionis ipſarum, quod equidem ſciam, fingere liceat, ſupereſt, vt in id quod omnino nullum eſt, corrupto ſubiecto corpore, ipſæ diſſoluantur. Quòd autem nulla materiæ hærens forma, neque vlla animæ rationis carens facultas, cùm perimitur, fiat materia etiam apud Græcos ipſos ſapientes in confeſſo eſt. Nulla ſiquidem ſpecies nec animę facultas ſuam naturam & ſubſtantiam ſumit ex materia, nec ita vt materia ipſa formas gignat, nec ita vt in formarum naturā vertatur, nec vt ipſamet forma fiat. Formarum enim procreandi vim non habet: quia vſuuenire non poteſt, vt ex deterioribus meliora gignantur. Quî fieri enim poteſt, vt ſenſus & vitæ expers materia, & modis omnibus informis, ſenſus & animę & omnino formæ ſit cauſa? Meliora enim deteriorum ſunt procreantia & cauſa, non contrà, meliorum deteriora. Materia enim alicuius eſt gratia. Species autem eſt id, cuius gratia. Iam in omnibus melius eſt id, cuius gratia, eo, quod alicuius gratia inſtituitur. At verò prius id eſt ordine naturæ, cuius gratia, eo quod gratia alterius ſuſcipitur. Nam etſi ſimul iſta cõſtant, aut non conſtant, quoniam in iis ſunt, quæ inter ſe comparantur: tamen mente & cogitatione id, cuius gratia aliud conſtituitur, priùs concipi eſt neceſſe: & propter hoc ipſum illud parari, quod eius gratia inſtituitur. Nam formæ ædium gratiâ, quæ mente iam concepta teneatur, materiam talem comparamus, nõ autem formam materiæ accommodamus: perinde ſanè atq; pater & filius, etſi eorum ſunt, quæ inter ſe comparantur, naturæ tamen ordine prior eſt pater. Sic vt genus & ſpecies inter ſe conferantur, naturâ tamen prius eſt genus. Ad hunc igitur modum id, cuius gratia, ordine prius eſt eo, quod gratia eius inſtituitur, etſi in iis ſint, quę inter ſe conferuntur. Quare efficitur, vt ſi naturâ prius eſt id, cuius gratia, cauſam ei non præbeat id, quod ad ipſum deſtinatur. Ordine enim naturæ cauſæ priores ſunt iis, quæ oriuntur ex cauſis. Quare ſi materia locum tenet eius, quod paratur alterius gratiâ, ſpecies autem & forma id ſit, cuius gratia aliud inſtituitur, nõ certè procreandarum formarum vim habet materia. Nam quod procreat, eius, quod procreatur, efficiens eſt cauſa. Porrò id, quod gratiâ paratur alicuius, cauſa eius eſſe non poteſt ad quod deſtinatur. Neque verò in formas materiam verti contingit, vt commutata ſpecies efficiatur, nec contrà, cùm ſpecies intereunt, poſſunt fieri materia. Nam ſi quæ compoſita ſunt ex materia & forma, ea conſtant

ſtant ex ſimplicisſimis, quî fieri poteſt, vt prætereà ſpecies in materiam diſſoluã-tur? Neque enim ampliùs corporum elementa duo, materia & ſpecies erunt, ſed vnicum. nempe materia: neque vlla in rebus erit compoſitio. At verò, quî fieri poſsit, vt incommutabilis materia in ſpeciei naturam migrare poſsit? Neq; enim incommutabilem illam naturam ampliùs retinebit. Cùm enim non idem ſit materia, quod ſpecies, materia tamen commutata ſpecies efficitur, non ſanè ampliùs materia permanſit. Nam quod in aliquid per ſe commutatur, nõ idipſum ampliùs manet, quod erat. Mutatur enim, verbi gratia, aër in aquam, aut in ignẽ, verùm vnà cum ipſa commutatione aëris natura perimitur. Atque adeò ipſum album, quando quia album eſt commutatur, idipſum amittit, vt album ſit. Atq; in omnibus eadem eſt ratio. Vnde cõficimus, vt ſi materia in ſpeciem cõmutetur, nõ ampliùs maneat materia. Itaq; non erit incõmutabilis. Qua ratione efficitur, vt nihil ex materia & forma ſit cõpoſitum: verùm omnia, formæ ſine materia ſimplices erunt. Imò veriùs neq; totum erit materia. Adparet enim nihil ex informi materia commutationem in aliud efficere. Calidum enim, verbi gratiâ, in frigidum commutatur, & nigrum itidem in album. & in omnibus par eſt ratio. Si quis igitur dicat commutatam materiam formam effici, id tum omnino deponet atq; exuet, vt ſit materia. Non eſt igitur formarum procreatrix materia, neq; mutata ipſa ſpecies efficitur. Nihil igitur neq; eorum, quæ gignuntur, oritur ex materia, neque eorum, quæ intereunt, diſſoluitur in materiam. in quod enim quidpiam in interitu diſſoluitur, ex eodem ortum ſuum obtinuit. Quare ſi nulla ſpecies in rerum interitu materia efficitur, ſanè ex materia ortum non habet. Nam etſi materiam facultate formas eſſe dicimus, non tamen quaſi eàs ipſa procreet, in formarum naturam migrat. Nam in iis, quæ gignuntur, eſt incommutabilis. Verùm facultate ſpecies omnes eſſe dicitur, quòd habilis ſit ad formarum naturam in ſe recipiendam. Quemadmodum enim tabella ſcriptoria, vt ait Ariſtoteles, facultate eſt, quæ in ipſa deſcribuntur literæ: non quòd naturâ literarum ex ea tabella enaſcatur, nec quòd in literarum ſubſtantiam charta aut cera commutetur (manet enim incommutata charta & cera, itidem cùm in ipſis gignuntur literæ) ſed quòd poſſet in ſe literarum characteres recipere. Neque verò quiſquam dixerit, quòd ex eo, quòd eſſet charta aut cera, eſſentiam ſuam habeant literæ. Ad eundem ſanè modum etſi materia facultate ſpecies quælibet eſſe dicatur, non propterea tamen ex natura materię formas naturam ſuam nanciſci aſſeuerare decet: niſi fortè, quòd in ipſa ſint. quia naturâ ſine ſubiecto formæ per ſe conſtare non poſſunt. Euidentiùs autem huiuſce rei confirmationem ob oculos ponet interitus. Nam ſi cùm intereunt literæ, formæ materia non fiunt, palam eſt, quòd neque à materia conſiſtentiã inuenerunt. In quod enim quidque interit, ex eodem quoque naſci oportet. At verò neque euenire poteſt, vt vllæ materiæ inhærentes formæ, in aliud ſubiectum tranſeant, neque animæ facultates. eas dico quæ rationis ſunt expertes. Nã ſi ſemper ab vno ſubiecto in aliud commigrarent animæ facultates, eædem numero permanentes eſſent immortales, & ipſę per ſe conſtarent, neque ad ſui conſiſtentiam ſubiecto indigerent. Fieri enim nullo modo poteſt, vt equi (vt exempli gratiâ dicam)

anima vna & eadem numero permanens, ex alio in aliud ſubiectum commigret, niſi ipſa per ſe cōſtaret, & eſſet immortalis: vt nimirum animum noſtrum, quòd naturam habeat à corpore ſeparabilem, ponunt ab aliis in alia corpora commigrare. Aliud enim nihil, quod quidem certè in ſubiecto naturam & conſiſtentiam ſuam obtineat, à ſubiecto in ſubiectum commigrare poſsit. Forma enim eius carnis, quæ in Socrate ineſt, Socrate relicto nunquam in alio numero eadem ineſſe poſsit. Neque verò qui in cygno candor ineſt, aut quę in pomo globoſitas, relictis ſubiectis ſuis in alia vnquam ita commigrare poſsint, vt eadem numero permaneant. Hoc enim eorum eſt proprium, quæ conſtant ipſa per ſe, & à ſubiectis ſeparabilem naturam inuenerunt. Priùs enim à ſubiecto ſuo ſeiungi oportet, deinde in alio ſedem occupare. Quod igitur à ſubiecto, niſi intereat, ſeiungi natum non eſt, quomodo integrum & idem manens ſeparari poſsit? Quod ſaluo ſubiecto ſeparari non poteſt, nullo modo in alio ſubiecto ineſſe poſſit. Primùm enim ab eo ſeiungi oportet, in quo ineſt, deinde eſſe in alio. vt formę autem, quæ cohærent in materia, à ſubiectis ſuis ita ſeparentur, vt ſaluæ & integræ permaneant, fieri nullo modo poteſt. Quare fieri etiam non poteſt, vt ab vno ſubiecto in aliud commigrent. Nam etſi ignis vicinum ſibi aërem calfaciat, non tamen in ſubiecto igne idem numero eſt calor, qui efficitur in aëre. Nam alióqui proprium ſubiectum erat relicturus, nempe ignem. Atque hoc modo calidus non ampliùs fuiſſet ignis, aut certè non perinde calidus: quia calor, aut certè pars eius ipſum deficeret, & in ſubiectum aërem commigraret. Quid fit igitur? qui igni calor ineſt, cùm agendi facultate ſit præditus, & ea concalfacere natus, quæ ſibi ſunt vicina, alium in proximo aëre gignit calorem. Et quemadmodum in præceptore & diſcipulo idem ineſt ſpecie theôrema, non tamen idem ineſt numero: atque id quod in præceptore ineſt, eius eſt efficiens cauſa, quod ineſt in diſcipulo. Hoc autem illius eſt effectus. Ad eundem modum, qui igni calor ineſt, cùm ab eo numero ſit differens, qui in aëre ineſt, eius efficiens eſt cauſa. Non igitur fieri poteſt, vt de re vna ſubiecta in aliam commigrent formæ, quæ materiæ inhærent: cùm neq; ipſæ per ſe conſiſtant, neque ſint ſempiternę: ſed natæ ſint & caducæ. At verò neque in ſimpliciora alia diſſolui poſſunt. Nam quæ in ſimpliciora diſſoluuntur, ea compoſita eſſe oportet. Quare è nonnullis ſimplicioribus ſentiendi facultas componetur: è nonnullis itidem vis nutriendi, candor item & dulcedo, & quæ ſunt huiuſmodi. Et alióqui in hiſce in eodem iterum luto hæſitabimus. Aut enim illa etiam in ſimpliciora iterum diſſoluentur, & diſſoluēdi progreſſus finem nullum habebit: aut ſi illa, cùm formarū materiæ inhęrentiū ſint elementa, ipſis neceſſariò ſunt deteriora, & ideo ipſa quoq; caduca, cùm intereunt, non in ſimpliciora diſſoluuntur, cur non in ipſis formis naturam ſimplicem cōfitemur? Cæterùm, quænam candoris elementa quiſquā cōfingere poſsit, ex quibus cōſtet & coagmētetur? quænam dulcedinis aut mollitiei, aut cuiuſquā ſimilis qualitatis? Iam verò omnia videmus, quę in ſimpliciora diſſoluuntur, partitionis & ſectionis eſſe capacia, & eſſe magnitudines. At animę facultates partium ſunt expertes, vt in Commenta. de anima, demonſtrauit Ariſtoteles. Neque igitur in ſimpliciora formarum fit diſſolutio. Vtrum igitur,

cùm intereunt subiecta, in propriam integritatem redeunt materiæ inhęrentes formæ? Atqui hoc fieri non posse adparet. Primùm enim etiam vetustioribus demonstratum est, animarum non vllam esse integritatem, ex qua desectæ animæ nostrę fiant. Nam hoc modo non partium expertes, sed partitionis capaces ipsas esse contingeret, nempe à sua desectas integritate. Quam verò excandescentiæ quis integritatem confingere posit, ad quam pars animę, quæ excandescendi vim continet, tanquam ad suum totum regrediatur? Quam porrò nutrientis, aut augentis, aut cuiusquam alterius animæ facultatis? Necesse est enim totam illam nutriendi facultatem animæ corpus aliquod nutrire, & augendi vim aliquod augere. Nutriens enim facultas, eius, quod nutritur, est nutriens: & augens itidem eius, quod augetur. Si vlla est igitur tota nutriendi facultas, aut tota augendi, omnino erit aliquid, quod ab ipsa integritate tum nutriẽtis, tum augentis nutriatur, & augeatur. Quare si nullum sit subiectum corpus, quod nutriatur & augeatur, neq; facultates ipsę esse possunt. Hæc enim, vt diximus, eorum sunt, quę inter se mutuò referuntur. Nam ad se mutuò & sunt & dicuntur, quod nutrit & quod nutritur, quod auget & quod augetur. Quòd si vllum sit, quoniam quicquid nutritur & augetur, id caducum est, illud etiam corpus caducum erit. In quid igitur nutriẽtis facultatis integritas rursum dissoluitur, cùm subiectum eius perimitur? Quòd si caducum est totum, & pars proculdubio erit necessariò caduca. Quî autem quisquam vel cogitatione fingere posit, formæ carnis integritatem, aut osis, aut venæ? quam etiam candoris, aut nigroris, aut dulcedinis? quæ item trianguli posit esse integritas, aut cubi, aut omnino figuræ? Nam si qua candoris erit integritas, erit & candidi corporis aliqua integritas. Et in quaque forma eodẽ modo. Doceant igitur, quæ nam candidi aut nigri corporis sit integritas, aut dulcis aut trianguli, aut cuiusquam similis. Nam si adfectæ qualitatibus sunt huiusmodi integritates, siquidem qualitates sunt nigror, candor, & reliqua eiusmodi, sensu etiam omnino percipiuntur. Quî fit igitur, vt nullum eiusmodi corpus sensu vllo percipiatur? Quanquam eorum corporum, quæ à terra sunt ad globum vsq; stelliferum, vt candidi corporis, aut dulcis, aut carnis, aut reliquorum alicuius, per continuitatem integritatẽ sensu percipimus, etiamsi in altero sint hemisphærio. Fabulæ igitur, si quis materiæ inhærentes formas, cùm ipsarum subiecta intereunt, ad suam quandam integritatem redire constituat. Superest ergo, vt inquiramus, num in sese mutuò naturales formæ commutentur: vt, verbi gratia, num triangulum in circulum commutetur, & dulcedo in contrarium, nempe in amarorem, & omnino in aliam aliquam formam, vt in grauitatem. verùm quòd fieri hoc non posit, in confesso est. Nam perempta nutriendi facultate, excandescendi vis (vt exempli gratia dicam) generari non posit: neq; omnino interempto cane, eius anima, equi anima esse posit. Iterum enim accideret, vt de subiecto in aliud subiectum commigrarent: quod fieri non posse probatum est. Nam etsi de se mutuò res gigni dicantur, vt aqua ex aëre, & ex aqua rursum aër, atque omnia ex omnibus: non tamen, quòd formæ in sese mutuò commutentur, vt aquæ forma in aëris formam, & panis in carnis speciem, ideo rerum in sese mutuò commutatio fieri dicitur: sed quòd subiectum

penes substantiæ suæ rationem idem permanens,& incommutabile, singularũ formarum capax sit vicissim.Nam quemadmodum ęreus equus in canẽ ęreum verti potest:non quòd equina forma commutetur in caninam (nam simulatq; vna præsens est,altera omnino perimitur)sed quòd æs idem numero constet & permaneat,& vicissim formam vtranq; excipiat : ad eundem planè modum, & in naturalibus rebus, mutua ex ipsis efficitur procreatio, communi omnium subiecto (quod incommutabile permanere docuimus) aliâs aliam formam vicissim excipiente,& ipsis scilicet formis sibi mutuò cedentibus,& secundæ pręsentia in id,quod nullum est,priore facessente. Atque hoc ipsum euidenter nos Plato docuit in Phædone.Inducit enim Socratem,qui contraria partim ex sese fieri dicat, partim contrarium, nunquam idipsum fieri, quod contrarium est: sed simulatq; contrariorum vnum accesserit,alterum statim interire.Nam si ad calidum corpus accedat refrigeratio,calor repente perimitur.Hæc cùm dixisset Socrates in Phædone,& quidam auditorum,eò Socratem delapsum fuisse arbitraretur, vt pugnantia loqueretur (siquidem idem contraria ex sese mutuò gigni assereret,& rursum contrarium nunquam idipsum fieri quod contrarium) ei,qui hęsitabat ait Socrates,eorum quę dicta essent, rectè quidem ipsum meminisse,non tamen verborum, & disputationis intellexisse discrimen : Cùm enim, inquit, contraria ex sese mutuò gigni dicebamus, de iis, quæ continent contraria,intelligebamus.hoc est,de communi contrariorum subiecto. Corpus enim, quod(verbi gratia)candidum sit,nigrum rursum efficitur.Dicitur ergo candidum corpus in nigrum corpus commutari, hoc est, quòd amborum est particeps, ex vno in alterum commigrare : ipsæ tamen formæ contrariæ candor, & nigror, nunquam, inquit, in sese mutuò procreationem & mutationem excipiunt:nunquam enim candor,nigror efficitur:verùm vbi primùm contrarium aliquod ad subiectum accesserit, protinus alterum, quod in ipso antea inerat, perimitur. Quare, inquit, quæ contraria participant (quæ & ipsa homonymô & societate tantùm nominis contraria dicuntur. Album enim appellatur, tum ipse candor, tum ipsum candore perfusum corpus) ea ex sese mutuò fieri dicimus.Quæ tamen participantur, ipsas dico contrariorum formas, vt nigrorum & candorum non ampliùs ex sese mutuò gigni dicimus : hoc enim fieri non posse probatum est, nisi fortè post sese inuicem. Nam post candorem subiecto succedit nigror,aut contrá.Atq; in omnibus se res habet eodem modo.Hęc igitur Plato. Perspicuum est autem, quòd quæ in contrariis confirmauit, eadem in omnibus materię coniunctis formis euenire omnino est necesse. Vbi primùm enim vinum in sanguinem mutatum fuerit,vini protinus interiit species: itidem si panis in os aut in carnem commutatus fuerit,non ipsa panis forma effecta est caro,sed illa in id quidem euanescit, quod nullum est : verùm in eius subiectum carnis aut ossis successit species, & eadem est in omnibus ratio. Non igitur etsi res ex sese mutuò gigni dicantur,formæ sunt, quæ mutationem in sese mutuò & procreationem subeant : verùm formæ ipsæ quidem sibi cedunt mutuò, atq; in id decedunt, quod nullum est. Commune tamen subiectum vicissim, vniuscuiusq; formæ capax est. Hoc igitur modo procreatio fieri sine interitu, nullo

modo

modo poteſt,quoniam nudum & vacans formarum ſubiectum nõ poteſt, neq; verò formæ duæ in eodem ſubiecto eſſe vllo modo poſſunt:neq; forma vlla idipſum eſſe iterum poteſt,quod forma altera,vt non interierit.Quare ſi cùm intereunt corpora,neq; in materiam formę materiales diſſoluũtur,neq; in vllum aliud ſubiectum tranſeunt,neq; in ſimpliciora diſſolutionem admittunt, neque ad ſuum totum regrediuntur,neq; in aliam ſpeciem commutantur. Neq; verò ipſæ per ſe quaſi ſeparabilem à corporibus ſubſtantiam obtineant, ſolæ permanent,perinde atque ea,quę intelligentiâ concipiuntur(ſeparari enim à corporibus hæc poſſunt,vt quę in ſubiectis ſuam non habent conſiſtentiam)Neq; verò modum alium mutationis vel cogitatione fingere licet, præter hos, quos enumerauimus. Supereſt igitur, vt in id quod modis omnibus nihil eſt, formæ omnes in materia cohærentes,tum cùm intereunt corpora,commutentur.Quare efficitur,vt ex eo, quod modis omnibus nihil eſt, ortum ipſæ acceperint. His rationibus & conſimilibus preſſus à nobis,ſuæ opinioni non illepidè ſuccurrere conatus, rationem huiuſmodi confinxit. Quæ enim (inquit) in materia cohærent,vt verbi gratia,carnis ſpecies,aut candor,aut figura, & vnumquodq; eorũ, quæ ſunt eiuſmodi,quemadmodum cùm gignitur ex eo,quod facultate ſit tale, actu efficitur tale:ſic & cùm interit,iterum ex eo quod actu eſt,in ſuam facultatem redit:vt enim,verbi gratia,quod facultate eſt candidum,commutatum, efficitur actu candidum:ſic & quod actu candidum eſt,cùm peremptum fuerit,facultate candidum iterum efficitur. Quare peremptum candidum non in id, quod modis omnibus nullum eſt,ſed in id redit,quod facultate eſt candidum:& quemadmodum facultate ſtatua,cùm in actu ſtatuam conflata eſt,iterum in facultate ſtatuam regreditur,& in omnibus eadem eſt ratio.Siquidẽ ex quo cuiq; ſuus eſt ortus, in id etiam eſt & interitus. Quare ſi ortus commutatio eſt ex eo, quòd facultate ſit,in id,quod actu eſt,& cõtrà,interitus eſt mutatio ex eo, quod actu eſt,in id,quod eſt potentia:neq; ſanè ex eo,quod non eſt,fit procreatio,neq; in id quod nullum eſt,interitus.Eiuſmodi ſunt igitur,quę ab illo dicta ſunt.Nos autem orationis huius probabilitatem confutantes, axiôma quoddam commune & omnibus confeſſum adſumpſimus: quòd aliud quiddam eſt, facultate eſſe quidpiã, & aliud ipſa illius facultas. Eodem modo aliud eſt actu eſſe quidpiam, & aliud illius actus.Nam quod facultate, verbi gratia,candidum eſt, ſubiectum eſt corpus,quod habile eſt,& aptum ad candoris qualitatem in ſe recipiendam. Candidi autem facultas,ipſa eſt nuda habilitas: qua quia præditum eſt hoc corpus,candore imbui natum eſt,cùm alia ne candoris quidem recipiendi facultate ſint prædita. Eodem modo actu quidem candidum corpus, eſt ipſum iam candore perfuſum corpus,vt verbi gratia,dealbatum filum. Candidi autem actus aut,vt Ariſtoteles loquitur,entelechia,ipſa eſt candidi forma, quæ corpori accedit. Nam quod eiuſmodi actus eſt particeps, actu candidum eſſe dicitur, prolata in auferendi caſu dictione.Hoc in reliquis omnibus eodem modo ſe habet.Quando igitur corpus,quod actu eſt candidum,ipſum quidem certè, quod prius actu candidum corpus erat, facultate candidum corpus factum eſſe verè dicitur:ipſum tamen candidi actum & formã: cuius particeps corpus actu can-

didũ eſſe dicebatur, nõ item verè dicetur,quod perẽptus factus ſit,aut facultate candidũ,aut ipſa candidi coloris facultas.Perempto enim ipſo candido corpore, aut ipſius candidi forma,& actus in ſubiecto remanſit, aut non remanſit. Si igitur in eo quod facultate eſt candidum,candidi remanſit actus aut ſpecies,neceſſe eſt,idem ſimul actu candidum eſſe & facultate.Quod perinde valet,ac ſi dicatur & album eſſe,& non album.Nam quod facultate eſt candidum,nondum eſt candidum. Neque verò id ſolùm eueniet, ſed etiam idem ſimul erit contraria. Quod enim facultate eſt candidum,ac non actu perfuſum, tamen colore nigrũ eſſe oportet,aut certè medii alicuius coloris. Cùm igitur aut contraria ſimul eſſe,aut contradicentia ſimul eſſe vera non poſsint, vt idem ſimul album eſſe, & non album, aut album ſimul & nigrum, fieri certè non poteſt, vt in facultate candido candidi inſit actus & ſpecies. Quòd ſi fieri non poteſt, vt in facultate candido candidi inſit actus,certè perempto candido corpore, qui in ipſo candidi actus erat, niſi ſit ſempiternus, in id,quod modis omnibus nullum eſt, euaneſcit neceſſarió.Quare etiam ſi ſubiectum ex eo,quod facultate eſt,in id mutetur, quod actu eſt,& iterum ex actu in id, quod eſt facultate, certè cùm ipſæ materiales formæ intereunt, in id faceſſunt, quod modis omnibus nihil eſt: & ob id ex eo, quod modis omnibus non eſt, à ſuo efficiente in naturam producuntur. Iam & hoc modo res eſt inquirenda: Si quod eſſet candidum corpus, quod deinde perempto eius cãdore facultate candidum factum fuerit, & poſteà iterum idem actu candidum efficiatur, proculdubio neceſſe eſt,candorem,qui ſecundo acceſſerit,non eundem eſſe numero cum eo, qui in eodem ſubiecto priùs fuerit, & ſi ſpecie ſit idem,vt Socrates cum Platone ſpecie quidem eſt idem,numero tamen non idem. Et quemadmodum motus eiuſdem globi, ab eodem puncto ad idem punctum,vt hodiernus cum craſtino,ſpecie quidem idem eſt, numero tamen non item.Quod enim vnum eſt, idem numero ſeruari oportet, ac non interire,dum idem manet.vt verbi gratia, Socrates idem eſt numero dum manet & ſeruatur ſuperſtes. Si itaque prior quidem candor interierit, in eodem autem ſubiecto iterum alter ſedem occupauerit, perſpicuum eſt, quòd numero differt à priore poſterior.Quoniam igitur hoc in confeſſo eſt,& fieri non poteſt,vt qui priùs in hoc corpore inerat candor, idem ſit numero, cum eo, qui poſteà idem ſubiectum occupauit, fieri certè non poteſt,vt qui priùs interiit candor, iterum idem numero reuocetur,aut renaſcatur,etſi ſpecie ſit idem.Quòd ſi fieri non poteſt,vt ſemel peremptus candor,iterum idem numero reuocetur,neque certè facultate peremptus candor indiuiduus, adhuc eſt idem numero in ſubiecto corpore. Si quidem quod facultate eſt quidpiam,actu etiam eſſe poteſt. Quare ſi peremptus candor idem adhuc numero redire non poteſt, neq; facultate certè erit in ſubiecto corpore.Quòd ſi neque facultate in ſubiecto corpore ineſt,proculdubio dum candor ille perimitur, non in propriam facultatem perimitur. Nam ſi peremptus in propriam facultatem regrederetur, iterum etiam renaſci poſſet.Quapropter cùm neque idem numero iterum renaſci poſsit, ſanè peremptus non in ſuam rediit facultatem: ſed in id, quod modis omnibus nullum eſt, euanuit.Nam quod peremptus in aliud quicquam redire ille non poſsit,iam ſu-

prà

prà comprobauimus. Cùm igitur candor hic peremptus in id euanescat, quod modis omnibus nullum est, in quod autem quidpiam perimitur, ex eodem quoque ipsum natum esse oportet: & contrà, ex quo ortũ est quidpiam, in id etiam interit: ex eo certè natus est, quod modis omnibus nihil est. Eadem valebit ratio in omnibus materiæ inhærentibus formis, quę nascuntur, & óccidunt. Hinc igitur confirmatum est, quòd omnia quæ gignuntur, quatenus gignuntur, ex eo nascuntur, quod modis omnibus nihil est: & quæ perimuntur, quatenus intereunt, in id dissoluuntur, quod omnino nihil est. Et aliôqui formas in materia cohęrentes dicere cùm intereunt, in id dissolui, quod facultate est, nihil est aliud, quàm si dicatur: ipsas cùm intereunt, dissolui in materiam, & in eam commigrare. Nam quod facultate est, ipsa est materia. Quòd si quando intereunt, in eam migrant: & quando gignuntur, ex ipsa suam naturam consequuta sunt, è meliore certè erunt deteriora. quod fieri non potest. Nam quod ipsa non habet, fieri nullo modo potest, vt id ipsa procreet, vt priùs explicatum est. Sed quid opus est verbis, cùm etiam apud Græcos id confessum esse probemus? Nam Proclus in quinto libro Commentariorum in Timæum, cùm Platonis doctrinam de materiæ inhærentibus formis explanat, ait, Platonem dicere tum qualitates, tum materiæ cohærentes formas omnes, & ex eo quod non est consistere, & iterum cùm dissoluitur compositum, in id quod non est, interire. Eius autem verba, sic habent: Num verò melius est, vt dicamus formas etiam materiæ » inhærentes, ac non solùm qualitates, ea esse, quæ ingredi & egredi dicta sunt. » Hæ sunt enim rerum, quæ intelligentiâ comprehenduntur, similitudines, non » qualitates. operæpretium est igitur videre, quónam huiusmodi facessant spe- » cies: nam absurdum est, si in id naturã migrare dicamus. Excipiet enim natura » quiddam simile eorum, quę sequuntur se, & à se ipsa sunt. Ac si quis in id etiam, » quod intelligentiâ comprehenditur, diceret à procreatione quiduis facessere. » Quòd si in aliam materiam regredi dicamus, contra ea dixerimus, quę sunt eui- » dentia. Nam cùm extinguitur ignis, & in aërem materia conuertitur, non vide- » mus aliam iterum accendi. Quòd si sunt in seipsis, ea erunt, quæ intelligentiâ » comprehenduntur, per se constant, & partibus carent. Vnde igitur tumor & » moles? Vnde interuallum? Vnde pugna de communi subiecto? Nam quæ con- » stant in seipsis, ea de communi sede non pugnant: neq; enim vllo indigent sub- » iecto. Quare si neq; in natura, neq; in seipsis, neque in materia formæ eiusmodi » post interitum esse possunt, in id migrent, quod nullum est, prorsus est necesse. » Non enim totum hoc permanet materiâ semper manente, sed forma sola, sine » procreatione prodiens in naturam, & óccidens sine interitu. Ostensum est igi- » tur, tum à ratione sumpta demonstratione, tum Procli ipsius verbis, quæ & ipsa tum ex Platonis opinione, tum ex ipsa euidentia habent probabilitatem, tum qualitates, tum materiæ inhærentes formas, & ex eo, quod non est, in naturam extitisse, & rursus pereuntes, in id, quod nullum est, commigrare. Falsum est igitur, ex eo, quod modis omnibus nihil sit, nihil procreari, neque in id interire, quod penitus sit nihil.

VERVM neq; gignuntur formæ, inquit, neque intereunt, sed sine procrea- XII.

tione veniunt in naturam, & euanescunt sine peremptione, vt in iis verbis, quæ modò produximus ex Proclo, audiuimus. Atque hoc confirmare ad hunc modum possis: Omnis procreatio in tempore omnino, & in motu cernitur, vt in hominis ortu adparet. Tanto enim (vt verbi gratia dicam) opus est tempore, vt animal efficiatur. Formæ autem sine temporis impendio in subiecta ingrediuntur, & rursus sine tempore à subiectis suis secedunt. Quemadmodum, vt rem imagine repræsentem, domus species non priùs constat, quàm postrema, vt ita dicam, tecto imposita sit tegula. Nam si hæc desit, non potest ædificium definitionem domus retinere. Cùm enim domus tegumentum, sit ex lapidibus constans, & lignis, quod imbres arceat, & æstus, tegula vna si desit, imbres non arcet. Quare deficiente tegula vna, nondum propositæ domus forma accessit, imposita autem extrema tegula sine tempore ad subiectum accedit prædicta forma. Idem & in naturalibus formis vsuuenire videmus. Nam si ante præscriptum à natura tempus diem vnum & eum solum, vel adeò horam vnam ante absolutã animalis conformationem ex vtero exciderit fœtus, nimirum ab opifice natura nondum absolutus, interit necessariò, quòd plena & absoluta animalis species in subiecto expressa non sit. Quare efficitur, vt nullo temporis dispendio species in subiectis compareant. Quòd si hoc verum est, id sine procreatione fieri oportet. Omnis enim procreatio in tempore perficitur. Eodem modo in id, quod nõ est dissolutio, nullo indiget tempore. Nam cùm ad extremam inconcinnitatem peruenerit temperatum corpus, nullo tempore tunc extinguitur, & à subiecto species eius recedit. vt in lucernæ flamma, quæ paulatim quidem absumitur, & tabescit, dum adhuc manet flamma, sine tempore tamen ad extremum extinguitur. Quòd si sine temporis dispendio extinguitur, id sine peremptione & interitu fieri necesse est. Omnis enim interitus in tempore est: quia in tempore omnis est mutatio. Quare sine procreatione in naturam rerum formæ prodeũt, & sine interitu euanescunt. Quod igitur gignitur, inquiunt, subiectum est & materia. Efficitur autem subiectum tractabile, & ad recipiendam formam idoneũ, vbi igitur tempore idoneum effectum hoc fuerit, tunc sine tempore accedit ipsi species. Quòd si tractabile & idoneum subiectum efficitur, subiectum autem non ex eo, quod nihil sit, gignitur, sed ex eo, quod sit, nihil certè ex eo nascitur, quod nihil est.

XIII. TOT sunt igitur, quæ quispiam, si rationum causas ab ipsis accipiat, in patrocinium dicere possit, vt doceat sine ortu & interitu, aut esse, aut non esse formas materiæ inhærentes. Verùm primùm, etsi hanc vt veram orationem receperimus, nihilo magis ex his docere quisquam possit, quòd aut natus Mundus non est, aut si natus est, ex eo procreatus est, quod esset. Nam ab homonymia & ambiguitate verbi nascendi ansam accepit falsa ratiocinatio. Ortum enim seu procreationem nos in Mundo solam & nudam nominamus, ex eo, quod non est in naturam, & id, quod est, productionem (quemadmodum & Plato, vbi dicit: "vtrum, semper erat nullo generatus ortus principio: An verò ortus est, vt ab aliquo temporis principatu esse cœperit) non autem in temporis productione, quasi conformationem & substantiæ confectionem. Nam in hac procreationis signi-

significatione Mundum generatum non esse confitemur. Temporis enim expers est Dei effectio, & ad rei cuiusque procreationem modò voluisse satis est. Ne igitur à verbi homonymia facessant nobis negotia: sed si & ipsi nonnulla esse concedunt, quæ cùm ipsa sempiterna non sint, repentè temporis puncto in naturam rerum producentur, cuiusmodi sunt formę omnes, atq; non ex iis, quę sunt, harum natura gignitur, quid vetat Vniuersum quoq; ad eundem modum in naturam & essentiam productum fuisse, cùm nullum quidem fuisset antequam fuisset generatum: nulla tamen ex re subiecta deductum in naturam? Non igitur si ad hunc modum ortus Mundus esse dicatur, ex eo, quod iam esset, ipsum generatum fuisse est necesse, sed contrà potiùs, ex eo, quod nullum esset. Siquidem quæcunque repentè & nullo temporis dispendio in natura comparent, omnia ex eo, quod non est, in essentiam prouehuntur: iam Deum nullo tempore res in naturam procreare cùm ipse opifex sit temporis, omnino est necesse. Quod igitur, quæ materiæ inhærent formæ omnes, ex iis, quæ non sunt, in naturam proferantur prætèr rationis demonstrationem, & ipsi nobiscum consentientes planè confitentur. Cœli autem atq; adeò totius Mundi formam in materia cohærere, cùm corpus sit ipse Mundus, in confesso est. Si igitur gignatur, hoc est, si cùm priùs non esset, in naturam ex eo, quod non sit, producatur, ipsum tum generatum fuisse, tum ex eo, quod nullum esset, est necesse. Quòd autem etiam materia, si gignatur, ex eo omnino gignitur, quod modis omnibus nihil sit, & si intereat, in id etiam dissoluitur, quod omnino non sit, in vndecima ratione, in qua de materia sermonem Philosophus nobis proposuit, demonstratione confirmabitur. Illinc igitur, qui volet, argumenta desumat, ne eadem sæpius scribamus. Si igitur forma in naturam ex iis, quæ non sunt, producitur, vt ipsi quoq; sentiunt, & iterum materia, vt ipsa confirmat ratio, præter hæc autem nihil est compositum, & compositum sanè, quod sempiternum non sit, si per se totum gignatur ex iis, quę non sunt, in naturam producetur. Nihil igitur, quod oriatur, quatenus oritur, ex aliquo gignitur quod sit. Et ob hanc causam, nihil quod intereat, quatenus interit, in quicquam dissoluitur, quod sit, sed in id omnino, quod nihil sit: res enim singulę, quæ gignuntur & intereunt, non penes vtranque sui partem, sed penes formam tantùm gignuntur, & intereunt, vnde tum nascuntur ex materia, tum in materiam iterum dissoluuntur.

AN verò non rectè concessimus sine procreatione formas in natura nullo XIIII. tempore comparère in singularum rerum procreatione, sed habilem tantùm fieri materiam, & ad formas excipiendas idoneam? Nam formæ quidem perfectionem sine tempore in naturam prodire nos quoq; concedimus, ipsius tamen procreationem maximè esse dicimus. Nam cùm in vtero fœtus animatus efficitur, & conformatur, non sanè materiæ, sed formæ est procreatio. Nam quòd qui in vtero adhuc continetur fœtus, & viuat, & semper ad perfectam & absolutam vitæ speciem contendat, cuiuis est perspicuum. Quòd autem animantis vita materia non sit, sed forma, materia autem subiectum sit, & ipsum, quod animatur corpus, quod quantum ad ipsam naturæ corporis rationem attinet, inanimum est, & vitæ expers, id quoque est perspicuum. Cùm igitur priusquam ab-

ſolutus edatur fœtus,vitæ ſit particeps,etſi nondum ſit perfectus, & vita ſit ſpecies animantis,ac non materia,quæ & ipſa temporis progreſſu & paulatim procreatione contendit ad perfectionem,quam in vtero conſequitur,non certè nullo tempore & ſine procreatione forma in natura comparet. Et aliôqui in vndecimo Argumento huius operis Proclus ipſe ait,quòd quæ materia nondum eſſe poſsit,eam aptam ad opus & idoneam materiam efficiunt opifices.Et quantum in efficienda materia progrediuntur, tantum acceſsionis fit in forma. Lapides enim,inquit,non priùs formę domus materiam prębent,quàm cęſi,quadrati,& apti fuerint, ſed tum demum cùm hanc præparationem acceperint. Cùm igitur,inquit,verè materiæ rationem ſubierint, tum iam ſine tempore forma preſtò adeſt.Quòd ſi hæc verè dicuntur à Proclo,& materiam idoneam reddunt opifices,quantum autem in efficienda materia progrediuntur,tantum formę accedit,non ſine tempore autem in efficienda materia progrediuntur, non certè ſine tempore forma accedit materiæ.Quare ſi id, quod non ſine tempore in natura comparet,per procreationem in naturam producitur, ſanè vt progrediuntur in efficienda materia opifices,ſic & in efficienda forma promouent.In iis etiam,quæ à natura efficiuntur,eadem ratio valebit. Eſt enim ars,naturæ imitatio.Quòd ſi domus ſpecies non gignitur, neque eam facit ædificator,ſanè ædificator non erit ędificator,neque nauium ſtructor,nauium erit opifex,neque domus fieri dici poſsit,non nauis,non veſtis,non aliud quicquam : neque enim nauis materia,nauis eſt,neque indumenti indumentum, neq; ædium ædes:vt cùm horum materia facta eſt idonea,hæc fieri dicantur. Si igitur materiam tantùm idoneam faciunt opifices,nauis autem forma nullo impenſo tempore,ſine procreatione comparet,neque domus certè accedit,neque nauis, neque aliud quicquam. Materiæ igitur effectores non formæ adpellandi ſunt artifices,& procreatio materiæ effectio non formæ eſt dicenda. Atque hominum in vocabulis vſus tollendus,non communis tantùm,ſed omnium etiam doctorum.Vos enim " (ad cœleſtes animantes, ait apud Platonem effector Mundi Deus) ad mor" talium animantium procreationem conuertimini. Et homo hominẽ procreat, inquit huius diſcipulus. Non igitur hominem generatum eſſe,aut gigni dicere oportet,non equum,non vineam,non ficum,non aliud quicquam. Vnaquæque enim earum rerum,quę ſunt,non penes materiam,quę communis eſt omnium, ſed penes formam & eſt & nuncupatur. Quare ſi non gignuntur formæ, non hominis dicenda eſt eſſe procreatio,non ficus,non alius cuiuſquam.Neq; enim materiam hęc nomina deſignant,quæ communis eſt omnium,ſed formam,per quam res vnaquæque à cæteris diſcernitur, & ab iiſdem eſt differens. Verùm potiùs riſu, quàm reprehenſione digna hæc eſſe duxerim. Nam in rerum procreatione ſenſim ſpecies elucere cernitur,& tempore progredi ad abſolutionẽ, vt tum in iis,quæ arte,tum iis,quę naturâ efficiuntur,cernere licet:vt nos in fœtibus, qui ad animantis ſpeciem deducuntur, & ſemper ad abſolutam vitæ formam progrediuntur,oſtendimus.

XV. QVÒD ſi quia formæ abſolutio ſine tempore comparet, ob id neq; naſci formas dicent,neque in tempore ingredi in ſubiecta,materiæ quoque procrea-

tionem,& omnem ortum tollant.Nam ſi lapides & ligna,non domus ſunt materia,vt in iis ait Proclus,quæ nos iam expoſuimus, priuſquam perpolita & adaptata fuerint: ſed tum verè ſunt materia, cùm hoc adepta fuerint, tum verò & ſpecies repentè & ſine vllo tempore iam comparet, non ſanè priuſquam forma acceſſerit,propriè idonea & parata ad opus materia domus lapides ſunt,& ligna. Quare vt propriè & verè ſint materia, repentè & ſine tempore ipſis accedit, nempe tum cùm ſpecies.in iis ſunt enim, quæ inter ſe comparantur materia & forma: atque vnum ſine altero eſſe nòn poteſt. Atque vt vnum ſe habet, ſic & alterum ſe habere eſt neceſſe.Eiuſmodi ſunt enim omnia, quæ inter ſe comparantur. Quare ſi ſpeciei perfectio nullo impenſo tempore accedit, & materiæ ſanè abſolutio,quatenus eſt materia,quando verè eſt ſine tempore,comparet in natura.Quare ſi quę ſine tempore ſuam abſolutionem accipiunt,ea non gignũtur, & parata ad opus iam ac verè materia ſine tempore ſuam, quatenus materia eſt,abſolutionem & vim adipiſcitur,nempe tum, cùm ſpecies in ipſam ingreditur,neq; ſanè materia gignitur. Quòd ſi neq; materia gignitur, neque ſpecies, quid reliquum ſit,quod gignatur,non video.Nihil eſt enim inter hæc interiectũ medium.Ex materia enim tantùm & forma coagmentantur compoſita,neque vllo indigent medio,quod ipſa connectat & componat,quod ipſe quoque ſentit Ariſtoteles.Cùm igitur cędit lapides & perpolit lapicîda,ſi neq; domus ſpeciem facit, propter ipſorum hypotheſin,neq; materiam, propter id,quod ex ipſorum hypotheſi neceſſariò conſequitur, quid reliquum eſt, quod faciat? aut quid eſt, quod gignatur?An nihil quicquam architectum facere dicent,cùm lapides cædit,aut adaptat?Si igitur tum quicquam facit,aut materiam domus ipſum facere, aut formam omnino eſt neceſſe: ſi autem materiam faciat, quoniam vt fit materia,ſic ipſi accedit & forma,& forma certè in tempore accedit. Quòd ſi in tempore,neceſſariò efficitur, vt etiam per procreationem accedat, vt iam diximus.Tempore enim ad ſui conſiſtentiam non indigeret, niſi procreatione quoque indigeret.Quòd ſi hæc ſeparare decet,materiæ procreationem dico,& formæ, quando cædit & perpolit lapides, & ligna, tum materiam facit, vt quam aptam facit ad opus: quando autem iam ipſa componit, & aptat inter ſe domus ſpeciem, tum propriè in naturam producit. Et vt omnino dicam, ſi quod ſine tempore ſuam recipit perfectionem,non gignitur, de medio omnis procreatio tolletur.Nam ſi quod gignitur,in tempore gignitur,neq; priùs abſolutam naturam conſequitur, quàm procreationi deſtinatum completum fuerit tempus, temporis autem expers eſt concluſio & extremitas, nempe temporis punctum, vt nunc,in quo quod gignitur,ſuam,quatenus gignitur,abſolutionem conſequitur: quicquid autem ſine tempore ſuam conſequitur abſolutionem, id, vt volunt,non gignitur,efficitur,vt nihil gignatur eorum, quæ gignuntur. Quare de medio rerum procreatio tolletur.

CV'M ſint igitur hæc abſurda,minimè certè verum eſt id,quod ſine tempore ſuam perfectionem conſequitur,non gigni,aut procreari.Neq; igitur quia ſine tempore formarum perfectio ſubiectis accedit,formas non gigni dicemus. Quòd autem non ſolùm proxima & continens materia, ſed etiam formæ, tum XVI.

ab artificibus, tum à natura efficiuntur, hinc etiam erit perſpicuum. Fieri poteſt, vt idem lapis in vnam & eandem figuram ductus & expolitus, vt verbi gratiâ, in quadrum redactus, & vt futurus ædium materia, quadretur, & vt ipſe ſolus ad ſedem ſit futurus idoneus. Si quis igitur non vt materiam domus, lapidem in quadrum redigat, ſed vt tantùm ſubſellium aut ſedes fiat, cuiuis perſpicuum eſt, quòd in hoc forma erit ipſa quadrata, aut cubica figura, vt hominis figura in ſtatua: materia autem ipſa eſt lapidis natura. Qui igitur lapidem expolit artifex, & in teſſeræ, aut cubi figuram effingit, non materiam, ſed formam efficit. Palàm eſt igitur, quòd etſi vt domus materia interdum efficiatur: tamen vt proxima forma non vt materia efficitur, & effingitur illa eadem figura: in lapidem enim, qui materiæ vicem tenet, artifex formam aliquam, nempe figuram eiuſmodi inducit. Vbi autem perfecta fuerit, accidit, vt quod ex ambobus eſt, interdum materia domus fiat. Quis autem ridiculũ eſſe non videt, vt ſtatuarius, qui ceram, aut quamuis aliam materiam effingat & efformet, non formam & ſpeciem, ſed ſtatuæ materiam dicatur efficere? Nam ſi cùm figuram, quæ hominem referat, effingit, materiam facit, quid, quæſo, ſtatus forma eſſe poſsit? Nihil enim eſt aliud ſtatua, quàm materia talis in hominis, exempli gratiâ, figuram efformata. Eadem ratio in naturalium omnium procreatione valebit. Natura enim, vbi ſemen excepit, primùm ſanguine irrigat, deinde compingit & concreſcere facit: tum diſtinguit ad carnium, oſsium, & reliquarum partium, quæ ſimilis & naturæ & generis eſſe dicuntur, procreationem: tum effingit & format: tum vitam impartitur: poſtremò, ſenſus reddit particeps. Hoc autem, quid eſt aliud, quàm paulatim formæ animalis præſentiam comparêre? Non enim, quia animal, & quia ſenſus, materia eſt animalis, vt ipſe priùs etiam dixi, quæ, dum adhuc in vtero formatur animal, paulatim accedunt. Nam etſi accedit, vt quod vnius facultatis eſt opus & effectus, id alteri cuipiam facultati, vt materia ſubiiciatur, vnaquæque tamen facultas, non vt materiam, ſed vt finem, & opus ſuum effingit, & format: vnicuique enim facultati ſcopus is eſt, vt cùm idoneam & accommodatam ſibi materiam nacta fuerit, eam exornet, expoliat, & ſpeciem eidem conuenientem imponat. Nam in ventriculo in chylum ſeu ſuccum iam conuerſum alimentum accipiens, ea, quæ in iecore reſidet facultas, ipſum immutat, & in ſanguinis naturam ac ſubſtantiam conuertit. Atque hoc ipſius eſt munus & finis, ſanguinis ſpeciem & formam efficere: neq; vllum eſt aliud eius officium. Quare ſi ad ſolam ſanguinis formam & ideam ſpectat, quæ in iocinore ſita eſt naturæ facultas, & eam efficit, formæ certè effector eſt & efformator iecur, ac non materiæ. Verùm iterum iecoris opus, hoc eſt, ſanguinem vt materiam accommodatam accipiens ea, quæ in vnaquaque reliquarum partium reſidet facultas, in ſubiecti naturam traducit, vt carnis, aut oſsis, aut aliarum alicuius. Hæ igitur ſanguine, vt materia vtuntur. Iocinoris autem facultas, vt ſpeciem & finem opus hoc, materiam effecit, quæ & ipſa ad ſanguinis ſpeciem alimentum in ventriculo in chylum ſeu ſuccum conuerſum attraxit. Quandoquidem ars quoq; piſtoria vt ſpeciem quandam & opus proprium formam panis efficit. Accidit autem, vt huius opus, facultati concoquendi, quæ ſita eſt in ventriculo,

ſubiiciatur vt materia. Et qui pharmacorum & medicamentorum naturam moliuntur, dum vt materiam idoneam ſibi naturæ accipiunt opera, vt lapides, vt herbas, vt reliqua (quæ natura non in hoc effecerat vt illis materiæ loco ſubiicerentur, ſed ad propriam ſpeciem & opus ſuum tantùm reſpiciens) medicamentorum ſpeciem in ipſis efficiunt, & hunc ſibi propoſitum finem habent: iam verò illa iterum medico vt materia ſubiiciuntur. Sed quid attinet hîc longiùs exemplis orationem producere? Nam, vt omnino dicam, omnis ars & omnis naturalis facultas, quæ quidpiam efficit, non vt materiam id efficit, ſed omnino vt formam efficiat, operatur. Siquidem accepta materia quapiam, tum ars, tum natura, forma aliqua & ſpecie ipſam exornat. Nulla autem materia, quia eſt materia, in vlla alia ſubiecta materia conſiſtit: ipſa enim eſt, quæ vnicuique rei primùm ſubiicitur. Nam quæ continens nominatur materia, vt elementa, & quæ in noſtro corpore his proportione reſpondent, ſucci, & humores, non propriè materia, ſed ad aliquid relata ſunt materia. Nam ſi cum corporibus compoſitis, quæ ex ipſis ſunt futura comparentur, ſunt materia: Sin ipſa per ſe cernantur, compoſita ſunt ex materia & forma, cùm ipſis id ſubiiciatur, vt materia, quod triplici dimenſione conſtat, forma autem ſit, igneum, verbi gratiâ, aut aërium. Et in omnibus eodem modo. Demonſtratum eſt igitur, quòd omnis efficiendi facultas formæ eſt efficiens: etſi accidat, vt vnius opus, alterius materia fiat: niſi quis fortè in toto animali communem ſpectet naturam, quæ cuiuſque facultatis opera ad vnum ſcopum, nempe ad animantis ſalutem omnia refert. Verùm quæ in quaque particula ſita eſt natura efficiens, ea non materiam, ſed ſpeciem vt proprium opus efficit. Quare cùm ars omnis & natura ſpeciem aliquam, ac non materiam efficiat, ſpecies autem omnes, vt & ipſi confitentur, ex eo quod non eſt, in naturam progrediantur, & diſſoluta compoſitione rurſus in id, quod non eſt, intereant, earum certè rerum, quæ gignuntur, nulla ex eo gignitur, quod eſt, neque in id rurſus perimitur, quod eſt: verùm ex eo quod non eſt, omnino fit procreatio, & in id quod non eſt, cùm rerum fit interitus, omnino diſſoluuntur.

HISCE rationibus nonnulli, cùm premuntur, neque materiæ neque formæ procreationem eſſe aiunt, ſed eius, quod ex ambobus eſt compoſitum, atque huius etiam eſſe interitum. compoſitum enim ex incompoſito fieri dicũt. Nam ſi quod gignitur, homo eſt, aut bos, aut olea, aut quicquam ſimile, horum autem vnumquodque è non compoſito effectum eſt compoſitum, perſpicuum eſt certè, quòd compoſiti eſt procreatio. Nam & ſtirpes & animalia ſunt in compoſitis, & earum rerum quæ fiunt vnaquaque. Quæ autem ſunt compoſita, ex ſubiecta gignuntur materia & in eadem poſtremò diſſoluuntur. Quare & ortus ex eo eſt, quod eſt & interitus iterum in id fit quod eſt. Quoniam autem ſi quis in his maximè manet, probatum eſt quòd non per ſe totum compoſitum ex eo quod nullum eſt, in id quod eſt, commutatur, quod eſt procreatio, neque iterum per totum fit, ex eo quod eſt in id diſſoluitur quod non eſt quod eſt interitus, & compoſiti procreatio eſſe non poſsit. Nam etſi totum gigni dicatur, à parte tamen in toto enuntiatur procreatio. Vt hominem à parte, nempe corpore, incedere & ambulare dicimus. Quòd ſi quis compoſiti procreationem eſſe etiam con- XVII.

cedat, quia omnino compositio quædam efficitur, primùm quidem non ex eo solo quod est, nempe materia, sed ex eo etiam quod non est, nempe forma, gignitur compositum. Siquidem ex materia & forma coagmentantur composita. Quare iterum etiam tum in id quod est, tum in id quod non est, intereunt. Quî fit igitur, vt dimidium resecantes, compositum ex eo fieri dicant quod est: neq; quicquam fieri ex eo quod non sit? Nam si vt quod gignitur compositum accipimus, ex materia & forma gigni adparet. Quorum alterum erat ante compositionem, nempe materia: alterum autem, hoc est, forma, nondum erat. Vnde efficitur, vt procreatio sit, & ex eo quod est, & ex eo quod non est: & interitus in id fiat quod est, & in id quod non est. Deinde, si quod gignitur, neque materia est (quia per ipsos materia neque nascitur, neque interit vnquam) neque forma, siquidem sine procreatione, & interitu, vt aiunt, aut esse hæc, aut non esse solet, concretio certè tantùm est simplicium procreatio, & interitus contrà, secretio & separatio. Atqui substantiç nulla est concretio, quemadmodum in aceruo seminum, aut lapidum, aut nonnullorum illius generis, nõ substantiæ cuiusquam natura est aceruus, sed compositio tantùm, verbi gratiâ, frumenti granorum. Atque ita euenit, vt vera sit Empedoclis oratio, cùm nullius naturam esse dicit, sed permistionem tantùm, & permistorum segregationem. Verùm abunde in libris De procreatione & interitu, hanc opinionem Aristoteles confutauit. Cùm igitur non compositio tantùm sit procreatio, non sanè quod gignitur, in eo tantùm gignitur, quod compositum est. Quòd si non compositionis tantùm est procreatio, sed est quçdam in compositi procreatione etiam substantiç procreatio, in omni autem composito prçter materiam & formam nihil aliud cernitur, omnino est necesse, vt aut eius substantiæ, quæ in forma spectatur, aut eius, quæ est in materia, aut eius, quæ in ambobus simul visitur, fiat procreatio. At verò materia neque oritur neque perimitur. non igitur materiæ ortus esse dicetur. Neque igitur compositi ex ambobus. Nam hoc modo rursum gigneretur materia. Siquidem quod ex ambobus constat, hoc est compositum, per se ipsum totum gigneretur, hoc est, per materiam & per formam. Superest igitur, vt vnius formç sit procreatio. Quare fit quidem concretio quçdam simplicium & compositio: multò autem priùs & substantiæ, quç in forma spectatur, fit procreatio. Nam quòd hçc in materia gignatur, quia per se ipsa consistere non potest, accidit vt gignatur etiam compositum, perinde atq; si in statuæ procreationis compositi ortum quis esse dicat, hoc est, conflari ex aëre & tali forma seu figura. Verùm perspicuum, quòd primaria ratione formæ, in aëre comparentis est procreatio. Sed quia forma ipsa per se sine materia stare non potest, ideo accidit, vt compositum producatur. Quare propriè formarum quidem est procreatio, tum in iis, quæ naturâ, tum in iis, quç arte efficiuntur. Ex quadam autem consecutione efficitur, vt quia à materia formæ huiusmodi nõ sunt separabiles, simul eadem ratione compositum efficiatur. Non igitur primùm compositi est procreatio. His igitur ita constitutis & necessaria ratione confirmatis, tum quòd, quæ propriæ gignuntur, formæ sunt materiæ inhærentes, tum quòd hæ, quod & ipsi confitentur ex eo, quod non sit, in naturam prodeunt, & in id, quod nullũ est

est,rursus,cùm intereunt,dissoluuntur,nobis sanè licet confidenter ipsis contradicere,quòd earum rerum,quæ gignuntur,nulla, quatenus propriè gignitur,ex eo nascitur,quod sit: neque earum, quæ intereunt, vlla, quatenus interit, in id, quod sit,dissoluitur.verùm tum ex eo,quod modis omnibus nihil est,est procreatio:tum interitus in id,quod omnino est nullum,est dissolutio. Nam cuius propriè est procreatio, eiusdem est & interitus necessariò. Igitur si formæ est procreatio,eiusdem omnino interitus esse debet. Cùm igitur confectum sit falsum esse omnium sermone tritum,illud apud Græcos pronuntiatum:quicquid nascitur,ex aliquo nasci,quod sit:& verum magis sit illud,quod nihil eorum quæ gignuntur, quia gignitur, ex eo, quod sit, oriatur, non profectò est necesse, vt si Mundus est generatus, ex eo natus sit, quod iam esset, vt quæ hinc sunt consequentia,vt absurda effugientes,ipsum ortu carere pronũtiare necesse habeamus.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum decimum.

Vnumquodque elementorum,quibus constat Mundus, cùm in suo est loco, aut manet,aut mouetur in orbem: cùm autem in suo non fuerit, ad eum redire nititur.Quòd si Vniuersi elementa,aut manent,aut versantur in orbem,seu maneant autem in naturali loco,id habent, quod ipsis est secundùm naturam : seu circulo moueantur,neque initium neque finem habent mouendi: perspicuum, quòd Vniuersum est incommutabile, cùm illo modo sedes sibi naturales obtineant : hoc autem sine principio & fine moueantur. Nam quæ hîc sunt, tum mutantur,cùm in loco alieno sunt,ea,ex quibus constant, & suum recipere festinant.Si igitur Vniuersi elementa in suis sunt locis,neq; vllum in alienum locum totum contendit,neq; cùm proprium locum deseruerit, illud vi impellit, quod in suo est,necesse est Vniuersum expers esse mutationis, cùm omnia, eáq; tota, id semper obtineant,quod ipsis est secundùm naturam, tum quæ in eodem manent, tum quæ mouentur. Quòd si priusquam exornatum fuisset Vniuersum, & Mundi formam accepisset, singula in suis locis erant, ea certè aut manebant, aut in orbem mouebantur : & hoc modo Vniuersum exornatum & ad Mundi formam excultum erat,priusquam ornatum esset,neque ab vllo temporis principio exornari, & ad Mundi formam deduci cœpit, cùm omnia prius eodem modo,vt nunc,se habuerint.Quòd si in alienis erant locis (nam in locis omnino erant, cùm essent corpora) transpositione aliunde indigebant. Quare duo sunt principia.Vnum eius,quod est cõtra naturam:alterum eius,quod est secundùm naturam. Atque id, quod est secundùm naturam, prius est eo, quod est contra naturam:nempe cùm sit præter naturam, quasi dimotio à natura, quæ si nullo modo adhuc esset, neque ipsum contra naturam esse posit : neque enim extra artem quicquã est,si sit ars nulla.Nam quod extra quidpiam est, id extra ipsum demum esse debet, si illud sit extra quod esse dicitur.Quare si horum etiam loca erant secundùm naturam,cùm in illis nõ essent posita, incertum, an infinito etiam tempore, cùm quæ secundùm naturam erant, ipsis essent antiquiora. Quòd si nulla erant propria horum loca, neq; sanè aliena ea fuerunt, in quibus

erant. Alienum enim ad proprium refertur. Quòd si tum quoque illa in alienis locis non erant, in quibus iacebant, quemadmodum nec hodie in alienis sunt, secundùm naturam certè tunc quoque se habebant, perinde atque nunc. Quare semper quidem erit Mundus: aliâs autem cùm sint alia secundùm naturam iis, quæ in ipso manent, & contra naturam, quatenus certè Mundus est, est sempiternus. Quod autem tale est, id solum est in ipso. Quare si non semper est transformatum, certè erit Vniuersum, semper tamen Vniuersum. Et quemadmodũ illud contra naturam se habet ad id, quod nunc est, sic quod nunc est contra naturam, se habet ad illud: & in illo omnia, & in hoc, in propriis sunt locis: aliâs autem in aliis. Et Empedocles sapienter, qui vicissim Mundos efficit. Verùm ille sæpius, nos autem bis.

Capita solutionis decimi Argumenti.

I. *Quòd eo duabus propositionibus falsis decimum Argumentum composuit Proclus, duos syllogismos ex his duabus propositionibus contexens.*

II. *Quòd falsum est, quæ in naturali loco sint elementa, ea expertia esse commutationis. Vbi docetur, quòd qui naturalis est toti locus, idem est & partibus naturalis.*

III. *Quòd quæ in naturali loco suo manent elementa, omni mutationis genere cõmutantur.*

IIII. *Quòd non ideo necessariò conficitur, Mundum prorsus esse immutabilem, & sempiternum, quòd neque elementum vllum, neque totum Mundum penes se totum mutari cernamus: Sed contrà, partium interitus vicissim & procreatio, totum quoque Mundum eiusdem naturæ esse ostendunt.*

V. *Quòd nec in eo argumentum est, cur Mundus expers sit interitus, quòd nullo mutationis genere mutetur cælum, præterquam motu in loco.*

VI. *Quòd frigidè dicitur ea, quæ mouentur in orbem, ob id ipsum, quòd circulo moueantur, neque motus principium habuisse neque finem habitura.*

VII. *Quòd quæ deinceps in argumento sequuntur, nihil habent, quod in re ipsa inhæreat, sed Platonicam potiùs hypothesin reprehendunt.*

VIII. *Quòd etiam in his, quanuis necessaria non sint, falsa conclusione vtitur Proclus.*

DECIMI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

I. DVAS falsas propositiones in hoc Philosophus adsumpsit: ex quibus, dum quod iterum falsum est conceditur, propositum sibi cõficit. harũ vna est huiusmodi: Quę in naturali loco sita sunt, inquit, quia id habent, quod ipsis est, secundùm naturam, sunt incommutabilia. Nam quæ immutantur, in alienis locis immutantur. Nostra enim corpora, vt exempli gratiâ dicam, ideo immutantur, quia elementa, ex quibus constant, in loco contra naturam detinentur. Nam cùm contra naturam ignis, qui in nobis inest, infrà detineatur, sursum contendit, vt naturalem sibi locum consequatur: vt contrà, quod terreum est, deorsum nititur: hinc pugna exoritur, & partium compositi dissidium, & diremptio. Vnde coagmentati dissolutionem fieri contingit, quòd in contraria nitantur compositi elementa. Falsa igitur hypothesis vna hæc est. Altera autem sic habet: Quæ, inquit, in orbem mouentur, ea ne-

ea neque principium, neq; finem habent mouendi. Ex quibus duabus hypothesibus, duos contexit ſyllogiſmos: Vnum, ad hunc modum: Vnaquæque, inquit, Mundi pars, in loco eſt naturali: Quæ autem in loco ſunt naturali, ea ſunt incommutabilia. Et partes igitur Mundi ſunt incommutabiles, vnde qui ex ipſis conſtat Mundus, mutationis erit expers. Alterum hoc modo, Quæ in orbem, inquit, mouentur, neque principium, neque finem habent mouendi: Cœlum autem verſatur in orbem. neque principium igitur habuit vnquam mouendi, neque finem eſt habiturum. Decimum igitur Philoſophi argumentum, vt lubricum facilè ſubuertetur.

QVOD autem falſum ſit, nihil immutari, quod in loco ſit naturali, hinc erit perſpicuum. Nam ſi quæ mutantur omnia, cùm in alieno ſunt loco, immutantur, nihil ſanè, quod in alieno loco non ſit, immutatur. Nam ſi conſequens eſt falſum, antecedens falſum eſſe quoque eſt neceſſe. Nam ſi falſum eſt, nihil quod in alieno loco non ſit, immutari, fieri certè poteſt, vt quæ non in loco ſint alieno, mutentur. Falſum eſt igitur, omnia quę mutantur, tum cùm in loco ſunt alieno, mutari. Nam ſi hoc ſit verum, quiduis certè, quod in alieno loco non ſit, mutationis expers erit. Quicquid autem alieno in loco non eſt, id in proprio & naturali loco ſitum eſt. Quicquid igitur in ſuo & naturali loco eſt, id eſt incommutabile. At verò cuius totum in naturali ſede eſt poſitum, eius & partes, cùm in toto ſint ſitæ, in naturali loco erunt. Idem eſt enim totius & partis naturalis locus, vt ſuprà docuimus. Vniuerſæ igitur elementorum partes, quæ in ſuo ſunt toto, cùm in naturali ſint loco, incommutabiles erunt. At verò, quæ nunc elementorum partes in locis contra naturam ſunt ſitæ, longi temporis progreſſu in locis naturalibus erunt: nihil ſiquidem in eo, quod contra naturam ſit, immenſo & infinito tempore manet. Et cùm eò peruenerunt, ibi manent, neque enim priuſquam in ſuis locis cõquieſcant, ab eiſdem dimouentur. Et quę nunc igitur in loco contra naturam ſitæ ſunt elementorum partes, cùm aliquando ad naturalem locum peruenerint, erunt incommutabiles. Cùm igitur quæ nunc in naturali loco collocatę ſunt elementorum partes, ideo ſint immutabiles, quia in eo ſunt, quod ipſis eſt ſecundùm naturam, & quæ in loco ſunt contra naturam, cùm aliquando ad naturalem locum peruenerint, incommutabiles ſunt futurę, erit ſanè aliquando, cùm nihil erit, quod immutetur. Porrò, ſi nihil ſit, quod mutetur, ab hac Vniuerſitate faceſſet omnis tum mutatio, tum procreatio. Quod cùm fieri non poſsit, quandiu Mundus ſteterit, falſum eſt profectò, quicquid immutatur, tum demũ mutari, cùm in loco eſt alieno. Quòd ſi hoc falſum eſt, fieri certè poteſt, vt tum, cùm in ſuo & naturali loco ſunt elemẽta, mutẽtur. Vnde efficitur, vt non protinus ſit neceſſe, elementa tota, quia in naturali loco conſiſtant, ob id eſſe immutabilia, & Mundum itidem, qui ex ipſis conſtat. Porrò quòd quę in toto ſunt partes, in naturali ſint loco (id enim in ratiocinatione noſtra ſumpſimus) cùm ex euidentia, tum ex his perſpicuum eſſe quiuis perſpexerit. Nam ſi nulla earum partium, verbi gratiâ, quæ terram complent, in loco eſt naturali: neque totum, quod ex ipſis coagmentatum eſt, in naturali loco erit. Nihil eſt enim aliud totum, quàm partes vniuerſæ. Quemadmodum enim tota

terra totam, & naturalem ſibi ſedem occupat: ſic & partium eius vnaquæque, quæ cum toto coniuncta ſit, partem totius & naturalis loci occupat. Vnde efficitur, vt ſi totus locus terræ, naturæ totius terræ eſt conſentiens, pars quoq; loci, quam terræ pars occupat, partis illius terræ naturæ ſit conſentiens. Nam etſi nõ per ſe ſeorſim, & quaſi à toto reuulſa pars locum occupet: tamen vt in toto cõprehenſa, totius loci partem aliquam tenet. Sed quid opus eſt ea confirmare, quę ſunt euidentia? præſertim eum, qui docere velit, quòd quæ in toto continentur partes, ſuum & naturalẽ locum occupant. Nam & in his ipſemet Proclus, cùm
" hoc ipſum accuratè intelligeret, ad verbum dicit: Quòd quæ hîc ſunt, commu-
" tantur, quia in alieno loco ſunt, ea ex quibus ipſa conſtant, & geminum & pro-
" prium locum ſuum recipere feſtinant, & quòd tunc ad rectam lineam nituntur
" cùm in loco ſunt non ſibi natiuo, quo tempore ad ſuum redire contendunt: &
" quòd quæ corpora ſunt, ea omnino ſunt in loco: & quòd deniq;, ſi quiſquam eſt
" vlli locus contra naturam, multò priùs eidem eſt aliquis, & ſecundùm naturã.
" Nam quod contra naturam eſt, id dimotio eſt à natura: quæ ſi nullo modo ſit, neque quicquam erit, quod ſit contra naturam. Nam quod, inquit, contra quidpiam eſſe dicitur, tum demum ſit, ſi illud ſit, contra quod eſſe dicitur. Quare ſi quæ ad rectam lineam mouentur omnia, aut partes ſunt elementorum, aut ea, quæ ex his conflata ſunt, hæc autem in alieno ſunt loco: quę verò in alieno loco ſunt, ea in alienum locum peruenerunt, quia à natiuo, & naturali loco receſſerunt, eſt certè etiam partibus elementorum ſuus, & naturę ipſarum conſentiens locus. Præterea, ſi quæ in alieno ſunt loco, ad rectam mouentur, cùm nituntur ab alieno, ad ſuum & naturæ ſuæ conſentientem locum venire, vt ignis quidem ſurſum, terra autem deorſum: vnumquodq; autem ad ſuum totum, connititur, efficitur, vt quod in ſuo eſt toto, id in loco ſit, qui naturæ eius ſit conſentiens. Ex his igitur, quæ ipſemet Proclus nobis dicenda ſuppeditat, perſpicuum eſt, quòd qui totius aquæ locus naturæ conſentiens eſt, idem eſt & partis, & qui totius ignis, idem & partis naturalis eſt locus, ad quem partes tum contendebant, cùm erant in loco naturæ ſuæ repugnante. Quòd igitur, qui elementi totius eſt proprius, & naturæ conſentiens locus, idem eſt & parti naturalis, confirmatum eſt. Nobis autem iterum eſt ad id, quod propoſuimus, redeundum: Si quod contra naturam eſt, dimotio eſt ab eo, quod eſt ſecundùm naturam: & eo, quod contra naturam eſt, priùs eſt id, quod eſt ſecundùm naturam: vt in his ipſemet Proclus adſeruit, neq; enim fieri poteſt, vt id ſit, quod eſt contra naturam, ſi non ſit illud, quod ſecundùm naturam eſt. Nam quod contra quidpiam eſt, tum eſſe oportet, cùm illud eſt, contra quod eſſe dicitur. Quæ igitur elementorum partes in loco ſunt naturæ repugnanti, in eo priùs erant, qui naturæ eſſet cõſentiens, Nam ſi in loco naturali non priùs erant, ne nunc quidem in loco naturæ repugnanti eſſe poſsint. Nam quod in eo eſt, quod naturæ repugnat, ſic ad id peruenit, quod eſt contra naturam: quia dimotum ſit à naturali: vnde efficitur, vt priuſquam in loco naturæ repugnanti eſſent, in naturali loco fuerint. Quòd ſi quod in naturæ conſentienti loco priùs erat, id in loco nunc eſt naturæ repugnanti, non certè, quod in naturali loco ſitũ eſt, ideo eſt immutabile, quia id obtineat, quod ipſius

naturæ

naturę est consentiens. A loco enim naturali, in quo priùs erat, in eum dimouetur, qui naturæ repugnet, in quo nunc est. Integra igitur elementa non ideo necessariò mutationis capacia non esse dicemus, quòd in loco sint ipsorum naturę consentienti. Neque igitur Vniuersum, quod ex ipsis coagmentatum est, mutationis capax non est. Quod in his ex falsa hypothesi colligere visus est Proclus. Cùm enim partes Vniuersi, naturâ non sint immutabiles, neq; Vniuersum naturâ commutationis expers erit. Nam cùm id erit commutabile, ex quo quidpiam componitur, & ipsum quod componitur, necessariò erit commutabile. Neque enim fieri potest, vt cùm elementa commutantur, id immutatum permaneat, quod ex ipsis est coagmentatum. Ex iis autem & illud vnà confirmatũ est, quòd quæ in suo toto sunt, suum & naturæ suæ respondentem locum tenẽt: siquidem cùm à suo integro dimouentur, in alienis locis esse dicuntur. Quòd autem in eo, quod contra naturam, est collocatum, ab eo defecit, quod ipsi est secundùm naturam. Quare quod ab integro suo dimotum est, id à naturali loco desciuit. vnde efficitur, vt quod in suo est toto, idipsum sit in naturę suæ consentienti loco. Est igitur idem partis & totius naturalis locus.

VERVM fortasse, vt altiùs orationem nostram emendemus, de Philosopho ipso operæpretium est audire, quomodo dicat, quicquid mutatur, tum mutari, cùm in alieno est loco: & ob id elemẽta, quæ nunc in naturali loco manent, tum ipsa, tum quod ex ipsis constat, mutatione vacare. Vtrum enim mutationem intelligit eam, quæ fit in loco, vt quæ in naturali sunt loco, nũquam ab ipso dimoueantur, neq; ad eum, qui naturæ repugnet, accedunt? An verò alio mutationis genere, vt quòd, verbi gratiâ, quæ in suo sunt loco, ea neque qualitate immutentur, neque augeantur, neque imminuantur, neque procreentur, neque intereant. Verùm quodcunque dixerit, tum ratione, tum ipsa rerum euidentiâ conuincetur. Nam si penes locum non mutari dicit, quæ in suis & natiuis sunt locis, vt nunquam ex his in aliena transferantur (hoc enim quodammodo significauit, cùm dixit: Tum enim ad rectam lineam mouentur, cùm in suo loco non fuerint, nimirum ad ipsum peruenire contendentia. & in sequentibus omnibus de loci permutatione verba facit) nihil erit, quod è suo loco in alienum commigret. Nunquam igitur contra naturam elementa mouebuntur. Hoc autem est contra id, quod euidenter adparet. Nam terræ gleba & aqua, vi & contra naturam sursum feruntur, quum à suo loco dimouentur. Et ignis, vt fulmina, & fulgurationes, supernè deorsum depressa vi deferuntur. & vt omnino dicam, si à loco, qui naturæ repugnet, in eum, qui naturæ sit consentiens, elementorum est mutatio, multò priùs à loco naturali, in eum, qui sit contra naturam, mutationem esse est necesse. Nam quod in alieno est loco, aut infinito tempore in eo fuit, aut ex alio loco, eóque alieno in illum locum commigrauit: aut certè ex suo & naturali. neque præter hæc quicquam est. At verò neque in alieno loco quicquam infinito tempore esse ita potest, vt in suo nunquam sit. Melius est enim & decentius, vt nunquam sit, quàm vt infinito sit tempore in loco, qui naturæ eius repugnet. Iam natura id semper, vt scopum propositum spectat, quod optimum est, & pulcherrimum. & Deus bona omnia esse voluit, neque quicquam, quoad III.

eius fieri posset, esse nequam, & aliôqui incertum esset (quod in his etiam ipsemet profitetur Proclus) an is naturæ consentiens esset locus, in quo nunquam fuerit. Neque verò ex alieno loco, rursum in alienum, & specie differentem mutari potest. neque enim omnino ex alieno loco in alienũ est mutatio. Omnium enim elementorum, quorum alia sunt grauia, alia leuia, duo sunt naturales loci, grauium quidem quod infra est, aut medium Vniuersi naturalis est locus: leuium autem, quod supra est, aut in ambitu Vniuersi. Omnis igitur elemẽtorum loci permutatio, aut supernè deorsum, aut infernè sursum efficitur. Quæ igitur infernè sursum loci est mutatio, leuium est, aëris inquam & ignis, ex alieno & naturę repugnanti loco, in suum & naturę conuenientem permutatio: grauium autem, terræ inquam & aquæ, ex suo & naturali est in alienum, & naturæ repugnantem. Ea autem, quæ supernè deorsum est, leuium buidem ex suo in alienum est mutatio, grauium autem contrá. Quare omnis elementorum loci permutatio, aut ex natiuo est in alienum, aut ex alieno in natiuum & propriũ. Porrò ex alieno in alienum & specie differentem motus esse nullo modo potest: nisi fortè, quis ad latera lapidem eiaculatus fuerit, non tamen ex alio in alium & specie differẽtem, sed ex eodem in eundem is motus est, qui ad latera perficitur. Et aliôqui si ex alieno in alienum loci fieret mutatio, rursus de illo, ex quo mutationem fecit, eadem erit ratio. Aut enim in ipso infinito tempore steterit, aut ex alio, qui & ipse contra naturam esset, in illum commigrauit, ídque dicetur in infinitum. Aut si hæc huiusmodi sunt, quæ fieri non posśint, omnino est necesse, vt quæ in loco sunt naturæ repugnanti, ex suo & naturæ conuenienti, aliquando in illum translata fuerint. Quare non solùm fieri potest, sed etiam omnino est necesse, vt si ex alieno in proprium & germanũ est permutatio, multò prius è proprio sit in alienum. Cùm ratione igitur, tum inductione confirmatum est, necesse esse, si naturâ sunt incommutabilia elementa, vt à suo & naturali loco in eum moueantur, qui sit contra naturam. Quare non quòd quidpiam in loco suo maneat, ideo ipsum à suo loco nunquam dimoueri confitebimur. Si igitur quæ in naturæ cõuenientibus locis manent, immutabilia esse cùm dicit Philosophus, penes locum immutabilia esse intelligit, vt à suo in alienum nunquam dimoueantur, nos orationem eius ad hunc modum conuincemus. Sin verò alio quodam mutationis genere vult esse immutabilia quæ in naturali loco manent, & sic quoq; palàm erit falsa hypothesis. Nam aqua, quæ in sua manet integritate, etiam immutatur, cùm aut incalescit, aut frigescit, aut reliquas qualitatum formas excipit. At verò & perimitur, cùm discutitur in halitũ, & vertitur in aërẽ, & in suo idem toto computrescens sexcentas procreat animalium formas. Eodem modo aër quoq;, dum naturæ suæ conuenientem locum tenet, non solùm immutatur concalefactus, aut frigefactus, verùm etiam interit & perimitur: & in aquam quidem concretione, in ignem autem rarefactione commigrat, & computrescens varias aëriarum animantium formas effingit. Porrò, quid attinet ea dicere, quæ de terra dici possunt? Ea enim in loco suo manens, nullam nõ mutationis speciem admittit: in sexcentas autem stirpium & metallorum formas immutatur. At verò & qui ab ipsa fumidi excitantur halitus, argumento sunt

sunt commutationis eius penes speciem. Et lapides, qui ceraunitæ dicuntur, supernè deorsum decidentes, argumenta sunt commutationis ignis in loco naturæ suæ conueniente. Et prætereà, quæ ex quatuor elementis coagmentata, & in aquis, aut in terra reguntur corpora, animantes dico & stirpes, quæ'que sub terra concrescunt metalla omnia, & quæ procreantur in aquis, dum in suo toto manent, hoc est, in terra, aut in aqua (hæc enim in his superant elementa) tota per se tota adparet immutari, dum augentur, & imminuuntur, procreantur, & intereunt. Omnino igitur falsum est, quæ in naturæ accommodato loco manent elementa, ea esse incommutabilia. Contrà enim, cùm in suis & natiuis locis manent, omni mutationis genere immutari confirmatum est. At verò elementorum partes (inquit) possunt, cùm in naturæ destinatis locis manent, immutari: ipsa autē integra elementa, dum in naturali loco permanserunt, immutari nullo modo possunt. Nullam enim tota per se tota elementa commutationem subire cernuntur. Verùm qui hoc dicit, nihil aliud, quàm quod principiò propositum est, postulat, & quod disquiritur, & in controuersiam vocatur, id concedi sibi postulat. Nunc enim inquirimus, an Vniuersum incommutabile sit & sempiternum? Porrò incommutabile fuerit, si nullum elementorum, ex quibus conflatum est totum, per se ipsum totum immutetur. Nam vnà cum elementorum, quibus constat, immutatione, id quoq; immutari, quod ex ipsis est coagmentatum, necesse est. Opus est igitur, vt qui Mundum sempiternum ostendere velit, is necessaria ratione conficiat, nullum elementorum ipsum per se totum à sua naturali forma vnquam dimoueri. Qui igitur sine ratione & demonstratione postulat, nullum omnino elementorum ipsum ex eo, quod naturæ est consentiens, in id immutari, quod naturæ repugnat, idipsum postulat, quod inquiritur. Nam si in toto genere verum esset, nullā rem, vt in summa dicatur, seu totam, seu partem eius, cùm in forma, aut in loco sit naturali, àb eo vnquam dimoueri, & in naturæ repugnantem commigrare, fortasse par esset, idipsum in elementorum quoque integris intelligere. Quòd si omnes elementorum partes etiam tum, cùm manent in naturæ locis, omni mutationis genere immutantur, vnde quæso docere possunt, quòd elementis totis non idem accidit, quod ipsorum partibus? Multò magis enim æquum esse puto, atque adeò necessarium, vt contrà sentiamus. Nam si nulla pars elementi est immutabilis, sed quamcunq; partem eorum quisquam acceperit, ea & nascitur, & óccidit, & omni mutationis genere vertitur, causam haud dicent, cur non sit necesse eadem de vnoquoque toto elemento sentire. Quoniam in aliis omnibus tota videmus iisdem affici affectibus, quibus partes. Nam quemadmodum animalis pars immutatur, cùm augetur, aut imminuitur, aut qualitate mutatur, aut cùm locum permutat, aut cùm nascitur, & interit: sic animal totum eadem etiam subit. Porrò suprà docuimus, quòd ne numero quidem, eadem perpetuò manent elementa tota. Quis igitur non videt æquum esse, & verò necessarium, vt totum eadem cum partibus perpetiatur?

IIII. NEQVE enim quòd tota elementa per se tota non immutantur, ideo est necesse, vt ea omnifariàm sua vi sint immutabilia: res enim vnaquæque etsi ad

exiguum tempus constet, in natura tamen quandiu stat, omnino est necesse, vt tota per se totam sit incommutabilis. Neque verò per se totam tantùm, sed etiã per partes principes, & quę totum continent, vt verbi gratiâ, homo quandiu superstes est, totus penes se totum necessariò est immutabilis. Nam si penes se totum commutaretur, in id statim, quod non est, commigraret. At verò & principes ac primariæ animantis partes, penes se totas sunt incommutabiles, vt cor, iecur, pulmones, cerebrum, & si qua est eiusmodi. Quæcunque enim harum ipsa per se totam cõmutata fuerit, aut vt à sua sede dimoueatur, aut à naturali proportione & temperamento prorsus recedat, totius animantis protinus inuehet interitum. Quid igitur vetat, quominus qui eodem vtatur argumento, dicat, quòd si hæc animans, neque ipsa penes se totam interim immutatur, neq; verò primarum partium, & quæ ipsam continent animantem, vlla tota penes se totam immutari cernitur, omnifariàm incommutabilis est, & expers interitus, tum ipsa animans, tum partium vnaquæque? Neque enim quandiu stat animal, eo, quo diximus, modo immutari cernitur. Verùm perspicuum est, quòd etsi in animante quæque pars non cernitur tota mutari, quandiu steterit animans: partium tamen immutatio, & conuersio, interitus item & procreatio maximo sunt argumento, quòd toti eadem aliquando, quæ partibus eueniant. Ad eundem igitur modum in Mundo necesse est, vt quandiu steterit, neque ipse penes se totum vertatur, neq; vlla ex primariis partibus ipsius. Nam totius partis interitus, Vniuerso interitum inuehit necessarió. Ex omnium enim temperamento & concordia coaluit Mundus, & coagmentatus est. Verùm hîc quoque iterum vniuscuiusque elementorum per partes immutatio, procreatio, & interitus totius cuiusque elementi interitum, & vniuscuiusq; eorum, quæ Mundum componunt, euidentißimè probat, iis præsertim, qui non omnino iniqui sint iudices, sed veritatem perperam anticipatæ iam opinioni anteponunt.

V. AT verò neque quòd cœlestia corpora loci tantùm permutatione mutantur, nullo autem mutationis genere, eos turbare, aut mouere debet, qui æternitatis Mundi opinionem iam sibi induerunt. Accuratam enim huiusce rei disquisitionẽ in iis, quę contra Aristotelem scribemus, si Deus votis aspirauerit, faciemus. In præsenti autem id tantùm dicemus, quòd & in animalium corporibus princeps, & primaria partium omnium cor, à quo vitæ spiritus procreatur, & in vniuersum corpus diffunditur, cùm perpetua loci permutatione cieatur, immutationum, quę ab aliis sunt affectionibus, propemodum omnium est immune, tantisper dum ipsum seruatur, & manet. neque enim diuisionem, eam præsertim, quæ in ventriculis accidit, neque abscessus in inflammationibus perpetitur, vt latè docent Medici. Verùm priusquam hæc concrescant, ipsum penitus perimitur, & totum corpus vnà secum perimit: & reuera opus est, vt quæ pars totius continendi maximè vim habet, ea quandiu futurum est, vt totum constet & conseruetur, quoad eius fieri potest, in naturali sede & forma permaneat, vt & totum continere poßit, & ægrotantes partes ad naturæ statum reuocare: cuiusmodi est cœlestis pars in Mundo, cuius motu, interiora omnia corpora reguntur. Par est igitur & æquum, vt ipsa præter cæteras omnes, quantum maximè fieri

fieri poteſt, nullo morbo, nullo adfligatur ſenio, tantiſper dum Deus Vniuerſum hoc ſeruari volet. Verùm non protinus ob id ipſum cœlum perpeſsionis omnis,& interitus naturâ expers eſſe exiſtimare par eſt. Quòd igitur falſum ſit, omnia,quæ in naturali ſede manent,mutationis eſſe expertia, & ob id Mundum vniuerſum & incommutabilem & neſcium eſſe interitus,ad hunc modum nobis probatum eſto.

QVAE autem verſantur in orbem,ea dicere neque initium,neq; finem habere mouendi,idque, vt communem quandam animi motionem, ſine vlla demonſtratione credi velle,haud ſcio,iocantiſne ſit hominis,an verò ſeria loquentis.Neque enim ideo,quia conuerſionis in orbem non licet definitum principiũ ſumere, aut finem, quia omni ex parte in ſeſe reductæ ſunt, & conuenientes omnes circuli partes,certa demonſtratione efficitur, orbicularem conuerſionẽ neque vnquam cœpiſſe,neque vnquam eſſe deſituram, ſed eſſe infinitam. Nam ipſe circulus aut globus,hoc eſt,ad eum modum efformatum corpus,principiũ quidem corporis definitum nullum,neque finem habet.quia,vt dixi, aptæ inter ſe & connexæ ſunt horum partes:non ſunt tamen magnitudine infinita.Nam ſi circulus eſt maior & minor, & itidem globus, & fieri poteſt, vt circulus omnis & globus omnis ab ea figura contineatur,quæ rectis conſtet lineis,palàm eſt,fieri non poſſe,vt productione infinitus ſit aut circulus, aut globus. Neq; enim infinito maius quicquam eſſe poteſt. Neque verò poteſt infinitum contineri. Et quod ait Ariſtoteles circulum infinitum eſſe, perinde eſt, ac ſi cubitus infinitus eſſe diceretur.Certæ enim ac circunſcriptæ figurę deſignandæ vim habent circulus & globus.Quemadmodum igitur etſi circuli initium ſumere non liceat, non propterea circulum, in immenſum & infinitum magnitudine produci eſt neceſſe: ſic etſi conuerſionis in orbem definitum principium, vnde eà cœperit, ſumere non liceat,quia finis cum principio connexus cohæret: non tamen propterea decet arbitrari,motum nullo modo cœpiſſe,neque vnquam eſſe deſiturum.Nam ſi artificis manu confectam ſphæram,vt arati,volui quiſpiam cerneret, & maximè ſi non videret, quando moueri cœperit, neque principium motionis eius dicere,neque finem poſsit:non tamen propterea principii & finis expers eſt eius motus.Quid igitur eſt miri,ſi in cœleſtibus,& omnibus, quæ in orbem verſantur, non liceat ſumere vnde moueri cœperint, verbi gratiâ, ab ariete,an aliunde?quia,vt ſæpe dixi,partes omni ex parte inter ſe connexæ ſunt,& cohærentes, & ob id nulla eſt, quæ prima moueri cœperit, ſed ſimul omnes & incipiunt & deſinunt. Sit tamen aliquod temporis initium, à quo moueri ipſa cœperint. Nam ſi Vniuerſum procreationis expers non eſſet, quia tum cœli conſtitutio ab aliquo principio cœpiſſet, & huius certè motus principium habuiſſet.Quare ſi interibit,vnà cum cœli interitu motum quoque deſinere oportet,nihil tamen eſſe videtur,cur ſit neceſſe, vt conuerſio in orbem, ob id ipſum, quia ſit in orbem,neque vnquam eſſe cœperit, neque ſit deſitura. Quòd ſi Ariſtotelicis argumentis freti, principii & finis expertem conuerſionem eſſe dicunt,videbimus, an vllum illorum Argumentorum neceſſariò quicquam conficiat, quando illò, concedente Deo, peruenerimus. Nihil enim eſt neceſſe illa

nunc excutere,cùm nihil tale in suis argumentis proponat Proclus,inquiremus autem, an vllæ sint rationes, quibus probemus fieri non posse, vt sempiterna sit in orbem conuersio.Nunc cùm id vnum nobis proposuerimus, vt Procli argumentis occurramus,ea sola pro virili parte exposuimus, quæ ad euertenda eius Argumenta pertinebant.

VII. QVAE in hoc decimo argumento veritati negotia facessebant, probabilitate adhuc confutauimus.Cùm autem Plato ex eo,quod temerè,& sine ordine mouebatur,ordinatum factum fuisse dicat,& quasi solius Mundi ordinis Deum autorem esse proponat,in his,quæ deinceps sequuntur, Proclus hanc hypothesin,vt absurdam, & eam quæ fieri non posit, reprehendere conatur. vnde eius verba hîc excutere supersedeo,cùm ab eis veritas nullo modo lædatur. Nam ex eo,quod modis omnibus nihil sit,Mundum procreatum fuisse,vera ponit ratio. Quòd si cuipiam videbuntur ratione niti, quæ à Proclo dicuntur, nihil aliud, quàm Platonis reprehendit hypothesin. Et perspicuum est, non quia absurda est hypothesis,ideo confici ipsam à Platone dictam non fuisse. Quid enim prohibet hoc modo quamlibet veterum hypothesin,quia veritati non consentiat, neque à veteribus dictam fuisse confingere? Hoc autem modo fiet, vt nullus vnquam veterum falsa dixerit, siquidem reprehensum fuerit id, quod falsum est.Qui autem reprehendit, concludat eum nunquã ita iudicauisse,qui idipsum proposuit:idq; hoc sol argumẽto,quòd id falsum sit.Reliqua igitur eorum quæ sequuntur, missa facio:in illud autem vnum inquirere,alienum fortasse nõ erit.

VIII. NAM si ante Mundi procreationem,inquit,in alienis locis erant elementa, & ipsa quidem loca habebant alia, quæ eorum naturæ responderent, quis in aliena transtulerat?neque enim ipsa sibi translationis causę fuerant.Quare duo, inquit, sunt principia. Vnum eius, quod est secundùm naturam, alterum eius, quod est contra naturam.Quoniam igitur nunc quoque nonnulla ex locis naturæ consentientibus,in loca naturæ repugnantia transferuntur, vt cùm ignis deorsum,aut aqua sursum depulsa fuerit, neq; sibi translationis sunt causæ, quia corpora sunt,& nunc quoque principia duo ponere est necesse. Vnum quidem, quod corpora in id transferat,quod est contra naturam: alterum autem, quòd & in naturali situ consistant,ipsis sit causa,& ab eo,quod contra naturam est, in id,quod naturæ est consentiens,ea reuocet,quę à naturali statu exciderint.Nihil igitur necessariò hæc ratio conficere mihi videtur. Nam quemadmodum alibi, Deo duce, probabimus, quæ capacia sunt tum eius, quod est secundùm naturam,tum eius,quod naturæ repugnat,ea non ab oppositis facultatibus ad opposita feruntur; verùm ad id quidem deducuntur, quod est secundùm naturam à naturali & rerum conseruante facultate naturali;ad id autem,quod est contra naturam,huius priuatione delabuntur. Priuatio autem propter facultatis finitam naturam,rebus ipsis accidit. Auriga enim & Nauclerus, salutis & interitus subiectorum sunt causæ:Auriga quidem,currus,Nauclerus verò, nauis.Verùm salutis quidem per se,euersionis autem per accidens.Nam cùm artificum facultas sufficere non potest, propterea quod finita est, accidit in reliquum, vt cùm is non adest,qui seruat,in contrarium,nempe in interitum recidant,quę à facultate

tate prius seruabantur, post hæc vbi confirmauit Proclus, quòd id, quod secundùm naturam est, prius est eo, quod est cõtra naturam, hæc subiicit: Quare num " etiam loca erant naturæ horum respondentia, cùm hæc in illis non essent, incer " tum est, etiamsi quæ sunt secundùm naturam, antiquiora sint infinito tempore. " Pugnantia coniunxit Proclus. Nam cùm suprà dixisset: Si alia loca habebant se- " cundùm naturam, quis, qui ea transtulit in aliena? & tanquam huic consequens " absurdum, cùm subiecisset, aliud esse principium, quod ipsa transtulerit in aliena " loca, hic ait, quòd num loca erant secundùm naturã, cùm hæc in illis non essent, " incertum est, etiamsi quæ sunt secundùm naturam, antiquiora sint infinito tempore. Quòd si infinito tempore in locis naturæ repugnantibus fuerunt, neq; vnquam in locis naturæ suæ accommodatis fuerint, non sanè ex eo, quod naturæ esset consentiens, in id, quod naturæ repugnaret, translata fuerunt: quare neque translationis habuerunt causam. Cur igitur, ait, alio principio fuisset opus, quod ex naturæ consentiente in naturæ repugnans ipsa traduceret, quæ nullo modo translata fuerunt? Quòd si iterum, quia in eo sint quod naturæ repugnat, Philosophus necessariò confici putat, vt causa aliqua fuerit alia, quæ ipsa in id traduxerit, quod est contra naturam, nempe ex eo loco, qui naturæ est accommodatus, in eum, qui repugnat eidem. Quòd si in loca naturæ repugnantia translata fuerunt, priusquam traducta essent, in iis erant quæ naturę consentiebant. Non igitur infinito tempore in iis erant, quæ naturæ repugnarent. Quare nõ obscurum est, an naturæ ipsorum consentientia essent illa loca, è quibus in loca naturæ repugnantia translata fuerunt. Nam translatio in id, quod naturæ repugnat, ex eo omnino fit quod naturæ est consentiens, vt nuper docuimus. E' duobus igitur absurdis alterum tantùm (si omnino sit vllum) sequi est necesse, & non ambo, vt confecit Philosophus. Aut enim cùm in locis naturæ repugnantibus, infinito tempore essent elementa, incertum est, an etiam alia loca haberent naturę conueniẽtia: & non ampliùs duo erunt principia. Aut siquidem duo sunt principia, vnum eius, quod est secundùm naturam, alterum eius, quod contra naturam est, non est incertum, an alia ipsis loca essent naturæ ipsorum conuenientia.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum vndecimum.

Materia (inquit) Vniuersi est gratia: receptaculum enim est procreationis. Id autem cuius gratia est materia, nihil est aliud quàm procreatio. Quare si ex nullo materia fortuitò esset alicuius gratia, & id quod esset procreatum fortuitò, materiam haberet. Nihil autem eorum quę fortuitò sunt, est necessarium. Quare neque opificium firmitatem habere dicemus. Quòd si ex aliqua causa, est alicuius gratia & materia procreationis, necesse est simul esse materiam & procreationem. Nam id quod est alicuius gratia, & id cuius gratia, simul ipsa sunt, cùm ad sese mutuò referantur. Quare si materia, sempiterna res est, & hoc ipso quòd materia est, alicuius est gratia, procreatio quoque est sempiterna. Nam & hanc adesse cùm id cuius gratia sit procreatio, est necesse. Vna sunt igitur perpetuo tempore materia & procreatio, vt id cuius gratia, & id quod alicuius est

gratia. Alicuius enim est materia, nempe formæ quæ in ipsa sedet. Nam aliqua materia tunc est materia, cùm fuerit & forma. Quapropter idoneam ad opus materiam efficiunt artifices, quæ nondum sit materia, & quantum progressionis faciunt in paranda materia, tantum accedit & formæ. Lapides enim formæ domus materiam non priùs præbent, quàm cæsi, si ita opus sit, & adaptati fuerint, sed tum demum, cùm hanc præparationem fuerint adepti. Vbi igitur verè materię ratione susceperint, tunc nullo tẽpore iam forma cõparet. Quare si quæ omnino est materia, materia est procreationis cuiusuis, & facultate est omnia, & nihil ipsa indiget vt sit materia (Quod enim omnino & absolutè tale est, id vbique & primò est nullius indigens vt sit id quod est) simul ac ipsa est, omnes formæ in ipsa comparent. Cùm enim nullo indigeat vt sit materia, nullo etiam indiget vt formas excipiat. Quare ex quo est materia, formas quoq; habet quarum est materia. Est autem procreationis expers & interitus, ne alterius materię indigeat, cùm ipsa omnino sit materia. Sunt igitur formæ in ipsa ex æternitate, & Mundus itidem: Mundi enim est materia, non autem Mundi confusionis, atq; adeò & Mundi erat gratia. Nam materia aliqua non priuationis, sed formæ est gratia. vnde efficitur, vt ex quo Mundi est materia, vnà sit & Mundus.

Capita solutionis vndecimi Argumenti.

I. *Quid Pythagorici, & Platonici, quid item Stoici de materia senserint: vbi etiam docetur quòd nusquam nuda formarum materia constat.*

II. *Quibus argumentis conficiunt, quòd vna est & eadem omnibus naturæ corporibus subiecta materia, & quòd formæ expers est, & incommutabilis.*

III. *Quòd quibus argumentis docetur, quòd vna quædam est communis omnium materia, iisdem confirmatur, quòd non illa est quorundam sermone trita, corporis & formæ expers materia, sed qualitatis expers corpus, quod extremum est subiectum, & prima materia.*

IIII. *Defensio in contrariam partem, quòd illud expers qualitatis corpus, immutationis expers non est, quatenus est eiusmodi, quia è paruo magnũ fiat, & è magno vicißim paruũ. & huius argumentum, quòd non quia corpus est, immutatur, sed penes quantitatem, vbi ostenditur, quòd non idem est magnum quid, aut paruum esse, aut etiam triplici dimensione productum, aut omnino corpus.*

V. *Quòd fieri non potest, vt elementa corporum sint accidentia, vt ex ipsis, & ex materia composita corpora conflata sint.*

VI. *Quòd neque omnis qualitas, neque quantitas est accidens, sed est essentiale quantum & quale. Vbi etiam docetur illud, quod in corporibus seipsum sustentat, & omnino substantiam indefinitum esse illud trifariàm diffusum, quod extremum est omnium subiectũ.*

VII. *Quòd nihil vetat, quin subiectum sit aut materia id, quod trina dimensione constat, etsi formæ expers non sit: & quòd nihil eorum quæ sint, prorsus formæ expers esse potest: ne ipsa quidem materia, quam ponunt corporis expertem: siquidem omnino in iis illa est, quæ sunt, & quòd simplicißimum est, quod trifariàm in dimensiones est diffusum.*

VIII. *Argumenta complura, quòd fieri non potest, vt illa fabulosa corporis & formæ expers materia, verè sit. Et, quòd quibus rationibus corporis expers materia euertitur, iisdem ostenditur materiam esse & primum subiectum, id quod trina dimensione constat.*

Vbi docetur, quomodo indefinitum esse dicatur per se, id quod triplici constat dimensione, & quòd partim est incommutabile, & partim non incommutabile.

Expositio aggreßionis propositi Argumenti xi. & quænam in Problemate sint, quæ si concedantur, veritati nihil officiunt: & quænam sint, quæ reprehendere proposuimus. IX.

Argumenta complura, quòd fieri non potest, vt si materia gigneretur, ea gignatur ex materia, seu materiam quandam, seu materiam omnino dixeris. X.

Quòd etsi omnia, quæ gignuntur, materia indigeant, vt procreentur, maximè ob id ipsum modis omnibus erit necesse, vt si gignatur materia, ea materia non indigeat ad sui procreationem. XI.

Quòd non ideo quia in rerum singularum procreatione & interitu immutatum manet subiectum & materia, protinus ob id necesse est ipsam omnino & procreationis & interitus esse expertem. XII.

Quòd neque sempiternam esse materiam, & principio vacantem vsquam dixit Plato: neque si id diceret, par esset, propterea ipsi Mundi æternitatis opinionem acceptam referre. XIII.

Quòd in aliis Plato posuit inter se pugnantia: in quibus est, quòd dicit terram esse incommutabilem, & tamen composita corpora ex quatuor elementis esse conflata: hæc enim simul vera esse non possunt. XIIII.

Quòd secundùm Platonem, Mundum & materiam esse sempiterna non est necesse: sed contrà, etiam materiam propter Mundum principium habere, quo esse cœperit. XV.

VNDECIMI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*



QVONIAM hic Philosophus disputationem nobis mouit de materia, & ex hac Mundum sempiternum esse conficere conatur, operæpretium me facere puto, si priusquam propositum Argumētum excussero, paululum digressus, disquisiuero quæ'nam tandem sit, quæ communiter omnibus naturæ corporibus subiecta est materia: quod suprà me, cùm ad caput hoc peruenissem, facturum esse recepi. Plato igitur & veterum illustrisimi quique, materiam & corporis & formæ expertem esse pronuntiauerunt. Complures etiam ipsam sempiternam esse proposuerunt, omni ortu & interitu, & omnino mutatione vacantem. Huic autem informi & incorporeæ materiæ vbi primùm coniunctum est quantum, hoc effici dicunt, quod triplici dimensione est diffusum, quod qualitatis expers est, & id quod propriè, & omnino corpus dicitur. Huius porrò corporis omnino magnum & paruum, primam differentiam esse ponunt. Ipsum enim corpus, quod sua natura solis dimensionibus tribus definitur, tumorem quendam esse indefinitum, parui autem & magni differentiâ definiri. Quemadmodum animalis natura, quæ animato & sentiente definitur, eadem propria ratione ac definitione à rationalis & rationis expertis differentia est diuersa; in consistentia tamen fieri non potest, vt animal sine aliqua harum differentiarum cernatur. Neque enim ipsa per se in natura constant genera vniuersa, ea dico, quæ naturalia sunt, & in mulus suam naturam obtinent, sed omnino cum aliqua specie cer-

nuntur. Neque enim animal est ipsum per se, quod non prorsus aut rationis sit compos, aut rationis expers. At verò neque rationis expers animal ipsum per se in natura esse potest, quod non omnino aut equus sit, aut canis, aut aliquod reliquorum. Et in omnibus eadem est ratio. Hæc enim in iis sunt, quæ ad aliud referuntur. Seu enim de medio tollatur genus, vnà omnino auferuntur & species: & vicissim, si species tollantur, genus quoque vnà auferri est necesse. Quemadmodum igitur animal sine aliqua suarum differentiarum in natura constare non potest: ita sanè & quæ omnino corporis est natura. & ratio definitur quidem, vt dixi, tribus dimensionibus, cùm ipsa per se diuersa sit à magni paruique differentia: in natura tamen sine aliqua harum differentiarum esse non potest. huic igitur deinde qualitatis experti corpori accedens qualitas, elementorum absoluit naturam: calida nanque & sicca accedente qualitate, efficitur ignis: calida verò & humida, aër: humida autem & frigida, aqua: frigida denique & sicca accedente, efficitur terra, cùm eiusmodi ordo in hypothesi mente tantùm concipiatur, vt hac via quomodo rerum se habeat natura, consideremus. Nunquam enim subiectum formis aut qualitatibus vacare existimare decet: simul enim forma & specie instructa materia à Deo producitur, quæcunque tandem ea sit. Nam si in iis, quæ ad aliud referuntur, sunt materia & forma (materia enim alicuius est gratia, forma autem est id, cuius gratia: vt hìc quoque dixit Proclus) quæ autem inter se comparantur, ea se mutuò ponunt, & vicissim perimunt. Neq; igitur materia sine formis esse potest, neque formæ sine materia. Ex his itaq; quatuor elementis deinceps coëuntibus & coniunctis, inter se composita existunt corpora. Primam igitur materiam, & absoluto verbo materiam, esse dicunt incorpoream illam & informem: secundo autem loco, triplici dimensione diffusum, & expers qualitatis corpus, quod post materiam subiectum secundum esse dicunt: tertio autem loco, & iam viciniùs, elementa quatuor subiecti locum tenent: hæc enim non absoluto verbo materiæ rationem subeunt, sed in comparatione ad aliud, nempe ad ea relata, quæ ex ipsis concreta sunt. Nam vt quæ ex his composita sunt, ad alia rursus si comparentur, materiæ nomen subeunt, vt semen & sanguis menstruus animantis materię locum tenent. Ad hunc quidem modum, de materia dixerunt qui à Pythagora & Platone descenderunt. Stoicorum autem complures materiam id esse proposuerunt, quod est triplici dimensione diffusum. Quæ igitur à claris Philosophis de materia maximè dicuntur, vt paucis ea complectar, ferè sunt hæc.

II. QVOD autem hoc ipsum vnum quiddam sit, & commune subiectum, & omnibus naturalibus formis subiecta materia, ídque incommutabile sit, & incorporeum, argumentis eiusmodi confirmant. Corpora omnia naturalia, tum elementa, tum ex his composita, in sese mutuò commutari cernimus. Fieri autem nō potest, vt omnia in sese mutuò transmutentur, si nihil in iis, quæ mutantur, sit, quod vnum, idem, & incommutabile permaneat, & formas (penes quas rerum fit mutatio) vicissim singulas excipiat. Quod autem dico, exemplo planum & illustre faciam. Esto ærea quædam statua, & equus (si videtur) & canis, & bos, & (vt omnino dicam) quęcunque ex ære fingi possunt. Cuius est perspi-

cuum,

cuum, horum vnumquodque in reliqua omnia posse transmutari. ærea enim statua ab artifice transformata, in æreum equum, aut canem, aut in reliqua facilè commutabitur. Et eodem modo aliud quoduis in reliqua omnia transformari potest. Nunquam tamen ærea statua in ligneum equum commigrare posit, aut in quicquam aliud, quod eiusdem materiæ non sit, vt in domũ, aut nauem, aut vestem. Cur ita? quia in illis vna quædam æris materia subiecta est, æreæ autem statuæ, domui & naui non. Item eadem subiecta est materia. Nauis enim in lectum & ianuam, & ea omnia, quę ex ligno conficiuntur, commutari posit: & domus in theatrum (vt exempli gratiâ dicam) & ea, quæ ex lapidibus constant. Quia subiecta materia manet incommutabilis, quæ communis sit omniũ, lecti quidem & nauis, verbi causâ, ligna: domus autem & theatri, lapides. Non item tamen in vestem domus mutari posit. Domus enim & vestis differens est materia. Nihil igitur in aliud commigrare poterit, nisi vna & eadem ambobus subiecta sit materia. Quemadmodum igitur in rebus, quæ hîc arte constant, quæcunque eiusdem sunt materiæ, vt quæ ex ære conficiuntur opera, quia vna & eadem æris materia ipsis subiecta est, omnia in sese mutuò commigrare possunt, quòd æs ipsum in eorum commutatione maneat incommutabile: quod certè ad naturæ eius rationem attinet. Quæ autem non eiusdem sunt materiæ, ea in sese mutuò commutari non possunt. Ad eundem planè modum, nisi omnibus naturæ corporibus vna quædam subiiciatur materia, quæ ipsa incommutabilis permaneat, corpora omnia naturę in sesè mutuò commutari nõ possunt. Vnam igitur omnium esse & communem naturalium corporum materiam est necesse. Et quemadmodum æs ipsum informe est per se & sua vi, neque vllam earum formarum, quas recipit, ad naturæ suæ complementum continet: sic sanè & quæ communiter omnibus naturalibus corporibus subiecta est materia, ab omnibus naturalibus formis, quarum ipsa capax est, diuersa sit oportet. Quod autem ab omni forma diuersum est, id informe sit est necesse. Quare informem esse communem omnium materiam, ex iis, quæ diximus, confirmatum est. Oportet autem, ipsam quoque esse incommutabilem, vt dictum est, vt ea, quæ commutantur, suam in sese mutuò commutationem, in aliquo quod idem permaneat, efficere posint. Nam si nihil prorsus immutatum permaneret in corporum mutua commutatione, cùm id, quod mutatur, penes se ipsum totum, in id interiret, quod nullum est, nulla res prorsus in aliam vllam commutaretur. Hæ sunt igitur rationes, quibus confirmant vnam quandam & communem materiam rebus naturalibus subiici, & hanc informem esse, & incommutabilem.

FORTASSE autem quispiam his ipsis rationibus fretus, primam materiam nec incorpoream, nec informem esse probauerit. Nam cùm corpora in sese mutuò transmutantur, quod triplici dimensione constat, incõmutatum manere cernitur. Aqua nanque cùm in aërem commigrat, non quia corpus est, cõmutatur. Trifariàm enim interuallis distinctum, quod aquæ subiicitur, quatenus tale est, manet incommutabile, etiam tum, cùm in aërem commigrat aqua. Neque enim ex eo, quod triplici interuallo distinctum non sit, id fieri vide- III.

mus, quod in tria interualla diffusum est, neque ex eo quod triplici dimensione productum sit, id fieri cernitur, quod tribus non constet interuallis. Neque enim vnquam visum est, vt corpus ita immutatum fuerit, vt incorporeum sit factum: neque contrà, quod prius esset incorporeum, factum sit corpus. Vnde efficitur, vt quod triplici dimensione fusum est, & omnino corpus, quia corpus est, sit incommutabile. Si quisquam igitur docere posit, quòd ex eo, quod trifariàm sit extensum, hoc est, ex eo, quod omnino sit corpus, in id mutatio vnquam efficiatur, quod triplici interuallo extensum non sit, hoc est, in id, quod omnino non sit corpus, aliquid aliud ei, quod triplici interuallo diffusum est, subiectum esse cõfitebimur: in quo subiecto incõmutabili fit commutatio eius, quod tribus interuallis extensum est, hoc est, corporis qualitatis expertis, in id, quod eiusmodi non sit: & palàm est, quòd hoc incorporeum erit. Nam quod alicui subiicitur, ab eo diuersum est, cui subiicitur: vt æs ab aliqua & certa forma est diuersum. Quod igitur ei, quod triplici constat dimensione, hoc est corpori, quia corpus est, subiicitur, id corpus non erit, sed incorporeum. Quare si neque ex corpore quicquam in id vnquam est commutatum, quod corpus non esset, neque è non corpore factum est corpus (Nihil enim, quod modis omnibus non sit triplici dimensione diffusum, factum est vnquam trino interuallo dimensum, neque contrà, quod tribus interuallis constaret, in id commigrauit, quod trina dimensione non esset diffusum) verùm, quod tribus constat interuallis & omnino quod corpus est, quatenus est corpus, permanet incommutatum, cùm elementa in sese mutuò transmutantur, quæ relicta est ratio, quæ doceat, ei quod tribus constat interuallis, incorpoream aliquam materiam subiici? Nam ex eorum corporum, quę qualitate affecta sunt, commutatione, ostendebat necesse esse, vt ipsis aliquid subiiceretur incommutatum, quod ab ipsis diuersum esset. Cùm igitur id, quod est triplici dimensum interuallo, hoc est, quod qualitatis expers est corpus, quia corpus est, non commutetur (nisi quod quatenus finitum est, penes magnitudinem & paruitatem frequenter corporum fit immutatio.) quid superest, vnde necessariò quisquam conficere posit, ei, quod tribus constat interuallis, aliud quicquam incorporeum subiici, ac non ipsummet trifariàm fusum, primum esse omnium subiectum, & omnino materiam, vt Stoicis rectè est visum? Omnino autem materiam & omnino corpus dico, non vniuersale, quod in nostra tantùm cogitatione, & ratione sola cernitur, sed quod in natura constat, & iam pars est compositi, aut factum iam elementum, sua tamen ratione omni destitutum qnalitate, quarum vicissim est capax. Hoc igitur omnino corpus appello, quod tribus interuallis definitur, quoniam neque calidum est ipsum per se, neque frigidum, neque graue, neque leue, neque vllam eiusmodi determinationem in suæ ipsius naturæ definitione recipit, vt aut graue corpus dicatur, aut calidum. Ad hunc igitur modum corpus omnino vbique mihi intelligatur. Cùm igitur, quod eiusmodi corpus est, intereuntibus elementis immutatum remanere videamus, adparet hîc primum esse vniuscuiusq; rei naturalis subiectum, & primam materiam. Non enim quia corpus vnumquodque, quod qualitate sit affectum, ex subiecto constat & forma, ob id protinus qualitatis expers corpus, quod quali-

tate

tate præditis corporibus,quatenus qualitate ſunt affecta, ſubiicitur, ex ſubiecto & forma compoſitum eſſe eſt neceſſe. Neque enim qualitate affectum corpus vnumquodque,in eo, quod corpus eſt, ex ſubiecto eſt & forma, ſed quia tale corpus eſt,& præditum qualitate: calidum: verbi gratiâ,aut frigidum, aut graue,aut leue,his enim omnibus quod qualitate præditum eſt, ſubiicitur. Corporum igitur, quæ affecta ſunt qualitate, vnumquodque ex ſubiecto eſt quidem eo,quod tribus conſtat interuallis,hoc eſt,experte qualitatis corpore:forma autem ignea,verbi gratiâ, aut aëria, aut aliqua alia. Quemadmodum igitur forma non ex ſubiecto & forma componitur,ſic neque omnino corpus, quod naturalibus omnibus formis eſt ſubiectum, ex ſubiecto compoſitum eſt & forma, ſed ipſum eſt omnibus ſubiectum & ſimplex.

EX ipſa igitur rerum euidentia perſpicuum eſſe puto,quòd cùm res in ſeſe IIII. tranſmutantur,corpus ipſum, quia corpus eſt, nullam conuerſionem, aut immutationem ſuſtinet:hoc eſt ab eo,vt corpus ſit,non dimouetur: hoc enim eſt, quia corpus eſt, immutari. Quoniam autem nonnulli confirmare conantur, quòd etiam corpus,quia corpus eſt,immutatur, hoc eſt, trina dimenſione conſtans,quatenus eſt tale,vt hoc modo,quod poſſunt,oſtendant,etiam corpori incorpoream quandam materiam ſubiici, neceſſarium eſſe puto, vt ipſorum in medium prolata argumenta excutiamus. Aiunt enim, quòd eodem manente ſubiecto,cùm neque facta ſit acceſsio,neque deceſsio,è minoribus maiora fiunt corpora:& contrà,è maioribus in minorem molem contrahuntur. Quæ enim muſto plena ſunt dolia,& vtres,rumpuntur,ſi cùm plena ſunt,perſpirabili exitu non digeruntur.Nam cùm muſtum vertatur in ſpiritum, & ſpiritus molem maiorem occupet, quàm muſti ſubſtantia, quæ in ipſum conuerſa eſt, & locus, in quo muſtum erat, priuſquam commutaretur, non poſsit maiorem corporis molem continere,neque ſpiritui in ambientem aërem pateat exitus, ſupra modum pr ſpiritus magnitudine diſtenti vtres,& dolia rumpuntur.Id quod etiam in ſupra modum intumeſcentibus ſaccis aut eiuſmodi nonnullis aliis fieri ſolet. Neque enim ſpiritus omnino ruptionis eſt cauſa. Non enim inflati vtres, cùm ſpiritu ſunt pleni, rumpuntur: ſed muſti in maiorem tumorem commutatio. Prætereà, euidentiùs ex minore corpore in maius commutationem, quæ ipſo etiam ſenſu deprehendi poſsit, quiuis perſpiciet, tum in aquis, quæ in habitum digeruntur, & vaporem (nam cùm pauca aqua inſumatur, multus quidem vapor fieri cernitur)tum in lignis ardentibus,in quibus ardore & vſtione cùm minimum de lignorum ſubſtantia commutetur,multus fumus& longiſsimè penetrans comparet: & cùm edimus, plerunque protinus nullus adparet ventris tumor. vbi autem cibi in ſpiritus verti cœperunt, quia in maiorem molem commutantur,& loci amplioris indigent,vehementer ventrem diſtendunt.Contrà, ex maiore mole in minorem mutantur corpora, cùm leuiora in grauiora mutantur:multus enim aër contractus,in minimum recidit aquæ tumorem.Quēadmodum enim aqua exigua in multum aërem commutari cernitur:ſic neceſſe eſt,multum aëris tumorem in ſeipſum cōtractum,& concidentem, in minorem aquæ magnitudinem tranſmutari.Quòd ſi neque facta acceſsione è paruo

magnum quid efficitur, neque item facta decessione è magno fit paruum, par est, vt ipsum trina dimensione diffusum, oriatur & intereat. Quòd si hoc fit, ipsi incorpoream materiam subiici est necesse, atque ita ipsum non esse corporum primam materiam: quia quæ mutantur, omnia in communi aliquo subiecto mutantur, vt docuimus. Hæc sunt igitur, quæ quispiam producere possit, vt defendat, ei, quod tribus interuallis dimensum est, incorpoream materiam subiici, atque ipsum non esse primam materiam corporum. Verùm nos hanc controuersiam iam facultate dissoluimus. Diximus enim, quòd Magnum, & Paruum, primæ sunt corporis differentiæ. Quemadmodum enim neque è graui in leue, neque è calido in frigidum commutatio corporis, quia corpus est, commutationem committit: sic neque è paruo in magnum, nec è magno in paruum mutatio, procreationem & interitum corporis facit, quia corpus est: quandoquidem neque accretio è non corpore corpus efficit. Verùm, cùm corporis natura, quia corpus est, immutata permaneat, solius quantitatis in accretione fit mutatio. Ad eundem planè modum, etsi cùm perimitur aqua, in maiorem tumorẽ transeat, dum vertitur in aërem, quatenus quidem ex aqua efficitur aër, aquæ est interitus, & aëris procreatio, quatenus autem neque ex incorporeo corpus effectum est, neque è corpore incorporeum: sed corporis ratio integra, & nullo modo affecta permansit, tum ante interitum aquæ, tum in ipso interitu, tum post interitum, cuius est perspicuum, quòd corpus, quia corpus est, neque interiit, neque exortum est, sed in sola quantitate est immutatum, cùm è paruo factum est maius: quemadmodum in qualitate immutatur, quod è frigido calidum, & è graui leue efficitur. Omnis enim mutatio, dimotio est ab eo, in quo mutatio fieri dicitur. Nam quod album est, si, quia album est, immutetur, ab eo, vt album sit, omnino dimouetur. Et animal, si quia animal est, immutetur, ab eo deficit vt animal sit. Et in omnibus eadem est ratio. Omnis enim mutatio res est, quæ dimouendi vim habet ab eo, in quo ipsa efficitur: quare si corpus, quia corpus est, immutetur, ab eo dimoueri debet, vt corpus sit. Quare ea, quæ è paruo in magnum fit mutatio, aut contrà, è magno in paruum, si corporis, quia corpus est, esset immutatio, non ampliùs corpus esset, quod è paruo fit magnum, aut è magno paruum. Verùm nulla mutatio è non corpore corpus id facit, quod immutatur, aut è corpore non corpus. Nullam igitur mutationem in his, quę mutantur substantiâ corporis, quia corpus est, sustinere liquet. Nam si corpus in eo definitur, quod triplici dimensione constet, mutatum sit autem corpus, quia corpus est, mutatum certè erit triplici dimensione constans, quatenus est tale. Non ampliùs igitur tribus interuallis distinctum remanebit, sed aut omnia, aut certè nonnulla interualla perdiderit oportet. Quòd si in commutatione ipsum, quod triplici interuallo constat, hoc est ipsum corpus, eodem modo affectum manet, nullam immutationem quia tale est, recipiens, perspicuum est, quòd modis omnibus est incommutabile. Parui autem & magni immutatio, corporis est in quantitate commutatio. Quemadmodum igitur & ex calido in frigidum, & ex humido in siccum, aut contrà, corporis est in qualitate immutatio, quæ non absoluto nomine corporis, quatenus est tale, mutationem facit: sic neque in magno

gno & paruo mutatio,hoc est, in quantitate corporis, quatenus est corpus, immutationem committit: diffundit enim tantùm aut contrahit corporis dimensiones: non autem ortum aut interitum efficit corporis,quatenus est corpus: & aliòqui magnum & paruum,quatenus tale est,ab eo est diuersum, quod triplici constat dimensione.Nam quòd non sit idem, magnum esse aut paruum, & triplici præditum esse interuallo, hinc erit perspicuum, quia magnum & paruum in iis sunt, quæ ad aliud referuntur: nihil enim ipsum per se est magnum aut paruum,sed cum alio comparatum,magnum esse dicitur,aut paruum:vnde fit, vt idem & magnum sit & paruum, cum alio atque alio comparatum. Fabam enim,verbi gratiâ, magnam dices, si cum sinapi contuleris: paruam autem, si cum pomo comparaueris.Sed & olympus mons, magnus quidem, si cum Hymetto componatur:paruus autem,si ad totam terram referatur.Et ipsa terra ad vniuersum Mundum, parua est, & propemodum nihil: siquidem ad Vniuersi complexum,vix centri & puncti instar obtinet. Quod autem triplici præditum est dimensione,quia tale est,non eorum est,quæ ad aliud referuntur,neq; enim, quia cum alio comparentur, tribus dimensionibus prædita sunt corpora, sed ipsum sua vt ab aliis reuulsum, eiusmodi est vnumquodque. Si itaque magnum & paruum in iis sunt, quæ cum aliquo conferuntur, nihil autem, quod triplici dimensione constat, quia tale est, in iis est, quæ ad aliud referuntur, non sanè idem est,magnum esse,aut paruum,& triplici constare dimensione. Aliòqui, si idem esset, magnum esse quidpiam, & tribus fusum esse dimensionibus, nihil, quod magnum non esset, tribus fusum esse dimensionibus.Rursum, si idem esset, paruum esse, & triplici iunctum interuallo, nihil tria haberet interualla, quod idem paruum non esset. Si igitur fieri potest, vt quidpiam magnum non sit,& in tria fusum sit interualla,& itidem paruum non sit,& tribus iunctum sit interuallis,in tria certè fusum esse interualla,quatenus est eiusmodi,à magno & paruo est diuersum.Prætereà,magnum & paruum,latiùs patent eo,quod in tria interualla productum est.Nam & linea & extremitas seu superficies magna aut parua esse dicuntur: quarum extremitas in duo tantùm interualla producitur, linea autem in vnum tantúm.Cùm igitur magnum & paruum, in linea sint, & in extremitate,nihil autem,quod in tria profusum sit interualla,linea sit, aut extremitas,& planicies,nihil certè,quod tribus pateat interuallis,quatenus est tale, magnum est,aut paruum.Adde his, quòd si magnum & paruum inter se differunt,quatenus tale est vtrunque horum,nihil autem tribus constans interuallis, ab vllo alio tribus constante interuallis differt, quatenus est tale, nihil certè in tria protensum interualla, quatenus est eiusmodi, idem est cum magno & paruo. Cùm igitur nulla in re idem sit, magnum esse aut paruum, & tribus interuallis esse profusum,non sanè è paruo in magnum commutatio, aut contrà à magno in paruum,trina dimensione constantis,quatenus est tale, immutationem committit.Nihil enim,cùm immutatur, minùs quàm anteà tribus præditum interuallis, remansit, nec corpus è paruo magnum effectum, aut contrà, nec priusquam mutaretur, nec posteaquam immutatum est. Quare corpus, quia corpus est, immutatum mansit, dum penes magnum aut paruum, com-

mutatur,perinde atque in ea mutatione,quę fit in qualitatibus,nullam commutationem, in corporis ratione ſubit, id quod commutatur, vt ſæpe dictum eſt.
V. VERVM in controuerſiam hoc fortaſſe quiſpiam adhuc vocauerit,quòd diſtinctæ ſunt à ſe inuicem decem categoriæ, & à ſubſtantia diuerſa eſt quantitas,triplici autem præditum dimenſione ipſum per ſe pertinet ad quantitatem, corpus autem eſt ſubſtantia, vnde tribus cõſtare interuallis, ipſum per ſe non eſt corpus, quandoquidem ſubſtãtia non eſt,ſed quãtitas.Si igitur corpus,quia corpus,ſubſtãtia eſt,omne autẽ corpus tria continet interualla,& in hoc ſpeciem habet & formam,neceſſe eſt certè aliquid eſſe,quod ſubiectum ſit,& quod tria cõtinet interualla,in quo cùm fuerit,tum corporis naturam perficiet.Compoſita igitur erit corporis natura ex ſubiecta materia,& quod eandem informabit triplici interuallo,vt vtrunque coniunctum,corporis ſit ſubſtantia.Non igitur ſimplex eſt corpus, & omnium fundamentum,atque receptaculum,ſed huic incorporea quædam ſubiecta eſt materia. Verùm ſi idipſum, quod eſt,in tria eſſe fuſum interualla, ideo accidens ſit, quia eſt quantitas,in igne quoque calor & ſiccitas qualitates cùm ſint, erũt accidentia. Eadem quoque erit ratio de frigiditate in aqua,& omnino de grauitate, & leuitate, quæ corporibus inſunt, & ſimilibus horũ.Quare fiet, ſi hac oratiõe inniti velimus,vt omnis corporata ſubſtãtia ex materia & accidẽtibus cõcreta ſit. Quare materia & accidẽtia erũt elementa corporatę ſubſtãtię.Et quoniã elemẽta ordine naturę priora ſunt iis,quę ex ipſis cõponuntur,plerunq; etiam tẽporis ordine(Ea enim,è quibus noſtrũ coagmentatũ eſt corpus, & tẽporis & naturæ ordine priora ſunt noſtro corpore, & ideo ſublatis elementis,noſtrum corpus tollatur neceſſe eſt:ſublato autẽ noſtro corpore,elementa tolli non eſt neceſſe,vt ignem,aërem,aquam,terram) fiet,vt ordine naturæ accidentia priora ſunt,quàm corporata ſubſtantia. Quare ſublatis quidem accidentibus,perimitur & ſubſtantia(cùm enim tolluntur ea,ex quibus conſtat quidpiam, ipſum quoque perimi eſt neceſſe) ſed ſublata ſubſtantia,fieri poſsit,vt ea ſint,ex quibus componitur,nimirum accidentia. quod fieri non poteſt. Nam ex ipſa rerum natura, contrarium apud omnes eſt in confeſſo, quòd cùm perimitur ſubſtantia,ipſa ſecum accidentia perimit,vt quæ ſine ea, cui accidunt, conſtare nullo modo poſsint:cùm autem perimuntur accidentia, ſubſtantiam ipſa non tollunt.eſt enim Accidens,quod ineſt & abeſt ſine ſubiecti interitu : elementa autem quæ alicuius rei ſubſtãtiam complent,non adſunt & abſunt ſine illius rei interitu. ex ipſis enim illa conſtituta eſt.Non igitur elementa corporeæ ſubſtantiæ ſunt accidentia,neque omnino ex his eſt illa completa. Quòd ſi elementa corporis accidentia non ſunt, ex ipſis certè & materia corpus non conſtat.Quòd igitur fieri non poſsit,vt ex accidentibus & materia corpus componatur,abunde opinor,ex his,quæ diximus,confirmatum eſt. Quid igitur ad dubitationem hanc dicimus? Quòd quemadmodum non omnis qualitas eſt accidens,ſed eſt eſſentialis quędam qualitas.Nam differentias,vt rationis compos, aut bipes, in quæſtione, qua quæritur, quale quidque ſit,de formis & rebus ſingulis enuntiari dicimus.Vnde Ariſt.in categoriis,formas & genera,quia participant differentias,qualitatem dixit in ſubſtantia ſignificare.Neque enim is, qui in

igne est calor, etsi qualitas sit quædam, accidens est igni, sed essentialis eius & constituens differentia, neque grauitas in terra, neq; humidum in aëre, & aqua: non item dulcedo in melle, neque candor in cerusa, & niue, non globosa figura in cœlo. Aliôqui hæc adessent & abessent sine rei subiectæ interitu: quod fieri non potest. Nam ne cogitatione quidem sine calore ignem concipere possumus: aut niuem sine candore, aut cœlum sine globosa figura, aut quicquam eorum, quæ diximus. Quemadmodum igitur essentialis est qualitas, quæ non ad qualitatem, sed vt essentialis differentia ad substantiam refertur: sic sanè & quantitas est essentialis, cuiusmodi est maximè ipsum in tria diffusum interualla: hoc enim solùm est eorum, quæ in corporibus cernuntur, quod seipsum sustentet, & omnino corporis substantia, quod tumor est quidam tribus prędītus interuallis, magnitudine & paruitate indefinitus.

HVIVS autem in tria interualla diffusi prima, vt dixi, differentia, in magno posita est & paruo. Nam trium interuallorum in hunc vel illum modum extensione & contractione magnum & paruum ei, quod tria continet interualla, accedunt, & indefinitum ac vagum tumorem in finitionem ac terminum deducunt. Porrò, contractio & productio, neque ortum neque interitum corporis, quia corpus est, efficiunt, hoc est, eius in tria interualla diffusi, quod diximus. Nam magnum & paruum corporibus accedunt, & vicissim ab iisdem recedunt, hoc est, diffunduntur, ac contrahuntur corpora, cùm interim ipsum corpus, quia corpus est, in sua natura & ratione nullo modo efficiatur. Quare corporis omnino substantia, nihil est aliud, quàm indefinitum illud trium interuallorum, quod parui & magni differentia finitum, & formarum procreatrices differentias corporearum substantiarum excipiens, particulares corporum substantias absoluit, vt aquæ, ignis, solis, lunæ, & reliquorum omnium. His igitur ita constitutis, perspicuum est, quòd non est accidens quantitas illa trium interuallorum: adesset enim & abesset sine corporis interitu. Nunc autem nec mente quidem concipere possumus corpus sine diffusione trium interuallorum: hoc igitur substantia est corporis. Quare si corporis omnino substantia est, in tria interualla esse diffusum, & hoc solùm in corporum immutationibus manet immutatum, vt confirmatum est, nulla certè est ratio, quæ conuincat necesse esse, vt ipsi incorporea subiiciatur materia. Hoc itaque primum est naturalium omnium formarum subiectum, ex quo deinceps & substantialibus qualitatibus coniunctis, in naturam prodeunt qualitatibus affecta corpora, ignis, aqua, & reliqua: vt enim rationis expers & mortale per se quidem ipsa non constant, coniuncta tamen cum animali, hoc est, cum animata & sentiente natura, iam consistunt, & constant in natura (cum animali autem dico, non eo, quod genus est, sed eo, quod iam est in natura, quod etiam compositi pars efficitur) ad eundem modum, & qui in igne est calor, & quæcunque ignis complent substantiam sic & humidum & frigidum, quæ perficiendæ aquæ naturæ vim habent, quæ'que terræ & aëris characterem & formam continent: quæ differentię sunt corporis in simplici corpore, hoc est, in triplici dimensione diffuso consistentiam & naturam accipiunt. VI.

VII. VERVM, fortasse quispiam dicet, quòd primam materiam informem esse oportet. Quod autem tria continet interualla, informe non est, siquidem ipsum species est, & forma omnino, & absolutè dicti corporis. Eueniet igitur, vt informe non sit, quod naturalibus corporibus subiicitur, sed forma formis subiicietur. Cùm itaque (aiunt) necesse sit materiam, & primum subiectum formis omnino carere, quod triplici dimensione fusum est, materia esse non potest. Nos igitur hanc controuersiam dissoluentes, dixerimus: primùm quidem, quòd primam materiam, informem esse oportere, postulatum est, non demonstratio. Nam si omnino fieri non posset, vt quicquam, quod specie iam sit insignitum, alteri speciei subiiciatur, & eius sit materia, confiteri necesse haberemus, omnino informem & omni specie vacantem esse oportere omnium formarum cōmunem materiam. Nunc verò omnis, tum quæ naturâ, tum quæ arte perficitur procreatio, non informem, sed specie instructam materiam ad propria opificia, vt adparet, adsumit. Nam ligna formâ iam & specie insignita, materiam artificiali ex ligno supellectili suppeditant: eodem modo æs ei, quæ ex ære arte conficitur. At verò & in naturalibus partes animalis dissimilis naturæ, aut quod ex ipsis componitur corpus, quod specie informatum est, omnium consensu, vitalium animæ facultatum materia esse dicitur. Et elementa eorum sunt materia, quæ ex ipsis componuntur. Et qui hisce proportione respondent succi, nostro corpori suggerunt materiam: ipsum verò triplici constans dimensione, si non primam materiam, secundum certè subiectum & continentem esse materiam omnium naturalium formarum ipsi quoque confitentur. Quod enim aliquibus suggerit materiam, oportet id nullam eorum formam habere, quorum est materia: æs enim, quod ad naturæ & substantiæ suæ rationem attinet, nullam eorum continet formarum, quas suscipit. Et succi, qui carnis, neruorum, ossiū, & reliquarum animalis partium sunt materia, nullam earum formarum continent, quæ harum rerum substantiam complent, quibus materiam suppeditant. Et hac ratione omnis materia informis dici possit, cùm nullam earum formarum contineat, quas suscipit. Non tamen prorsus omni forma vacuam esse necesse est. Siquidem continens omnis materia vsque ad ipsum triplici interuallo diffusum forma & specie est insignita. Sic ipsum triplici præditum dimensione, quia ab omnibus formis, quibus subiicitur, diuersum est, informe propterea dici possit, & omnium materia: non tamen quia species insit aliqua, ideo protinus est necesse, vt prima materia esse non possit. Neque enim fieri potest, vt res vlla sit, quæ omnino sit informis. Nam si in rebus, quæ sunt, vlla esset omnino talis, necessariò oporteret, aliquam esse naturalem rationem naturæ, & essentiæ eius, etiamsi nobis esset inexplicabilis. Nam si nullam habeat rationem, qua consistat & sit, in rebus, quæ sunt, esse nullo modo potest. Vnaquæque enim earum rerum, quæ sunt, rationem aliquam habet naturalem, per quam ipsa constat in natura. Quòd si verum hoc est, nihil est certè in his, quæ sunt, quod specie vacet, & sit informe. Nam naturalis cuiusque rei ratio, per quam ipsa est, species est cuiusque, & substantia; & contrà, quæ vniuscuiusque rei substantiam complet species, ratio est quædam naturalis, per quam habet, vt sit. Et materia igitur, si

nomen

nomen non est inane, sed res est aliqua naturalis, quæ sit & constet, rationem habeat necesse est, per quam sit. Vniuscuiusque autem rei ratio, forma eius est, & substãtia: & materiæ igitur ratio, per quam est, species ipsius est & substantia. Non igitur fieri potest, vt modis omnibus forma vacet materia: hoc enim ipsum est perinde, ac si prorsus ipsa non esset, vt iam diximus. Nam quod suæ essentiæ nullam rationem habet, id in iis, quæ sunt, omnino non est. Quare nihil vetabit, quin quod tria hàbet interualla, prima sit materia, etsi ipsum specie aliqua insignitum sit, & non informe. Contrarium enim nostra comprobauit oratio, quòd fieri non potest, vt quicquam in numero sit eorum, quę sunt, quod omnibus formis omnino sit viduatum. Porrò, cùm dicimus, id quod tria habet interualla, formâ esse insignitum, non compositum ipsum dicimus, sed simplicissimum. Non enim ex subiecto & forma cõstat, sed ipsum simplex est tumor quidam, qui in hoc ipso habet, vt sit, & reliquis omnibus subiicitur. At verò neque tribus produci interuallis speciem nobis vllam præbet compositionis. Nam si ex planis seu extremitatibus corpora constarent, vt Plato dicere videtur, aut omnino ex lineis, quod tribus interuallis dirimitur, simplex non esset. Sin autem hoc fieri non potest, & probatum est, quòd non aliud quicquam & subiicitur, quod tribus productum est interuallis, sed ipsum omnium est subiectum, perspicuum est certè, simplicissimum esse & omnium materiam, quæ nulla ex re nacta sit compositionem: his ita constitutis, cùm quod tribus dirimitur interuallis, seipsum sustentet, nec vlla in ipso cernatur esse mutatio, nulla certè est ratio, quæ conficere posit, incorpoream aliquam materiam naturalibus subiici corporibus, sed in ipsum necesse est naturalia dissolui, vt in id, quod est extremum, seu subiectum primum, seu materiam, ipsum appellare placeat. Nam in nominibus non ambitiosè altercabimur.

IAM verò non solùm nulla demonstratione eos niti dico, qui de incorporea materia hypothesin posuerunt, cùm rationes, quibus id sibi in animum inducebant, reprehensæ sint. Sed permulta iam absurda hanc consequi hypothesin asseuero, quibus eam falsam esse intelligitur. Nam si rerum mutatio in incorporea materia fiat, quæ facultate sit omnia, & ob id vna & eadem permanens, natura sit idonea verti in quamuis speciem, in eadem certè prima magni & parui fiet mutatio: vt nimirum Platoni, & reliquis materiam ponentibus est visum. Nam si in eo, quod tribus distinctum est interuallis, parui & magni mutatio fieret, ipsum immutatum permanere esset necesse, atque idem primum esse subiectum, in quod extremum naturalia dissoluuntur. Quare si hoc primam materiam esse nolunt, sed huic incorpoream subiici materiam, omnino est necesse, vt in hac prima omnium penes magnum & paruum commutatio fiat. Quid ergo? nihílne refert, si cuiuis corpori subiecta corpore vacans materia, in quamlibet magnitudinem, seu magna, seu parua ea sit, commutetur, vt nimirum quęlibet materia, quemlibet tumorem atque molem suscipere posit, an verò permultùm refert? Nam si nihil refert, quæ cyatho aquæ incorporea subiecta est materia, in totam aëris molem commutari potest: & vicissim, quę toti aëri subiecta est materia, in cyathum aquæ commutabitur. Nam si quia incorporea VIII.

est,& facultate omnia,ipsi nihil refert, si in quantamlibet magnitudinem commutetur, cur quæ cyatho aquæ, verbi causâ, subiecta est, in sextarium potiùs aëris commutetur, quàm in molem centum partibus maiorem, & omnino, quàm in totam aëris magnitudinem. Sin verò permultùm refert, si quæuis corpore vacans materia, quamuis magnitudinem suscipiat, quoniam neq; rei euidentia id fieri testatur (in certas enim & finitas magnitudines corporum mutua fit commutatio, cùm vnicuique vna & eadem subiecta sit materia, nimirum prima) eorum de materia decreta euertentur, cùm nos alias in alia materia differentias esse constituamus. Nam nisi alia materia, aliis comprehensa sit differentiis, cur quæuis materia quamlibet magnitudinem suscipere non potest? vt enim, quia aliqua forma, quæ ipsi innata sit, occupata non est, sed ratione sua naturaliter est informis, quamlibet formam in se recipere potest: sic planè quia non vlla magnitudine esset occupata sua ipsius ratione, sed magnitudine & corpore vacaret, & facultate esset omnia, in omnem magnitudinem eadem posset commutari: commutabitur igitur cyatho aquæ supposita corpore vacans materia, in sexcentos, verbi gratiâ, aëris cyathos, aut etiam in totam aëris molem. At, quid hoc dici potest obtusius? Nam etsi pusillum aquæ in aërem multò ampliorem commutetur, non tamen nulla adhibita finitione in quantumlibet, sed ad certum aliquem modum vniuscuiusque magnitudinis diffusio fit & rarefactio. quoniam igitur si incorporea & magnitudine vacans materia esset, & facultate omnia, & in ea magni & parui fieret immutatio, in quamlibet magnitudinem extendi posset, non tamen in quamuis mutari cernitur, efficitur certè, vt neque corpore neque magnitudine vacet. Neque enim linea est aut extremitas. non solùm autem, non in quamuis magnitudinem, verùm neque in quamlibet formam omnem materiam commutari cernimus. Nam acino fici subiecta materia, nunquam eadem permanens, humanam aut elephantinam formam in se receperit. Comprobatum est enim in primo physicæ Auscultationis, quòd non quæuis magnitudo, cuiusuis formæ capax est: sed cuiusque formę capax magnitudo pręscripta est, & finita, tum paruitate, tum magnitudine. Neque enim fieri potest, vt verbi causâ, digiti magnitudine sit homo, neque qui magnitudine ad Lunam vsque perueniat, neque verò in dissimilium partium animalibus & stirpibus hoc tantùm est verum, sed in rebus etiam partium similis naturæ, vt in igne, aëre, terra, & in compositis, vt carne, sanguine, vena, & reliquis omnibus. Neque enim in quauis magnitudine, vt verbi causâ, in acini mole, carnis species cohærere possit, neque aqua, neque cuiusquam similis. Non enim quemadmodum nagnitudo in infinitum diuidi potest, sic & formæ in immensum diuidi ita possunt, vt suam substantiam retineant. Verùm vbi præscriptam formæ à natura magnitudinem excesserint, protinus & forma interit. Nam si aquã multùm diuisione secueris, in aërem ea transibit, vbi diuisio aquæ naturam & substantiam superauerit supra modum à natura definitum. atque in reliquis eadem est ratio. quanquam si incorporea esset & magnitudinis expers, quæ acino supposita est materia, & facultate omnia, quid vetaret perempta acini forma, ex ipso carnem, verbi gratiâ, aut hominem fieri,

fieri,aut aliud quiduis? Nimirum tum in formam,tum in formæ conuenientem magnitudinem ipsa commigrante,nulla facta accesſione. Nam etſi ex acino ficus procreetur, priùs tamen acceſsio facta eſt magnitudinis, & eius materiæ,quæ accedenti magnitudini ſubiecta eſt. Fico autem accedit magnitudo & materia,tum ex irrigante aqua,tum ex adiacente & nutriente terra. Itidem etſi è paruo ſemine procreetur homo:attamen menſtruum ſanguinem natura retinens, huius additione & ipſum nutrit, & in naturalem magnitudinem fœtum deducit,dum quæ menſtruo ſanguini ſubiecta eſt prima materia, ad materiam accedit coniecti ab initio ſeminis.Quoniam igitur eadem manens,aut acini aut ſeminis corpore vacans materia,nunquam formam in ſe receperit,aut ficus,aut hominis, perinde vt perempta vnius cyathi aqua, nulla facta acceſsione fit aër, & panis caro, & vinum ſanguis, perſpicuum eſt, quòd non quamlibet formam quæuis materia corpore vacans excipere poſsit:quoniam non in quamlibet magnitudinem quæuis materia commutatur. Cùm igitur, ſi corpori vacans manet, & magnitudinis expers, quæ vnicuique corpori prima ſubiecta eſt materia, fieri poſsit, vt cuilibet magnitudini ſubiecta materia quamlibet magnitudinem & formam in ſe recipiat, quia corpori vacans eſt,& modis omnibus expers formarum,& facultate omnia(hoc autem fieri non videmus)falſum eſt certè corpore vacātem materiam, & formam expertem,rebus ſubiici.In eo autem,quod tribus continetur interuallis,ſiquidem hoc ſit materia & formarum naturalium ſubiectum primum,vt priùs neceſſaria ratione confecimus, non item eſt neceſſe, vt quidlibet in quiduis commutetur,neque magnitudo,neque forma. Contrahi enim & diffundi magnitudo naturâ poteſt,verùm certam ac finitam vniuſcuiuſque tum contractionem,tum diffuſionem eſſe eſt neceſſe. Magnitudinis enim in magnitudinem fit commutatio, non incorporei in magnitudinem. Cùm igitur duæ proponuntur magnitudines,aquæ,verbi gratiâ,quarum vna ſit dimidia, altera dupla, & vtraque rareſcens in aërem commutatur, minor pars in minorem aëris portionem, maior in maiorem neceſſariò commutabitur, & quam rationem inter ſe habent in magnitudine, quæ aquæ portiones in aëris conuerſæ ſunt,eandem proportionem aëris moles ex ipſis factas retinere eſt neceſſe. Meritò autem neq; ad quamlibet formam quælibet magnitudo erit idonea,quia à natura ſit definitum,in quanta magnitudine vnaquæque forma conſiſtat:& primum ſubiectum id ſit, quod tribus diducitur interuallis, & res vnaquæque certa aliqua magnitudine eius, quod tres habet dimenſiones, ſit occupata.Nam etſi ratione ſua infinitum ſit,quod tribus protrahitur interuallis: tamen cogitatione tantùm, & conceptione animi, non actu & reapſe eſt infinitum,vt animal omnino ratione ſui diuerſum eſt,tum à rationis participe,tum à rationis experte: non tamen ſine horum aliquo conſiſtit. Omne enim animal, quod in natura conſtat, aut rationis eſt compos, aut ratione vacat. neque verò quia infinitum eſt, quod in tres protrahitur dimenſiones, aut qualitate vacans, ideo incommutabile ipſum eſſe dico:ſed tantùm, quia moles eſt in tria interualla diffuſa: hoc enim ſolùm in ortu & interitu corporum incommutatum permanere videmus.Quatenus autem indefinitum eſt,aut qualitate vacans,non

eſt incommutabile. Nam & ex paruo magnum, & viciſsim ex magno paruum efficitur, & omnem immutat qualitatem. Atque indefinitum id dico, quod tribus dirimitur interuallis, non quod in quantam maximam quis magnitudinem mente conceperit, commutari poſsit. Finita eſt enim & circunſcripta totius Mundi magnitudo: neque fieri poteſt, vt quicquam ſit in natura Mundo maius: ſed quia naturâ poteſt idem diffuſum & cõtractum aut maius aut minus omnino fieri. Finita eſt igitur & ad maximum, & ad minimum eius, quod triplici conſtat dimenſione, contractio & profuſio. Nam etſi facultate in infinitum diuidi poſsit magnitudo, non tamen propterea protinus in infinitum etiam contrahi poteſt. Nam vbi in id, quod denſiſsimum eſt, compreſsione contractum fuerit, vt in terram, tum deſinit contractio. nam ſi in infinitum idem quis contrahi poſſe dicat, tota certè terra magis ac magis denſior facta, ad acini magnitudinem contrahi poterit: nunc autem hoc fieri non poteſt. Nam ſi id fieri poſſet, etiam contraheretur: quanquam in infinitum facultate diuidi poteſt, vt magnitudine prædita. Verùm contractio & compreſsio aliud quiddam eſſe videntur, quàm partitio. Nam facultate quidem magnitudines diuiduntur in infinitum, non tamen in infinitum contrahuntur, ſicut in infinitum nihil diffunditur: hoc enim, vt dicamus, ipſa rerum euidentia nobis ſuggerit. Oportet enim (opinor) eum, qui de naturę rebus diſſerat, non comminiſci, aut confingere rationes, quæ rebus ipſis parum conſentiant: ſed iis, quæ adparent, verba conſentientia & conuenientia de iiſdem producere decet. Qui igitur materiam corpore & partibus vacantem, & omnino informem, & facultate omnia eſſe proponunt, cauſam haud dicent, cur tandem, quæ huius magnitudinis pani, vt verbi cauſâ dicatur, ſubiecta eſt materia, in tantam ac non maiorem carnis magnitudinem commutetur: & cur cyatho aquæ ſubiecta in tantam aëris molem commutetur: aut cur carnis quidem formam recipere poſsit, equi autem aut elephantis non item, niſi aliqua fiat acceſsio. Nam quod corporis & partium expers eſt, & facultate omnia, ſi corporis naturam recipere, & corporatum fieri poteſt, quid externa acceſsione magnitudinis eſt opus, vt in tantam magnitudinem, aut talem formam commutetur? Qui autem quod tribus conſtat interuallis, materiam primam eſſe ponunt, ídque nimirum neque informe, neque partium expers (ipſum enim forma eſt omnino corporis, & prima magnitudo) ii cauſas expeditè reddere poſſunt, cur non quiduis in quamlibet aut magnitudinem, aut formam commutetur ſine vlla additione. Nam cùm neque ſine magnitudine, neque ſine partibus id ſit, quod in tria protrahitur interualla, ſed in partes diuiſibile, totum profectò ſua parte maius eſt. Quòd ſi hoc eſt verum, & contractio atque productio corporum, non in incertas, ſed in definitas magnitudines fiunt, vt probatum eſt, certè neceſſe eſt, maiorem eius, quod in tres dimenſiones protrahitur, partem diffuſam in maiorem magnitudinem commutari, quàm minorem. Et quoniam vnaquæque ſpecies in aliqua magnitudine finita cohæret, vt probatum eſt in Phyſicis, neceſſe eſt, neque in quamlibet ſpeciem, quamlibet magnitudinem immutari: quoniam neque in quantamuis magnitudinem, ſi nulla fiat acceſsio, immutatur. Quòd ſi cùm id quod triplici dimenſio-

mensione distinguitur, subiectum & materia esse dicitur, par est, vt non in quamuis magnitudinem extensio fiat & contractio corporum: cùm verò incorporea & informis materia ponitur, fit, vt in quantamlibet magnitudinem quiduis commutetur: hoc autem & falsum est, & eiusmodi, quod fieri non posit, intelligitur certè, non in materia quadam incorporea & informi, tum contractionem, tum protensionem effici magnitudinis. Quare falsum est, corporis expertem materiam rebus subiici. Prætereà, si corporis est expers materia & magnitudine vacans, atque vna & eadem omnium, ac non plures materiæ: diuisa autem & seiuncta à se inuicem naturalia sunt corpora, vt aqua ab igni, & homo ab homine, & equo: &, vt omnino dicam, vnumquodque corpus, quod in natura constet, à reliquis omnibus est seiunctum, quî fieri potest, vt & corpore & magnitudine vacans materia, eáque vna in differentia & singula dispertiatur? Nam quod incorporeum est, & sine magnitudine, id necessariò partium expers est. Neque enim idem in materia vsuuenire potest, quod, verbi causâ, in qualitate. Incorporeus enim est candor, & omnis qualitas. Verùm, quoniam ipsa per se qualitas sustentari non potest, sed in subiecta aliqua magnitudine constat, ipsam vnà cum excipiente magnitudine extendi est necesse. Materia autem non in magnitudine habet, vt sit, neque omnino in alio sustentatur: contrà enim, omnium subiectum & receptaculum ipsam esse palàm omnes affirmarunt. Quî fieri igitur potest, vt quod incorporeum est, &, vt ita dicam, impartibile, in partes diducatur? Sed quis diuisionis modus esse posit? Nam quæ diuiduntur, aut, vt genus, in species diuiduntur, vt animal in hominem, & beluam: aut vt species in indiuidua, vt homo in Socratem & Platonem (atque haud scio, an huic quisquam diuisionis nomen tribuere velit) aut vt totum in partes, vt Socrates in manus, pedes, & caput, & reliquas partes, vel lignum decem pedum, in decem ligni partes singulas vnius pedis, aut vt ambigua vox in differentes significationes, vt vox canis, in eum, qui astrum constituit, in terrenum, & in marinum. Iam verò vt genus in species materia diuidi nullo modo potest. Genera enim differentiis formarum efficientibus in species seu formas diuiduntur, materia autem ex eorum sententia, qui ipsam ponunt, prorsus est informis. Quare differentiam, aut constituentem, aut diuidentem nullam habebit, & ob id neque vt genus in formas diuidetur materia. At verò neque vt species in indiuidua. Nam quæ ad eandem speciem referuntur indiuidua, differentiis quibusdam à se inuicem seiunguntur. Homo enim ab homine, & equus ab equo est differens. Duo enim indiuidua modis omnibus eadem, & nullo discrimine disiuncta esse non possunt. Si igitur materia in indiuidua secatur, omnino à se inuicem different differentiis quibusdam, quæ sub eandem materiam referuntur indiuidua. Et aliôqui numerum & multitudinem sine differentia constare, eorum est, quæ fieri non possunt. Si igitur alia aliis numero incorporea materia subiicitur (siquidem plura sunt, & à se inuicem disiuncta, quæ materiata sunt) plures certè numero incorporeas materias esse oportet. Alia est enim, quæ Socrati subiecta est corpore vacans materia: & alia, quæ Platoni, & quæ huic ligno, & quæ huic equo. Quòd si numero plures sunt corpore vacantes materiæ, non

certè ſunt indifferentes. Quî fieri igitur poteſt,vt informis ſit illa materia,cuius partes differentiis quibuſdam inter ſe differunt? Rurſum autem indiuidua ipſa quidem,quatenus ſunt eiuſmodi,diuidi non poſſunt.Socrates enim ſi diuiſus fuerit,non erit Socrates:materia autem diuiſa,adhuc eſt materia.Nam cùm diuiditur lignum,vnà diuiditur & ipſi ſubiecta incorporea materia: manet tamen nihilominus,quæ in vnaquaque portione eſt materia.Non igitur ſic diuiditur materia vt in indiuidua diuidi ſpecies ſolet.At verò neque vt vox ambigua in differentes ſignificationes diducetur,vt mus,tum marinus,tum terrenus.Neq; enim vox eſt tantùm ambigua. Quòd ſi materia vox ſit ambigua,hoc modo iterum efficietur, vt informis non ſit: quia pars eius vnaquæque propriam quandam ſignificationem & naturam ſuam habebit.Omnia enim ambigua ſunt eiuſmodi;Canis enim,vox eſt ambigua.Verùm aliud quiddã in terreno cane ſignificat, & aliud in marino,& in cœleſti item aliud.Quare homonyma omnia differentiis ſpeciem procreantibus inter ſe differunt. Si igitur, vt vox ambigua in diuerſas ſignificationes diduceretur materia,omnino eſſet neceſſe, membra eius differentiis ſpecie differentibus à ſe inuicem differre, quomodo non informis ampliùs eſſet materia? Non igitur vt vox ambigua in diuerſas ſignificationes materia diſtrahitur. Supereſt ergo , vt ſicut totum in partes, ipſa diuidatur. Verùm ſi in partes diuerſæ naturæ diuidetur ſpecie & forma, tum ipſam, tum partium vnamquanque inſigniri eſt neceſſe. Nam totum informatum eſt,vt homo, aut hominis corpus, & partium item ipſius vnaquæque, vt caput, vt pes,& reliquæ. Sin autem in partes ſimilis naturæ, quî fieri iterum poteſt,vt quod corporis & partium expers eſt, diuidatur, & aliôqui totius in partes diductio,corporis eſt & magnitudinis,ſeu ex ſimilibus ſeu ex diſsimilibus partibus totum conſtet? Nam quod corporis & magnitudinis expers eſt,partitione vacat. Quare non totum habebit & partem. Nam ſi totum & partem haberet materia,magnitudo eſſet & corpus.Non igitur magnitudinis expers erit & corporis, & ob id neque informis. Non enim forma vacat magnitudo,aut corpus. Atque adeò quod abſurdius eſt, adhuc eueniet. Non enim ſolùm fiet,vt qui materiam corpore & forma vacãtem ponunt,id in partes diduci poſſe ponant, quod partibus vacat,ſed etiam,vt dicant id quod partium eſt expers, cauſam eſſe rebus partium expertibus,vt diuidantur.Nam cùm formarũ queq; ſit natura ſua & ratione incorporea,& partibus vacans,vbi in materia & ſubiecto conſtiterit,vnà cum ipſo extenditur & diducitur in partes, vt paulò antè de candore dicebamus. Vnde fit, vt formis partium carentibus partitionis cauſa fiat materia.Atq; hoc ipſi quoque concedere non dubitant.Quî fieri igitur poteſt, vt ſi partibus vacat materia,in partes ipſa diuidatur, & partium expertibus formis cauſa ſit partitionis? Quòd ſi quod partibus vacat,ita partibile efficitur, vt ipſum affectionẽ aliquam in ſe recipiat: quæ autem partium expertes ſunt formæ, ſua ratione, tum cùm ſunt in materia,partibiles efficiuntur, huius autem affectionis cauſa eſt materia, eiuſdem certè affectionis,hoc eſt,partitionis efficiẽs cauſa erit in materia. Quare informis materia non eſt. Nam quod efficiens eſt, vi aliqua & ſpecie efficiens eſt. Hinc igitur perſpicuum eſt ipſum in tria interualla diffuſum, rerum omniũ

ſubie

subiectum esse & materiam. Quod cùm naturâ in partes diduci sit aptum, formis, quæ in ipso cohærent, partitionis & extensionis causam præbet. Hinc etiam species in indiuidua secantur, non quòd ipsę per se diducantur in partes, sed quòd vnà cum subiecto, quod diduci in partes est aptum, simul diuidantur. Id enim naturâ partitionem per se refugit, quod est incorporeum. Sed cùm subiectum, hoc est, id, quod triplici constat dimensione, in quo ipsę consistunt, diuidi posit, & totum in similis naturæ partes sectionem admittat, fit, vt quæ in ipso sitę sunt formæ & species (quia vnà cum ipso in interualla protrahuntur, propterea quod in eo sunt, quod ipsum fusum est in interualla) vnà cum illo necessariò diuidantur. Quòd si quis dixerit materiam, cùm priùs affecta quantitate fuerit, & corporis naturam receperit, tum demum fieri partibilem, nihilominus hoc quoque modo in quæstionem adducemus, vtrum, cùm ipsa incorporea materia immutata fuerit, facta statim est corpus & magnitudo? An verò corporis speciem ita recepit, vt incommutabilis & incorporea remanserit? Vt magnitudo, cùm carnis, verbi gratiâ, formam receperit, nihilominus adhuc est magnitudo, & manet immutata, & eodem modo se habens: & caro, cùm candida aut nigra est effecta, nihilo magis aut minùs est caro, quoniam ex candore aut nigrore, quia caro est, nulla in re est immutata. Si igitur incorporea manet materia, etiã posteaquam corporis speciem recepit, manet adhuc dubitatio, quî fiat, vt quod incorporeum est, & partibus vacat, in partes diducatur, & partium expertibus partitionis causa efficiatur, ipsa partibus vacans & incorporea? Sin autem ab incorporeo recessit, & iam effecta est corpus, & magnitudo, non ampliùs erit incommutabilis: & ideo neque ortus expers neque interitus. Et alioqui, si cùm esset incorporea, immutata est, & effecta corpus, omnino est necesse, aut aliquando actu incorpoream ipsam fuisse, & posteà factam fuisse corpus, aut nunquam actu fuisse incorpoream. Quòd si actu incorporea fuit aliquando, posteà autem immutata, facta est corpus, primum quidem corpus ipsum posit iterum fieri incorporeum, deinde quia non remansit incorporea, interiit. Quòd si interiit, quod incorporeum est, ortum etiam habuit necessariò. Nihil enim eorum, quæ intereunt, ortu caret. Quòd si hoc est verum, modis omnibus est necesse, aliud quidpiam materiæ esse subiectum, per ea, quæ priùs probata sunt, in quod quod aliquando incorporeum est, & aliquando corporeum, immutetur, idque prorsus neque corpus erit, neque incorporeum: siquidem tum corpori tum incorporeo subiectum est. At verò inter corpus & incorporeum nihil interiectũ esse potest: quia in contradictione nihil est medium. Quod enim est incorporeum, nullo modo corpus est. Fieri autem non potest, vt quidpiam idem neque corpus sit, neque non corpus. Hæc enim repugnant. Nihil autem neque in iis, quæ sunt, neque in iis, quæ non sunt, se effugisse gloriabitur contradictionis & repugnantię legem. Quare fieri non potest, vt aliud quicquam corporis vacans, materiæ subiiciatur. Hoc enim ne Græcis quidem ita esse videtur. Quare fieri nõ potest, vt materia, quæ aliquando actu incorporea sit, à tempore immutetur, & fiat corpus. Quòd si nunquam actu materia incorporea fuit, infinito tempore facultate erat incorporea: &, si facultate incorporea, actu corpus tempore infi-

nito.Nam quod facultate eſt incorporeum,id niſi actu ſit corpus,neque incorporeum erit, neque corpus. Hoc autem fieri non poſſe modò docuimus: ſiquidem repugnantia eſt contradictionis,corpus eſſe, & non eſſe. Vt autem quæ ita pugnant,ſimul ſint vera fieri nullo modo poteſt. Sin autem actu corpus eſt materia tempore infinito, ſi corpus quidem, quia corpus eſt, incommutabile manet,docere non poterunt,an omnino incorporea facultate materia naturalibus corporibus ſubiecta ſit.Confirmatum eſt enim in principio huiuſce argumẽti, quòd ſi qualitatis expers corpus ſit incommutabile,hoc eſt,neque gignatur,neque intereat, ipſum extremum eſſe naturalium rerum ſubiectum, & primam materiam eſt neceſſe. Quòd ſi ipſum corpus, quia corpus eſt, mutari affirmabunt,neceſſe eſt, neque quatenus incorporea eſt materia, ipſam eſſe incommutabilem: ſiquidem ſecundùm propriam naturæ rationem non remanſit incorporea,neque quatenus corporata eſt: ſiquidem & corpus, quatenus corpus eſt, commutatur.Quare materia nullo modo eſt incommutabilis, neq; eſt futura. Neque enim idipſum,quod natura eſt,hoc eſt,incorporea,remanſit immutata, neque quod facta eſt, hoc eſt corpus: ſiquidem ipſum quoque immutatur.Verùm ſi, quod ſæpe diximus, fieri non poteſt, vt primum ſubiectum immutetur, fieri certè nõ poteſt,vt infinito tempore incorporea facultate ſit materia.Quòd autem neque actu,id verò probatum eſt. Nullo igitur modo accidere poteſt,vt corpore vacet materia. Adde his, ſi prima corporum materia ſit incorporea, cùm formæ quoq; omnes ſint incorporeæ (Hoc enim vt verum in confeſſo eſt apud omnes)quî fit,vt duarum rerum corpore & partibus vacantium compoſitio ei,quod ex ambobus conſtituitur,magnitudinem tribuat,& corpus?Nam ſi infinita partibus vacantia componantur,magnitudinem nõ efficiunt,vt puncta, quî fit,vt duarum rerum partibus vacantium,hoc eſt, materiæ & formæ compoſitio, magnitudinem & corpus effecerit? Quòd ſi dixerint facultate corpus eſſe materiam, etiam ſi ſit incorporea, ſi ſemper quidem facultate corpus eſt, nunquam certè actu erit corpus. Quod ſi eſt verùm, actu incorporea eſt. Nam quod facultate quidpiam eſt, dum facultate tantùm fuerit, actu idipſum eſſe nullo modo poteſt. Aqua enim, dum facultate tantùm erit calida, actu calida non erit.Si igitur facultate ſemper corpus eſt materia,actu ſemper erit incorporea.Manet igitur dubitatio, quomodo incorporeum incorporeo coniunctum, magnitudinem facit,& corpus:& alioqui ſi ſemper facultate eſt corpus,& actu nunquam corpus efficitur,fruſtra facultatem habebit,quę nunquam in actum progrediatur. At verò ſempiternorum nihil infinito tempore tantùm eſt facultate vt etiam Ariſtoteles cenſet.Nam in iis, quæ gignuntur & intereunt, facultate,quidpiam eſſe poteſt,quod in actum non progrediatur, quia interitus facultatis perfectionem & actum anticipet.Nam cùm omnem diſciplinam accipere homo poſſit,non omnem recipit,quia morte præuentus, in actum non deducitur.Et lignum,cùm facultate nauis ſit,aut ſedes, non prorſus id actu efficitur. In ſempiternis autem (inquit Ariſtoteles) fieri non poteſt, vt quicquam infinito tempore ſit tantùm facultate: fruſtra enim facultatem habebit, quæ nunquam prouehatur in actum.Non igitur fieri poteſt, vt materia immenſo tempore facul-

cultate sit corpus. Quòd si cum facultate corpus esset, aut aliquando actu facta est corpus, aut actu semper est corpus, eadem iterum dicemus. Nam si corpus incommutabile esset, quatenus est corpus, nulla ratione necessaria conficient, aliquam corporibus subiici corpore vacantem materiam. Sin etiam corpus immutatur, nulla ratione immutabilis est materia, neque quia corpore vacabat, neque quia facta est corpus. Quòd si incommutabilis non sit, aliud quidpiam ipsi subiectum erit, & materiæ materiam cogitatione concipiemus. Et in illa iterum simili dubitatione hæsitabimus: atque absurdum excrescet in immensum. Atqui naturalium rerum subiectum primum neque mutari potest, & ab eo, quod est, dimoueri: neque aliud quicquam ipsi subiici: aliôqui primum subiectum ampliùs non sit futurum. Hinc igitur est perspicuum, quòd fieri non potest, vt materia corpus sit facultate. modò autem demonstratum est, quòd neq; actu neque facultate incorporea esse potest: & præterea, quòd neque informis esse potest, quia nullo modo vsuuenire posit, vt in iis, quæ sunt, res vlla sit informis. Nam quod nullam rationem habet suæ naturæ atque essentiæ, id perinde esse docuimus, atque id, quod nullo modo sit. Cuiusq; autem naturæ ratio eiusdem species est & forma. Animal enim mortale, rationis compos, ratio est, & forma naturæ hominis. His igitur omnibus rebus palàm effectum est, neq; omnino informem, neque incorpoream materiam primam esse posse. Vanam igitur fabulam & postulatum sine probatione eam hypothesin esse docuimus, quæ de incorporea & informi materia proponitur: vel si sexcenti Platones, & totus veterum catalogus hanc de ea opinionem introduxerint. Nulli enim credere animum inducemus, qui ab ipsa ratione probationem non proferat. Si ipse te dicentem non audis (inquit Plato) alteri dicenti nunquam credideris. Reprehensiones igitur informis materiæ, quæ reuera in his, quæ sunt, nulla est prorsus, hîc finem inueniant: cùm reuera spurias, & tales quæ esse non posint, de ipsa cogitationes esse adparuerit. Quoniam igitur de materia illorum hypothesis falsa est comprobata, & ea, quæ stare non posit, quæ sanè falsum hoc principium consequuntur, euerso principio vnà reprehensa esse constat. Et ideo fortasse superuacaneum fuerit, quicquam præterea in propositum argumentum disputare. Nos tamen hanc hypothesin de materia, istis condonantes, seu corpus, eam qualitatis expers esse quis velit, seu incorporeum esse statuat, ad propositi vndecimi argumenti inquisitionem orationem nostram conuertamus. Est autem, vt paucis comprehendam, eiusmodi.

MATERIA, inquit, cùm non temere, sed ex aliqua causa constet, alicuius est gratia: atque hoc ipsi sua est natura. Nam procreationis & ortus est gratia. Est igitur procreatio id, cuius gratia illa est: quod autem alicuius est gratia, & id cuius gratia in his sunt, quæ inter se comparantur. Quæ autem inter se comparantur, simul habent, & vt sint, & vt non sint. Ex quo igitur est materia, est & procreatio. Nam materia, formæ est materia, & forma, materiæ est forma. Vnde fit, vt vbi primùm est materia, protinus sit & forma, & in eadem sint formæ. Non enim inordinatæ congeriei & formarum priuationis causa est materia, sed ornati ordinis, & formarum effectionis. Quare si materiam, vt & pro- IX.

creationem,sempiternam esse est necesse,formarum etiam effectio erit sempiterna: & Mundus igitur est sempiternus. Quòd autem materia sit sempiterna, hinc est perspicuum.Nam si nasceretur (inquit) & interiret, alia indigeret materia,ex qua gigneretur,& in quam perempta dissolueretur. Hoc autem rursus euenire est necesse,propter id,quod in nono argumento dictum est,quòd quicquid gignitur, ex aliquo gignitur, & ex nullo quicquam procreari nullo modo potest.Est autem Aristotelis argumentum:ipse enim hoc posuit in primo physicæ Auscultationis. Eiusmodi igitur proposita est oratio. Nos autem reliqua omnia concedentes,hoc vnum ex dictis inquiremus,an necessariò consequatur, vt si nascatur & perimatur materia,ipsa materiæ alterius indigeat?Hoc enim est absurdum,quod consequi ipsi putant. Quòd si consequens non esse ostensum fuerit,hoc est,non esse necesse,vt si materia gignatur,ipsa ortum habeat ex materia,nihil erit,quod prohibeat materiam non esse sempiternam,sed ortus habere initium. Cùm nulla igitur sit ratio, quæ ipsam sempiternam esse confirmet, fit,vt neque per ipsam confirmari posit,Mundum esse sempiternum, quòd vnà cum eius materia forma eius quoque constet.Nam ex eo,quòd materiam sempiternam esse sumpsit,Mundum quoque sempiternum esse conclusit.

X. PRIMVM autem de ipso audire operæpretium est, quomodo dixerit, quicquid gignitur, materia, vnde gignatur, indigere. An quia quod gignitur, ex materia, naturam atque essentiam suam ita accipiat, vt ipsa materia in eius, quod gignitur,substantiã commutetur,& illud ipsum fiat? An,quia quod gignitur,aliquo indigeat,quod subiiciatur, vt in illo suam naturã accipiat, quia ipsum per se sine subiecto constare minimè posit, vt literæ, verbi causâ, cera indigent vt constent, non quòd ceræ substantia ipsarum literarum natura efficiatur: sed quòd in ipsa, vt in quodam literarum receptaculo,naturam accipiant.& quemadmodum figura ære, aut alia indiget materia,vt sit, non quòd æs ipsum figura efficiatur, sed quòd in ipso figura cohæreat.Si prius igitur quisquam proponat, id iam à nobis in fine noni argumenti confutatum est. Atque inde accuratam horum doctrinam excerpere licet, nempe quòd subiecta formis materia, non statim ipsamet rerum natura efficitur, sed formarum tãtùm est receptaculum: vt in his quoq; Proclus à Platone mutuatus dixit. Nam æs permanens incommutatum figurarum fit receptaculum, & cera eorum, quæ inscribuntur. & in rebus omnibus naturalibus, quod triplici dimensione constat,in sua permanens natura,neque vllam subiens immutationem,quia tale est,omnium est rerum naturalium receptaculum.Nam si quod subiicitur,in eius quod gignitur,naturam commigrasset,non ampliùs in sua ipsius natura mansisset.ex quo enim mutatur quid,non ampliùs est in illo. Quare materiam,vt materia est, mutari accidisset, neque maneret materia. Hoc autem modo fiet, vt omnis de medio tollatur rerum immutatio:quia nihil superesset immutabile,vt ibi nos accuratè docuimus. Quare fieri non potest, vt materia in eius, quod gignitur, substantiam commutetur.Quòd si posterius necessarium esse asseuerabunt,quicquid gignitur, subiecto aliquo indigere & materia,quæ ipsius naturam excipiat:vt ob id necesse esse videatur, vt si materia gignatur, alia indigeat materia, non video vnde huius rationis

tionis necessitatem conficiant. Nam si quicquid gignitur, alio aliquo indiget, quod tale sit, quale ipsum est, vt nasceretur, consequens esset, materiam quoque siquidem gigneretur, alia indigere materia. Nunc autem hoc & falsum est, & eiusmodi, quod fieri non possit. Nam cùm omnia, quę gignuntur, composita sint ex materia & forma, prorsus est necesse, vt aut forma sit id, quod gignitur, aut materia, aut quod ex ambobus componitur. Si igitur quicquid gignitur, alio indiget, quod tale sit, quale ipsum est, vt procreetur, seu forma sit, quod gignitur, alia tali indigebit forma vt gignatur, atque illa iterum si gignatur, alia: seu compositum, alio indigebit composito simili sibi, vt procreetur, & illud iterum alio, si gignatur. vt igitur æs gignatur, ære indigebit, & vt album procreetur, albo itidem indigebit, & graue graui. Hoc autem est absurdum. In infinitũ enim ascendere est necesse, & hoc modo procreationem tollere. Fieri enim non potest, vt per infinita procreatio progrediatur, vt in lib. De ortu seu procreatione confirmauit Aristoteles. & præterquàm quod absurdum est, est etiam contra rerum ipsarum euidentiam. Contrà enim quicquid gignitur, non ex tali gignitur. Nam ex non ære æs progeneratur, & aqua ex non aqua, & ex non homine, homo. Quod ad materialem causam attinet, dico: nam de hac in præsenti nobis institutus est sermo. Etsi enim homo hominem generat, vnum est efficiens, alterum id quod efficitur. De efficiente autem causa hîc nobis suscepta non est inquisitio. Quicquid enim efficitur, ex efficiente causa effici est necesse, seu quod facit, simile sit ei, quod efficitur, seu sit dissimile. Etsi enim tritico triticum efficiatur, vt ab efficiente tamen causa efficitur: insunt enim eius, quod gignitur artifices rationis in coniecto semine, vt & in humano, & reliquis. Materiam autem tum irrigans aqua, tum adiacens terra suggerit: vt vterus menstruum suppeditat sanguinem: & ideo si aqua deficiat, non propter efficientem facultatem, sed propter materiæ penuriam, imperfectus fructus enascitur. Si igitur quicquid gignitur, è non tali gignitur, quod ad materialem causam attinet, vt homo è non homine, & ignis è non igne, & sciens è non sciente, seu compositum sit id, quod generatur, seu forma: nihil certè eorum, quæ generantur, alio indiget tali, quale ipsum est, vt generetur. Neque materia igitur prima & primum rerum subiectum, si procrearetur, alia indigeret materia & subiecto, vt gigneretur: neque enim quia formę indigent materia, vt gignantur, ob id materia, si procreetur, materię indigebit. Nam formæ, quia ipsæ per se constare non possunt nec seipsas sustentare, materia indigent, quę ipsas excipiat, in qua naturam & esse suum accipiunt. Materia autem, cùm omnium sit receptaculum, & primum omnium subiectum, alio non indiget ad sui consistentiam, quod ipsam excipiat. Formæ enim si ipsæ per se constare possent, materia nulla ipsis esset opus, cùm in naturam producuntur, sed sine materia producerentur. Quare si materia, quæ priùs non sit, initium capiat consistendi, alia materia & subiecto non indigebit, vt in ortum educatur, cùm ipsa primum sit omnium subiectum, quæ alio subiecto non indigeat ad consistendum: non enim in subiecto est materia, sed ipsa subiectum est. Quemadmodum enim hominis, verbi causâ, aut equi imago, ære indiget, vt consistat, æs tamen ære non indiget, vt æs producatur: sic & ex consecutione ne-

cesse est,vt in naturali procreatione, quæ in subiecto naturam suam obtinent, si gignantur,materia indigeant & subiecto,vt in illo gignantur,quia ipsa per se esse non possunt. Non tamen si subiectum ipsum & materia gignatur, subiecto aliquo & materia indigebit.Nam hoc modo subiectum non esset amplius aut materia,sed in subiecto esset & forma.Quòd si omnino materia opus habet aliquo, vt gignatur, specie & forma omnino illi erit opus. Quemadmodum enim quæ materiæ inhæret forma,sine materia esse non potest,sic materia vt materia est, sine forma stare non potest: quia ad se mutuò referuntur materia & forma, vt in his quoq; adfirmat Proclus. Quemadmodum igitur quod fit dextrum, dextro non indiget, sed sinistro,vt dextrum fiat, & sinistrum non sinistro, sed dextro indiget,vt sinistrum fiat,& in omnibus quæ cum alio comparantur,oppositum opposito indiget,vt fiat & constet:ad eundem planè modum materia quoque vt producatur, non materia, sed forma indigebit. Nam quæ cum aliquo comparantur, in mutua ad sese inuicem relatione habent, vt sint. Neque igitur materia sine formis,vt materia est, esse potest: frustra enim erit: neque formæ sine materia:non enim ipsæ per se sine materia constare possunt.Vtrunq; igitur altero indigebit, & non ipsum sui,aut similis.Quemadmodum igitur si dixerimus formas materia indigere, vt in ortum educantur, non efficitur propterea formas,quæ cohærent in materia,esse sempiternas, ab aliquo enim principio & incipere,& finem habere palàm cernuntur: sic neq; quòd formis indigeat materia,siquidem gignatur,sempiternam esse conficit.Nullo enim modo necessarium esse adparet, cur si generetur materia, materiæ ipsa indigeat, vt in ortum producatur: sed contrà potiùs, si gignitur materia, fieri non potest, vt alterius materiæ ipsi sit opus.Et aliôqui si quemadmodum materia omnino, affecta est ad formam omnino,sic materia quædam ad particularem formam affecta esse debet, materia autem omnino si gignatur, vt materia est, alterius indiget, certè materia quædam,si gignatur, vt materia est,materia indigebit. Quare si secundum falsum esse probatum fuerit, & fieri non posse, hoc est, materiam quandam,quando gignitur indigere materia, falsum certè erit,& primam materiam omnino,si vt materia est, gignatur,materiam desiderare, vt fiat materia. Materiam autem dico,quandam,vt verbi causâ,ædium,aut nauis materiam.Et in naturalibus, Socratis, verbi causâ,aut huius stirpis. Quòd igitur quædam materia gignatur, & non sit ortus expers, sed tunc gignatur & sit, cùm forma est, cuius est materia, ipsemet in his apertè asseuerat Proclus.Nam quædam, inquit, materia tunc materia est,cùm fuerit & forma: & ideo habilem eam ad opus efficiunt artifices,quæ nondum est materia.Et quantum progrediuntur in efficienda materia,tantùm accedit & formę.Non enim lapides formæ domus sunt materia priusquam politi,cæsi,& si opus sit adaptati fuerint,sed tum,cùm hunc ornatum acceperint. Cùm igitur materia reuera facti fuerint, iam tum temporis puncto forma comparet. Quare si quædam materia sempiterna non est, sed fit materia, aliqua autem materia quatenus efficitur materia, indiget materiæ, vt materia efficiatur, huius certè materia semper non est, sed tum demum, cùm illa fuerit,cuius est materia.Et ideo generari potest,& vt materia fiat,ipsa quoq;

tertia alia indigebit materia:& iterum,cùm sempiterna non sit(quia ne illa quidem,cuius est materia,sempiterna est,sed efficitur materia interdum)ipsa quoque quarta indigebit materia, vt materia efficiatur. Et iterum, quarta illa, cùm semper nõ sit,sed interdum materia fiat,alia indigebit quinta. Et illi iterum alia erit opus, idq; abibit in immensum.Quòd si hoc absurdum est,non sanè aliqua materia quatenus materia sit,materia indigebit,vt fiat materia. Nam si materiã aliquam,vt cæsos atque expolitos lapides,vt ędium fiant materia,non vt vnum, & absolutè acceperimus,sed vt compositum quiddam ex subiecto aliquo, vt lapide,& tali cæsura,non ampliùs vt materiam,quæ fiat accepimus, sed vt formæ aut compositi procreationem.Veluti,si quis sedem sibi facere velit, qui materia vtatur hoc lapide, is lapidi sedis formam adiiciet, sin vt domus materiam, perpolitum & adaptatum lapidem intuebimur,non ampliùs huius pars altera subiectum erit, altera species. Nulla siquidem materia, vt materia est, ex materia cõponitur & forma(nam sic ad immensum,vt iam diximus,abduceremur)sed vt vnum quiddam & simplex totum hoc sumitur, perpolitus & adpositè adornatus lapis. Quare materiam domus cùm efficit latomus, vt vnum quiddam & simplex,lapidem adornatum facit. Non enim talis lapidis forma ipsa per se, vt verbi gratiâ,tesseræ figura,ipsa iam est domus materia.Sed neq; sine figura ipsa per se lapidis natura,quæ figura vacet, sed quod ex ambobus est, id est, vt materia domus. Atque hoc ipsum Proclus ipse in propositis apertè explicauit, quando dixit: Non enim lapides formæ domus sunt materia, priusquam cæsi & per- »
politi fuerint,sed tum demum,cùm hunc ornatum acceperint. Quare neque la- »
pides ipsi per se nisi cæsi & adornati fuerint,materiæ domus rationem tenent:& multò minùs ipsa per se figura, vt quæ neque constare ipsa per se possit. Quare cùm quod ex ambobus est, vt materia sit domus, vt etiam bellè dixit Proclus, quod autem iunctum est ex ambobus, aliquo non indiget subiecto, vt fiat, aliqua certè materia materię non indigebit,vt efficiatur materia.Omnis siquidem procreatio,vt in nono argumento ostensum est,formæ alicuius est procreatio. Siquidem,vt ibi diximus,vnius opus,alterius materia efficitur,cùm vt materiam alterius simul sumpserimus,quod ex ambobus est compositum,nempe subiectũ simul & formam,vt vnum simplex,fieri ipsum accipere est necesse. Neq; enim particularis materia, vt domus, & huius hominis, & compositorum omnium, omnino materia est, & tantùm materia, vt reuera simplicissimam & compositionis expertem ipsam esse quæramus: sed ad aliquid comparata, est materia. Quod autem ad aliud comparatur,non materia est,sed composita quædam res est ex materia & forma,vt accuratè in nono argumento confirmauimus:ne iterum easdem rationes versemus.Si igitur vt compositam rem aliquam, materiam quandam quispiam considerauerit, non vt materiam intuebitur, sed vt id, quod ex materia & forma componitur: vt lapidem, & talem eius figuram: sin vt materiam domus sumpserit,vt vnum quid & simplex, hoc modo figuratum lapidem intelligere est necesse. Non enim qui figurâ vacat, sed qui efformatus est lapis,domus est materia, vt etiã dixit Proclus. Quemadmodum igitur efformati & figurati lapides non omnino sunt materia,sed cùm aliquo comparati,vt

cùm comparantur cum ea forma domus, quæ ex compositione ipsorum accedit: sic & ad aliquid simplices sunt, hoc est, ad domum, quæ ex ipsis & tali figura componitur. Quare si quod ex ambobus constat, hoc est, ad figuram certam effecti lapides, vt vnum quid & simplex, materiæ domus rationem tenent, & quod ex ambobus est, materiæ non indiget, vt fiat, certè materia quædam non indiget materiæ, vt efficiatur, quanquam ipsa generari possit. Quòd si quædam materia (si modò vt materia, quæ gignitur, accipiatur) alia non indiget materia, vt autem materia quædam ad singularem formam est affecta, sic & materiam omnino, ad omnino formam se habet, proculdubio si omnino materia gignatur, vt materia est, alterius non indigebit materiæ. Hinc igitur perspicuum est, quòd nulla cogit necessitas, cur si materia gignatur, ipsa ex aliquo gignatur, quod sit. Nulla est igitur ratio, quę conficiat necesse esse, vt ortu careat materia, cùm refutata sit ea ratio, quæ de eius ortu sermonem ad absurdum compellere videbatur.

XI. AT verò, inquit, nihil gigni videmus, quod materia non indigeat. Quare materia quoque si ipsa gignatur, materię indigebit. Verùm, quicquid nunc in rebus singulis gignitur, id non penes subiectam ipsi materiam, & primum formæ eius subiectum gignitur, sed penes id, quod informatum est, & hoc suprà in argumēto nono ostensum est. Et quòd non eodem modo, & totum & partem gigni est necesse, & quod necessariò, vt vnus & idem permaneat Mundus, partium interitus & procreatio, mutua in se inuicem commutatione perficiuntur, vbi formæ in id perimuntur, quod nullum est. subiectum autem in his, quæ commutantur, idem manet, vt vniuersum idem sit & vnum. Quòd si procreatio, quæ nunc fit, non generalium. sed singularum rerum in formis efficitur, & non in materia (si quidem nunc neque nasci materiam, neq; interire videmus) meritò certè quicquid gignitur, materia indiget, ob id nimirum, quia formæ ipsæ per se constare non possunt. non item tamen, si materia generata sit, materiæ indiguit, quia formæ indiguerunt. Neque enim par est, vt existimemus eandem esse formarum & materiæ procreationem. Nam quod non nisi in subiecto est, materia indigebit, quæ ipsum excipiat, vt cùm in naturam productum fuerit, constare possit. ipsum tamen subiectum si procreetur, non item alio subiecto indigebit: non enim ampliùs subiectum esset. Ne igitur in iis, quæ similia non sunt, sed potiùs opposita similem ortū postulent. Nam si materia & forma in iis sunt, quæ cum aliquo cōferuntur, & hæc alicuius sit gratia, illa autem, id gratiâ cuius. quę verò cum aliquo conferuntur, ad ea pertinent, quæ sunt opposita, horum certè procreationes inter se opponi est necesse. Nam frigidi procreatio, calidi procreationi est contraria, illa siquidem densatione, hæc autem rarefactione perficitur: & ea, quæ sursum fit, ei opponitur, quæ deorsum. Illa enim ascensus est, hæc autem descensus. Atq; in reliquis eadem est ratio. Quòd si opposita oppositis conuenire est necesse, vt in locis ostensum est, formæ autem procreationi conuenit, vt materia indigeat, vt procreetur, huic certè contrarium materiæ procreationi conueniet. Hoc autem est vt materiæ non indigeat, quo materia efficiatur.

XII. CVR igitur paulò antè nos quoque non dicebamus, quòd oportet materiam

riam eandem & immutatam permanere, ſeu prima materia id ſit, quod triplici conſtat dimenſione, ſeu alia præter hoc quædam ſit forma vacans? Porrò, quod modis omnibus eſt incommutabile, id ab ortu & interitu eximi eſt neceſſe. Verùm non ſemel & omnino naturam incommutabilem ipſi adeſſe cõfitebimur. Nullam enim rationẽ eſſe videmus, quæ id conficiat: ſed in rerum ſingularum mutua in ſe inuicem commutatione neceſſe eſſe dicimus, vt communis materia earum rerum, quæ mutantur in ſe mutuò, in illarum mutatione immutata permaneat. Verùm non propterea neceſſe eſt, vt ſemel & omnino ſit incommutabilis. Nam cùm opificia, quæ ex ære aut auro confecta ſunt, in ſe mutuò commutantur, his ſubiectum æs aut aurum in illorum mutatione permanet immutatum: nihil, quod ad propriam ſubſtantiæ eius rationem attinet, perpetiens. Veruntamen non propterea aut ortus aut interitus expers eſt. Neq; igitur cùm partes Mundi in ſe mutuò commutantur, vt incommutatum maneat ſubiectũ, ſtatim prorſus eſt neceſſe, vt procreationis & interitus expers ſit. Verùm ſi Mundi procreationem initium aliquod accepiſſe docuerimus, neceſſe eſt, & materiã ab aliquo temporis principatu eſſe cœpiſſe, ac non eſſe ſempiternam. Quòd ſi initium aliquod habuit, ex nullo certè antecedente ſubiecto generata fuit. Quicquid enim gignitur, hoc eſt, quicquid principium habet, quo eſſe cœperit, cùm priùs non eſſet (hoc enim gigni dico, ac non ſolùm id, quod per procreationem quandam & temporis extenſionem ex eo, quod non eſt, in id, quod eſt, commutatur) ex eo, quod non eſt, naturam & ſubſtantiam adſumit, quatenus gignitur, & rurſum in id, quod non eſt, interemptum diſſoluitur, vt in Nono docuimus. Quare & materia ſi gignatur & principium ſumat, quo eſſe incipiat, ex nullo antecedente ſubiecto procreabitur. Sed cùm nullo modo eſſet, priuſquam gigneretur, ex eo, quod nullum erat, in id, quod ſit, ab opifice in ortum producitur. Ad hunc igitur modum propoſitum argumentum ipſum per ſe excutiẽtes, comperimus nullam rationem eſſe neceſſariam, quæ conficiat, cur materia, ſi gignatur, ideo materię alterius indigeat, quia quę generantur, gignantur ex materia: ſed contrà potiùs neceſſe eſſe euidenter confecimus, quandoquidem quæ quatenus informata ſunt & formis prædita, generantur, hoc eſt in naturam & eſſentiam producuntur, indigent materia, conſequens eſſe materiam, ſi gigneretur, materiæ non indigere.

QVONIAM autem Proclus rurſum orationem ita proſequitur, quaſi ea tradat, quæ Platoni decreta ſunt, doceat quiſpiam, vbínam Plato materiam principio vacare & ſempiternam eſſe apertè propoſuerit, vt ortus initium non habeat? Platonem enim in ſuis dialogis nũquam hoc dixiſſe reperias. Nam etſi apertè ſempiternam eam eſſe propoſuiſſet, & ex eo quod ſempiterna ſit materia, neceſſariò conficeretur, Mundum quoque eſſe ſempiternum: nemo tamen iuſtè, cui quidem veritatis maior quàm Platonis cura ſit, hinc opinor colligeret Platonem iudicauiſſe Mundum procreationis expertem eſſe, & ſempiternum, cùm ille apertè ab aliquo temporis principatu eum generatum fuiſſe, & non ex æternitate ſtetiſſe dicat, & non fuiſſe priuſquam eſſet ortus. Quid enim, ſi quod ex ea hypotheſi neceſſariò conſequitur, quæ in materia ita proponitur, non XIII.

animaduertit Plato? Plerunque enim nimirum homo à vera rerum opinione aberrauit, vt in præcedenti argumento meminimus. At verò non ideo quia nonnulli pugnantia ponunt, quæ non animaduerterunt inter se pugnare, protinus est colligendum, alterum eorum, quæ pugnant, ipsos non proposuisse: sed tantùm alterum colligendum est, ipsos falsò proposuisse id, nempe, quod vero repugnat. Quòd autem in aliis quoque idipsum Platoni accidisse conspicuum sit, vt pugnantia posuerit, vnius cuiusdam ex illius scriptis, exempli gratiâ, nunc meminero.

XIIII. E' QVATVOR elementis Plato in Timæo solam terram posuit esse incommutabilem, reliqua tria in se mutuò commutari. Atque hoc ipsum ad verbum dicentem Platonem audire licet: Genera enim, inquit, quatuor ex sese & in sese inuicem ortum habere videbantur. neque id tamen recta satis cogitatione. Nam ex triangulis, quæ delegimus genera, quatuor generantur, tria quidem ex vno, quod inæqualibus constat lateribus: quartum autem, vnum & solum ex ęquicruro triangulo coagmentatum. Non igitur omnia in se mutuò dissoluta è multis paruis, pauca & magna, & contrà, gigni possunt. tria certè possunt. Cùm enim ex vno omnia fieri nata sint, cùm dissoluta erunt maiora, multa parua ex iisdem constituentur conuenientes sibi & congruentes figuras adipiscentia. Et post aliquot verba: Terra quidē cùm in ignem inciderit, eius acumine dissoluta fertur, aut in ipso igne soluta, aut in aëris, si ita res tulerit: aut in aquæ mole, donec partes ipsius congredientes, & iterum sibi inuicem coniunctæ terræ, naturam recipiant (neq; enim in aliam speciem venire vnquam posśint) tria, ignis, aqua, aër in se mutuò transire possunt. Quòd igitur ex quatuor elementis solam terram in reliqua commutari non posse dicat, cùm cætera in se mutuò commutentur, ex ipsius Platonis verbis palàm est factum, idque omnibus notum est & confessum: quapropter disquisitione maiore nobis non fuit opus. Rursus tamen idem Plato tum cœlum ipsum, tum rerum compositarum quamq; ex his iisdem quatuor elementis coagmentauit. Atq; nos, quæ ad cœleste corpus attinent, alibi commemorabimus. Quòd autē corpora tum nostra, tum animantiū reliquarum, è quatuor elementis componat (huius enim rei nostra in præsenti indiget oratio) Platonem ipsum id dicentem audi: Atque qui hæc, inquit, in ordinem digeśsit (de opifice autem & procreatore Vniuersi loquitur) in suis ipsius moribus permanebat. Cùm autem permaneret, filii patris ordinem animo reputantes, ipsi parêbant, & immortale principium mortalis animalis accipientes, opificem suum imitati, ignis, terræ, aquæ, & aëris particulas à Mundo mutuati, vt iterum eidem restituendas, in vnum acceptas conglutinabant. Idem igitur Plato & terram in reliqua elementa immutabilem esse dicit, cæteris in se mutuò transeuntibus: & mortalium animantium corpora, atque adeò rerum omnium ex iisdem hisce quatuor elementis componi voluit. Hæc autem ita inter se pugnant, vt cohærere nullo pacto inter se posśint. Neque linum lino connectit, iuxta parœmiam, cùm & terram in reliqua mutari nō posse, & res compositas ex quatuor elementis conflatas esse asseuerat. Nam si immutabilis est terra, nulla res composita ex quatuor constat elementis. Quòd si ex hisce qua-

tuor

tuor res compoſitæ conſtant, fieri non poteſt, vt terra mutationem in reliqua elementa refugiat. Nam in rebus compoſitis nullum elementorum actu ineſſe cernitur: non ignis, non terra, non vllum denique reliquorum. Sic enim elementorum cõtinua adpoſitio, ac non permiſtio fieret, vt Empedocles fieri ſtatuebat. Nunc autem omnes elementorum qualitates per ſeſe mutuò permeant, etſi adpoſitæ moles ſibi mutuò adiaceant. Nulla eſt enim rei compoſitæ particula, vel ſi minimam, & ſectionem quamlibet refugientem dixeris, quæ non ſit conflata ex quatuor. Hoc autem fieri non poſſit, ſi elementorum adpoſitio, ac non totius cuiuſque per tota permiſtio fiat in compoſito. Cùm igitur in re compoſita actu nullum ſit elementum, ſed omnia ſint confuſa, vniuſcuiuſque forma euanuit. Ex horum autem permiſtione & temperamento alia prodit ſpecies, vt carnis, verbi causâ, aut ſanguinis, aut alia quæuis. Hinc perſpicuum cuiuis eſſe puto, terram in compoſito eſſe commutatam. Quòd ſi perempta elementorum forma, in compoſito vnum quid partium conſimilium & eiuſdem formæ ex omnibus eſt generatum, vt caro aut os, aut aliud quidpiam: & rurſum fieri poteſt, vel potiùs fieri eſt neceſſe, vt cùm perimitur caro, in ea diſſoluatur, ex quibus erat cõpoſita, mutuò acceptis è Mundo elementorum partibus, eò iterum recedentibus vnde ſunt acceptæ, fieri certè poteſt, vt quæuis ipſius particula, & quælibet ipſius moles, cùm tota ſit eiuſdem formæ, & terra fiat, & aqua, & aër, & ignis. Sortitioni enim & figmento ſimile eſt, carnis particulam hanc quidem effici aquam, illam verò terram, & aliam ignem, & denique illam aërem, cùm carnis particula quæuis eiuſdem ſit formæ & naturæ cum reliquis, & quælibet in elementa diſſoluatur. Quare ſi fieri poteſt, vt quæuis carnis portio vniuſcuiuſque elementi naturam in ſe recipiat, fieri ſanè poteſt, vt quæ priùs terræ ſpeciei ſubiecta erat carnis particula (hoc eſt ipſum triplici interuallo diffuſum & corpus) perempta carne formam aquæ aut alicuius aliûs elementi in ſe recipiat. Quare terram in reliqua elementa commutari eſt neceſſe. hoc ipſum eſt enim elementa in ſeſe mutuò tranſmutari, nempe idem ſubiectum aliâs aliûs elementi formam excipere, vt priùs oſtenſum eſt. Sed quid opus eſt longiùs orationem producere, vt doceam terram in reliqua elementa tranſmutari: cùm apertè ab omnibus Phyſicis, qui Platonem ſunt ſecuti, hoc ſit demonſtratum? Porrò, cuius gratia horum nunc meminerimus, illud eſt, quòd ſi oſtenſum fuerit, dicere terram eſſe incommutabilem, pugnare cum eo, quo dicitur, corpora omnia compoſita, ex quatuor elementis eſſe conflata, quid vetat alium, qui horum iniquitatem, & ingratitudinem in alienis ſcriptis explicandis imitetur, hinc colligere, Platonem, ſi terram incommutabilem eſſe cenſet, non ex quatuor elementis corpora compoſita eſſe cenſere, etiamſi oratione & verbis id dicere videatur? Verùm iſtud genus orationis aut prorſus ambitioſæ contentionis plenum, aut eorum eſſe puto, qui Platonem veritati anteponant. Quid enim vetat, quominus, quod priùs diximus, vnuſquiſque, qui hac methodo vtatur, colligat nullam vnquam nec veterum nec recentium falſam de rebus opinionem habuiſſe? Nam quiuis, qui Protagoræ bene cupiat, ſi ex ea hypotheſi, quæ nullam rem dicit certam & finitam naturam habere, hæc & illa abſurda conſequuntur, facilè

dixerit Protagoram non id constituere, etsi verbis id posuisse videatur. Quemadmodum igitur in his, quia res compositas ex quatuor elementis conflatas esse recipimus, studio veritatis terram incõmutabilem, esse, falsum esse confitemur, nullo modo Platonis opinionem reueriti: sic planè etsi materiam sempiternam esse diceret Plato, quoniam tamen Mundum apertè ortum fuisse & principium habuisse proposuit, hoc, quod verum esse adparet, admittentes, in altero, Philosophum aberrauisse confiteremur, non propterea Platonis facti inimici, sed hoc ipso potiùs amici, cùm apertè præceperit, & iusserit, vt Socratis perpaucam, veritatis permultam curam habeamus: atque hoc ipsum nobis in sequentibus retineatur, ne eadem sæpius dicere cogamur.

XV. NVNC autem, quod iam anteà dixi, nusquam adparet virum illum in suis scriptis materiam principio carere, aut sempiternam esse pronuntiauisse. Cùm igitur ex Deo materiam quoq; in naturam extitisse Plato apertè velit, & Mundum generatum fuisse, atque ab aliquo temporis principio cœpisse dixerit, nusquam materiam sine principio, aut sempiternam esse pronuntians, & in iis sint materia & procreatio, quæ cum aliquo conferuntur, & simul aut sint aut non sint, cur magis consentaneum erat, aut verò necessarium, ex eo quod materiam sempiternam esse sumpserit (cùm tamen nusquam id Plato posuerit) quòd decretis eius maximè repugnet, cõcludere, Mundum secundùm ipsum nunquam esse cœpisse, cùm ille clara voce dixerit, Mundum non esse semper, sed ab aliquo temporis principatu esse cœpisse, ídque ratione demonstrauerit, vt in sexto argumento didicimus, cur inquam id concludere, vt id quod Platonis sit decretum, magis est consentaneum: quàm ex eo, quòd Mundi procreatio secundùm Platonem principium habuerit, materiam quoque secundùm ipsum non esse sempiternam: sed cœpisse ab aliquo principio, etsi non apertè istud dicere videatur? Equidem non dubito, quin cuiuis, qui ad veritatem animum aduertat, quíque quod in rationibus consequens est aut repugnans, diiudicare posit, posterius verum esse, atq; adeò necessariò conficiendum esse videatur. Cùm igitur procreationi Mundi initium tribuat Plato, non dubium, quin materiam esse cœpisse, & non ortu carere, & sempiternam esse arbitratus sit: quoniam si sempiternam materiam esse diceret, vt hoc quoque quispiam confiteatur, ne sic quidem ex ipsius sententia Mundum sempiternum esse colligeretur, vt modò confirmauimus.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum duodecimum.

Quicquid gignitur, materia id eget, & efficiente. Quare si quod ortus & procreationis est capax, non semper est, sed interdum tantùm, id fit, aut propter materiam, quæ idonea non est, aut propter efficiens, quod in faciendo deficit: aut certè propter vtrunque, quia nec idonea sit materia, nec efficiens satis sit ad faciendum. Quare si Mundus aliquando non fuit, aut deinceps non est futurus, id aut propter materiam ei accidit, aut propter ipsius Mundi effectorem. Atqui hic semper ad efficiendum est satis idoneus, cùm ipse idem semper permaneat, nec vnquam diuersus aut immutatus compareat. Aut enim ne nunc quidem ad

Mundum

Mundum efficiendum satis est idoneus, aut si nunc est, etiam anteà fuit, & posthac est futurus. Materia autem eodem modo, aut semper erat idonea, vt Mundi speciem reciperet, quemadmodum & nunc: aut ne nunc quidem, cùm semper eodem modo eadem permaneat: nam ipsa incommutabilis est, perinde atque ipsum efficiens. Si igitur quicquid interdum est, & interdùm non est, tale est, aut propterea quod efficiens non est idoneum, aut propterea quod materia non semper est habilis, at verò id quod Mundum efficit, non interdum efficiendi est potens, & interdum impotens, neq; materia interdum habilis est ad opus, interdum inepta, efficitur, vt non possit Mundus interdum esse, & interdum non esse. Ex æternitate igitur & semper tum opifex molitur, tum materia in Mundi formam digeritur, tum Mundus est, & constat.

Capita solutionis duodecimi Argumenti.

Quòd falsum sit, quicquid gignitur, materia indigere. I.

Quòd sunt nonnulla etiam in iis, quæ per ipsos semper fiunt, quæ materia indigeant. vbi iterum docetur, non quicquid gignitur, materiam desiderare. II.

Quòd ne ea quidem, quæ interdum gignuntur, necessariò indigent materia. III.

Tanquam in appendice & corolario docetur, nō quicquid gignitur, ex eo gigni, quod sit. IIII.

Quòd etsi verum esset, ea, quæ interdum sunt, & non semper, aut propter materiam, quæ idonea non sit, non esse semper, aut propter efficiens, quod satis ad efficiendum esse non possit, sed operi succumbat, ne sic quidem necessariò conficietur Mundum esse sempiternū. V.

Quòd falsum sit, ea quæ sempiterna non sunt, aut propter materiam, aut propter efficientem causam, aut propter vtranque, non esse semper, sed fieri posse: vt præter has, aliæ sint causæ, quæ efficiant, vt quidpiam non sit sempiternum. vbi docetur, quòd necesse est, vt ante rei ortum materia apta sit, & idonea ad opus procreandum. VI.

DVODECIMI ARGVMENTI PROCLI SOLVTIO.


IN antecedente argumento comprobauimus, quòd si materia gigneretur, naturę que suæ principium acciperet, materię non indigeret, vt gigneretur, quo fit, vt non quicquid gignitur, materiæ, vt vult Philosophus, indigeat: sed nonnulla sunt in iis, quæ generantur, quæ solo indigent efficiente: nullius enim rei causa remota reperiri origo potest, vt ait Plato. Et aliôqui si neque fortuitò est materia, vt eidem quoque videtur, neq; extitit sine causa, quia vnum est omnium efficiens, & vna origo, sed ipsius quoque materiæ Deus est opifex, quandoquidem & vniuersi Mundi: materia autem aut pars Mundi est, aut elemētum. & materia igitur à Deo procreatur: etsi id non interdum, sed semper: hoc enim interim concedatur. Quod enim quidpiam efficit, alicuius, quod efficiatur, est efficiens. Quare si Deus materiam efficit, à Deo materia necessariò efficitur. Vnde fit, vt si quicquid omnino gignitur, materiæ indigeat, & gignatur materia, materia materiam prorsus requirat. Quare illa quoque si à Deo gignatur, alterius indigebit materię. Quare aut consistemus in aliqua materia, quam Deus non gignat, & cuius efficiens non sit, aut I.

in immenſum progrediemur, materiæ materiam inquirentes. Cùm hæc igitur abſurda ſint, ſanè non quicquid gignitur, indiget materia. Eadem autem & de rationis compote anima, & omnibus conſimilibus dixerimus. Harum enim rerũ Deus eſt opifex, etſi ex æternitate eas produxerit. Neque verò rationis compos anima, cùm à Deo gignitur, materia indigebit, cũ ſimplex ſit, & expers materiæ.

II. VERVM quæ gignuntur, inquit, nec ſunt ſemper, ſed interdum tantùm « ea, vt generentur, materia indigere diximus. Materia autem & anima ſempiter- « na ſunt, neq; ab vllo tempore principium habuerunt quo eſſe cœperint. Primùm igitur, vt in præſenti hoc tantùm dicam, illud eſt incertum, num prædictorum vtrunque principium acceperit. Nulla eſt enim ratio, quod equidem ſciam, quæ neceſſariò conficiat, ea principio carere. Nam & hoc abunde nobis in alio argumento diſcuſſum eſt, nullam naturam, quæ vitii ſit capax, cuiuſmodi eſt anima noſtra, ſine principio eſſe poſſe. Et in primo argumento docuimus, fieri nullo pacto poſſe, vt Mundus careat principio. Iam verò cùm Mundus non ſteterit ſine principio ex ęternitate, materia ſine principio eſſe non poteſt. Materia enim & procreatio in iis ſunt, quæ cum aliquo conferuntur, & ſimul eſſe eſt neceſſe, tum materiam, tum Mundi procreationem, vt ipſemet Proclus in capite præcedenti perſequutus eſt. Tamen concedatur, vt dixi, tum materiam, tum animum noſtrum eſſe ſine principio: omnino harum rerum effector & opifex Deus, aut interdum eas facit, aut ſemper. Quicquid enim aliquid facit, id aut ſemper, aut interdum facit. Et quoniam eas interdum gigni nolunt, ſemper ſcilicet à Deo efficiuntur. Quid igitur cauſæ eſt, cur ea, quæ gignuntur, interdum materiam poſtulent vt generentur: quæ autem ſemper fiunt, materię non indigeant? Neq; enim nudis eorum enuntiationibus fidẽ habebimus. Nam ſi quicquid gignitur, materia indiget, vt in his ait Proclus: quemadmodum quod interdum gignitur, interdum indiget materiæ: ſic quod ſemper gignitur, par eſt, materiæ quoque ſemper indigere. Sin minus, non verum eſt, quicquid generatur, indigere materia. Aliòqui ſi id ſolum indiget materia, & Mundus ex eorum ſententia perpetuò gignitur, ac non interdum materiæ non indigebit Mundus, vt qui ſemper à Deo generetur. Quare efficitur, vt materiæ expers Mundi ſit procreatio: quanquam vt earum rerum, quæ interdum gignuntur, hoc eſt, rerum ſingularum, vnaquæque ex materia iungitur & forma: ſic ſanè & Mundus totus, vt totus, ex materia & forma componitur. Et quemadmodum materia quædam ad particularem formam effecta eſt, ſic & generalis atq; omnino materia ad totum & vniuerſum ſe habet. Aut igitur Mundus, quia ſemper gignatur, materiam non poſtulabit, ſi modò quæ interdum gignuntur, ea ſola materiam requirunt. At verò ſi non indigeat materia, ſimplex erit, & non materiatus. quod falſum eſt. Aut ſiquidem, cùm ſemper gignatur, ſemper indiget materia, cùm præſertim materiatus ſit, nón ea certè ſola, quæ interdum gignuntur, materiæ indigent, vt generentur: ſed ſunt nonnulla in iis etiam, quæ ſemper gignuntur, quæ materiã poſtulant. Quare ſi verum eſt, quicquid gignitur, materiam poſtulare, duorum alterum confiteri neceſſe habemus, aut Deum autorem & opificem non eſſe materiæ (quæ ex re fiet, vt rerum omnium non vnum ſit principium, ſed duo,

quæ

quæ principio vacent, nec ab vllo causam habeant, cur ipsa sint, Deus nempe & materia, secundùm Manichæorum nugas) Aut si materiæ quoque procreator est Deus, necesse est, vt dum gignitur materia, materiæ indigeat vt generetur. Cùm hæc igitur ambo absurda sint, quia nec fieri posit, vt materiæ sit materia, & Deum omnium procreatorem & autorem esse confiteri ea cogat opinio, quæ rerum omnium principium vnum esse statuit, falsum est, quicquid gignitur, materiam vt generetur, desiderare.

VERVM, quæ semper gignuntur, inquit, non prorsus indigent materiæ: III. quæ verò gignuntur interdum, & ab aliquo principio esse cœperunt, materiæ omnino indigent. Sed facultate hoc quoque nobis iam abunde discussum est in præcedenti argumento: ibi enim docuimus, quòd etsi interdum gignatur materia, nunquam tamen indigebit materiæ, propterea quod quæ nunc à natura gignuntur, ea penes formam generantur. Species autem non res est, quæ seipsam sustentet, & ob id meritò indiget materiæ, vt ipsa cohæreat. Præterea, ostendimus contrario modo, materiam & formam inter se esse affecta, contrario autem contrarium esse consequens, hoc est, procreationi materiæ consequens esse materiæ non indigere: cùm nimirum subiecto non indigeat, vt sit, quia ipsa rerum omnium naturalium est subiectum. Quare neque quod interdum gignitur, materiæ omnino indigebit: quoniam rerum singularum propinqua materia interdum gignitur, vt ipse quoque Proclus in præcedenti dixit argumento, & nos ibi pluribus explicuimus, quòd quando quidpiam vt materia gignitur, non gignitur ex materia. Quare quod interdum gignitur, non necessariò indiget materiæ, vt generetur. Et aliôqui si, vt volunt, Mundus à Deo perpetuò generatur, nunc certè quoque gignitur. Nam nisi nunc gignatur, non gignitur semper, sed tantùm interdum. Quare Mundi quoque materia aut gignitur semper à Deo, aut interdum tantùm, aut nunquam. Verùm, quoniam vt nunquam à Deo gignatur, fieri non posse probatum est (Siquidem omnium opifex & procreator est Deus, neq; res vlla ipsa sibi causa est, cur sit, sed ab vna omnium causa omnia extiterunt) neque verò vnquam & ab aliquo tempore materiam procreatam fuisse concedunt, efficitur certè, vt perpetuò gignatur. Quòd si perpetuò materia gignitur, nunc quoque generatur. Nam si, vt dixi, nunc non gignatur, gignitur tamen, proculdubio non semper gignitur, sed interdum. Nam quod generatur interdum, non protinus semper etiam generatur: vt Plato, verbi causâ, & hæc stirps, & rerum singularum vnaquæque. Quod autem semper gignitur, & in tempore naturam suam habet, & perpetuitatem temporaneam, non sempiternam, & ex æternitate obtinet, id semper nasci interdũ est necesse. Nam quod in omni tempore gignitur, etiam in aliquo tempore gignatur oportet. atq; hoc ipsum in decimoquinto capite quinti argumenti apertè docuimus. Nunc igitur quæ à Deo gignitur materia, ea aut indiget materiæ, aut non indiget. Quòd si indiget, illa quoque alterius indigebit: idque in immensum progredietur. Sin autem non indigeat, non profectò quod interdum gignitur, id vt generetur, materiæ indiget necessariò. Porrò, iam sæpe dixi me procreationem & ortum appellar, e nudam ipsam rerum in naturam productionem, & substantiæ susceptionẽ,

ſeu in temporis puncto repentè in naturam producatur:quemadmodum nullo inſumpto tempore quod perlucidum eſt,à ſole colluſtratur,ſeu temporis productione indigeat, vt nauis, verbi gratiâ, & ea, quæ pariuntur, quæ'que eduntur è terra in quadam temporis productione,progreſſum in naturam accipiunt.

IIII. ATQVE hinc perſpicuum eſſe puto, non quicquid naſcitur, ex aliquo, quod ſit, generari. Nam qui ſemper à Deo gignitur Mundus, nunc quoque gignitur,quia ex tempore pendet Mundi perpetuitas. Quare ſi nunc ex eo gignitur, quod ſit, diuerſum profectò eſt ab ipſo id, ex quo Mundus ipſe generatur. Vtrum igitur illud quoque generatur à Deo,an non? nam ſi illud non gignatur à Deo,non omnium Deus opifex erit,neque ea,quæ efficit,ipſa per ſe tota fabricabitur:ſiquidem id,ex quo Mundum efficit,ipſe non procreat.Sin illud quoque gignitur,ex eo quod ſit,proculdubio generatur : ſi quicquid gignitur, ex aliqua re,quæ ſit,& conſtet,procreatur,& illud rurſus ex alio:ídque procedet in infinitum.Quare ſi hoc fieri non poteſt, Mundus certè ex eo, quod ſit, non procreatur.Hinc igitur efficitur,neque ex materia,neq; omnino ex eo,quod ſit,id omne generari, quod gignitur, ſeu perpetuò & per omne tẽpus, ſeu interdũ gignatur.

V. SI aliqua igitur eſſet ratio, quæ conficeret materiam eſſe ſempiternam, neceſſe eſſet Mundum quoque eſſe ſempiternum : quia materia ſemper eſſet idonea,vt Mundi formam reciperet,quia eſſet ſempiterna:& Deus ad efficiendum ſemper itidem eſſet ſatis idoneus, materia autem & forma ſint in iis, quæ cum aliquo conferuntur, & propterea & ſe mutuò perimant,& ſimul conſtent. Sin autem nulla eſt ratio,quæ materiam ſempiternam eſſe conuincat,cùm eæ,quæ id conficere videbantur, antea reprehenſæ ſint, fieri certè poteſt, vt cùm Deus ſemper eodem modo ſe habeat,Mundus non ſit ſempiternus:non quòd efficiẽs ſibi deſit in efficiendi facultate,ſed quòd ea,quę gignuntur,non ſemper eſſe ſint nata.Nihil enim cernitur eorum,quæ gignuntur, vnà cum ſua cauſa exiſtere in natura, ſed quicquid naſcitur, producente poſterius eſt. Porrò, quòd non propter efficientis imbecillitatem, ſed propter eorum, quæ gignuntur, naturam, Mundus non eſt ſempiternus, in primo argumento abunde docuimus. Atque ex iis, quæ ibi diximus, idipſum cuilibet colligere licebit. Quare ſi quod interdũ quidem eſt, interdum verò non eſt, aut propter efficientem cauſam, quæ ipſa ſibi deeſt in efficiendo,aut propter id, quod gignitur, quod ſemper eſſe non poteſt,aut propter vtrunque ſemper non eſt, vt hîc probè dixit Proclus (in primo autem argumento probatum eſt, quòd ipſa rerum natura non admittit, vt res ſint ex æternitate,propter eas cauſas, quas ibi expoſuimus)fieri poteſt, vt etiam cùm Deus ſemper ſit eodem modo,Mundus non ſit ſempiternus.

VI. NVM verò ne hoc quidem verum eſt omnino,vt quod interdum eſt,& interdum non eſt,aut propter efficiens,quod ſemper ad efficiendum ſatis eſſe nõ poſsit,aut propter materiam,quæ ſemper non ſit habilis, id interdum ſit, & interdum non ſit? Fieri enim,opinor,poteſt,vt etiam cùm efficiens ad efficiendũ eſt ſatis(ad efficiendum autem ſatis eſſe dico,quantum in ipſa efficiendi facultate & arte eſt poſitum) & cùm materia ſua ipſius ratione idonea ſit ad gignendum, non tamen ſit ſemper id, quod naturâ aptum eſt vt gignatur. Quid enim

vetat,

vetat, vt cùm cæsi iam sint lapides (hoc enim est habilem esse materiam) cúmque reliqua omnis materia adornata sit ad domus procreationem, præstò sit prætereà Architectus, & quantum ad eius artem attinet, domus ædificandæ sit potens, neque tamen domus adhuc producta sit, neque producatur? Prætereà, quid vetat, vt cùm cera sit parata ad excipiendas literas, & scriptor describendi polleat facultate, nondum tamen literæ sint descriptæ, quia aliqua sit alia causa, quę literarum & domus procreationi sit impedimento, vt quia, verbi gratiá, bonum sit harum rerum vtranque nondum fieri? Atque in omnibus eadem valet ratio. Quòd si Proclus dicit lapides iam cæsos non idoneam esse domus materiam, priusquam compositi & inter se adaptati fuerint, nihil aliud dicit, quàm quòd nisi materiæ imposita sit forma, non est idonea materia ad excipiendam formam. Nam lapidum concentus, & apta & concinna conuenientia, cum aliis rebus, quæ ad domus procreationem concurrunt, ipsa est iam formæ domus procreatio. Quare vbi lapides adaptati fuerint, iam effecti ædes, non ampliùs ad ædium procreationem idonei esse dicuntur, sed actu & reapse domus. Nam idoneum ad quidpiam efficiendum aliquid esse dicitur, quod adhuc est facultate, nec dum actu factum est illud: vt aqua ad incalescendum idonea esse dicitur, tum, cùm est frigida: vbi autem incaluerit, iam actu calida esse dicitur, nec ampliùs idonea ad incalescendum. Et cera vbi literas iam exceperit, non ad scripturam excipiendam dicitur esse idonea, sed iam actu esse descripta. Nam cera, cui nihil desit ad habilitatem & aptitudinem excipiendæ scripturæ, nihilo magis vt materia literarum aptior est reddita, postquam descripta est, quàm anteq uam scripto insculperetur. Sic & qui aptè, & vt præscribit ratio, cæsi sunt lapides, cur magis idonea tum domus materia esse dicantur, cùm iam adaptati fuerint, & domus formam exceperint, quàm priusquam apti & compositi fuissent? Nam compositio & adaptatio tum lapidum, tum lignorum, nihil est aliud, quàm formæ domus procreatio. Non enim facit materiam Architectus, qui ligna componit, & lapides, sed ipsam domus formam eisdem imponit. Quare qui nondum compositi sunt lapides, cæsi tamen, ii tum idoneam domui procreandæ materiam præbent. Quid igitur vetabat, quantum ex iis, quæ dicta nunc sunt, intelligitur, quin cùm Mundi materia ad eiusdem procreationem semper esset idonea (etiam si quis sempiternam eam esse concedat) & opifex ad Mundum procreandum satis esset instructus, ob aliam tamen aliquam causam, non semper fuerit Mundus, vt, si res ita tulerit, opifex iis, quæ gignuntur, bonum esse cognouerit, vt aliquando procreentur: hoc autem dixi, nó quòd putem materiam ipsam per se sine formis esse posse (neque enim opifex Mundi seorsim eius materiam, & seorsim formam in naturam produxit, sed simul & temporis puncto effecit vtrunque, vt suprà sæpe diximus) sed quòd docere velim, etiamsi sempiternam materiam quisquam esse concesserit, & ante Mundum extitisse, nihil habere à Proclo productam modò rationem, vnde sola necessariò efficere posit, Mundum esse sempiternum. Non enim solùm ideo non gignitur Mundus, quia non idonea esset materia, neq; ideo solùm quia efficiens causa non satis esset potens ad ea efficienda, quæ procreanda erant: sed sunt & aliæ causæ, cur id non pro-

creetur quod procreari poteſt. Quare ſi non ſolùm eorum, quæ generantur, cauſa eſt, tum in efficiente, tum in materia, ſed præter alia eſt & finis, íſque in primis, hoc eſt, id quod conducit & bonum eſt ei, quod gignitur, propter quod gignitur, efficitur, vt non, aut quia ſola materia parata & apta non ſit, aut quia ſolùm efficiens ſibi deſit ad ea efficienda, quæ gignuntur, aut propter vtrunque non generetur quidpiam, cùm etiam ob id non generetur, quia ei aut bonum, aut non bonum eſſet in præſenti, ſed potiùs ſi in poſterum generetur. Porrò, id cuique bonum eſt, quod eſt cuiuſque naturę conſentiens. Nihil igitur neceſſariò conficit propoſitum Philoſophi argumentum, cùm ipſum per ſe ponderatur. Niſi fortè quiſpiam ex eo, quòd materia ad aliud referatur, & ea ſit ſempiterna, efficere velit, procreationem quoque eſſe ſempiternam. Verùm hoc in antecedente argumento abunde nobis excuſſum eſt.

PROCLI DIADOCHI

Argumentum decimumtertium.

Motum dixit globoſo corpori conuenientem Mundo Deum aſsignauiſſe, nempe conuerſionem, quę in mente & intelligentia maximè conſiſtat. Quòd ſi Mundo motum hunc accommodatum eſſe confitetur, cœlum certè naturâ in orbem eſſe volubile ipſe quoque confitebitur. Quare ſi à natura motum hunc obtinet, neque eum motum, quo ſurſum itur, neque eum, quo deorſum deſcenditur, neque progreſsionem ipſi conuenire dixerimus. Porrò, ii ſunt elementorum, quæ hîc viſuntur, proprii motus. Cœlum igitur ab eorum corporum numero eximi eſt neceſſe, quæ ad rectam lineam feruntur: neque ignis eſt igitur, neque terra, neque vllum eorum corporum, quæ inter hæc interiecta ſunt media, neque leue, neque graue cœleſte eſt corpus: ſiquidem graue eſt, quod deorſum contendit: leue autem, quod ſurſum euolat. Quòd ſi horum elementorum nihil eſt aliud quid præter hæc, id ſit oportet, quod naturâ verſatur in orbem. Cùm igitur ortus & interitus rerum ſint ſibi mutuò contrariarum, contrariæ autem res ſunt eæ, quæ contrarios naturâ motus habent, & vnum vni eſt contrarium (hæc enim Platonis eſt ſententia in Protagora explicata) hæ ſint, quæ intereant & naſcantur, cœlum autem & ortus expers ſit & interitus. Quòd ſi hæc partibus quidem gignuntur & intereunt, tota autem naturalem ſtatum ſemper retinent in ſuis locis remanentia, Mundus autem ex his eſt concretus, hoc eſt, ex cœlo, & quatuor elementorum vnoquoque integro, efficitur, vt ipſe ortus expers ſit & interitus. Quæ igitur quomodocunque naſcuntur & intereunt, ea ſunt Mundi effecta, ac non partes: cùm qui in ipſo dii ſunt, partes mutuentur, quas iterum reſtituant, ſicut ille ait, & efficientium genera: hæc autem cogitatione finguntur partes quoque eſſe Vniuerſi, quæ in ipſo contineantur. Quanquam & alia omnia, quæ è cauſis oriuntur, in ſuis ipſa cauſis contineantur, & ſuſtententur ab iiſdem. Si igitur ex iis conſtat Mundus, quæ ortu vacant, & interitu, ipſe quoq; multò magis ortus & interitus expers erit. Partibus enim deterius ſit totum, ſi ipſum ortum habeat & interitum, partes autem neque naſcantur neq; intereant. Quanquam quod totum partibus ſit potius, ipſe eſt, qui

dicit:

dicit: non enim totum partium esse gratiâ, sed partes totius esse causa. Id verò cuius gratiâ, potius est iis, quæ alicuius sunt gratia. Elementa autem eius sunt partes, quod ex ipsis constat. Quare quod ex elementis est concretum, suis elementis est præstantius. Vnde efficitur, vt si ex elementis constet Mundus, quæ ortu careant & interitu, ipse quoque procreationis expers sit & interitus. Atque hoc quoque ex Platonicis principiis demonstratum est.

Capita solutionis decimitertii Argumenti.

In modum proœmij, quòd tum sibi, tum Platoni repugnat Proclus, cùm dixit Platonem sensisse cœlum alterius esse substantiæ, quàm quatuor elementa. I.

Quòd in animalis modum cœlum in orbem versari vult Plato, qui motus non à natura, sed ab anima huic suppetat: quódque motus, qui in omnibus animantibus ab anima inest, non est naturalis. Et quòd neque figuræ animantium varietas neque motus diuersitas nos cogit, vt dicamus ex differentibus & non iisdem elementis animantium corpora componi. II.

Quòd ex ipsis rebus quas vt naturæ consentiret, concessit Proclus, nullo modo est necesse, vt cœlum rectà moueatur, etsi ex igne constet plurimo secundùm Platonis sententiam: verùm seu ab anima in orbem quisquam ipsam moueri dicat, seu à natura, vt corpus inanimum, secundùm rationem in orbem mouetur, cùm sit ex natura elementorum. III.

Quòd sibi repugnat Proclus, cùm ait, cœlum alterius esse substantiæ, quia moueatur in orbem. IIII.

Quòd fieri non potest, vt ad rectã moueatur cœlum, etiamsi ex igne cõstaret plurimo. V.

Quòd nulla efficit necessitas, cur cœlum alterius sit naturæ, quàm elementa, ob id vnũ, quia versetur in orbem. VI.

Quòd tum ex Platonis principiis, tum ex iis, quæ concessit Proclus, necesse est, vt cœlum ortus sit capax, & careat interitu. VII.

Quòd falsum est Mundi partes non esse, quæ gignuntur & intereunt. Vbi ostenditur, quòd necesse est, vt partis pars, totius etiam sit pars. VIII.

Quòd in contradictionem vndequaque recidit Proclus, cùm ait ea, quæ quomodocunque gignuntur & intereunt, Mundi partes non esse, sed effectus. Vbi ostenditur, quòd Plato elementorum partes, quæ nascuntur & intereunt, totius Mundi particulas esse voluit. IX.

Quòd si partes nascuntur & intereunt, totum quoque nasci & interire est necesse: & ob id integra elementa & totum Mundum nasci oportet & interire. X.

In modum repetitionis iterum, quòd falsum sit, ea, quæ quomodocunque gignuntur & intereunt, partes non esse Mundi: & quòd elementorum partes, totius quoque Mundi sunt partes. XI.

Quòd ipsa tum animalia, tum stirpes, tum reliqua composita corpora, totius Mundi sunt partes: & vt ratio docet, & vt sentit Plato. XII.

Platonis in Timæo, quòd vniuersus Mundus ex quatuor & solis corporibus concretus est, cœlum autem ex igne, idque maximè. XIII.

Quòd non necessaria est Aristotelis argumentatio in Primo Meteorologicôn, qua conficere sibi videtur, quòd cœlestia ex igne non constant. XIIII.

XV. *Verba Tauri Platonici, Porphyrij, Procli, & Plotini, quòd ex quatuor & solis elementis Mundum constare voluit Plato, ignorans illud, quod apud Aristotelem quintum corpus vocatur, ex quo ille cœlum esse dicit.*

XVI. *Quòd iisdem adfici qualitatibus cœlum Plato voluit, quibus quæ hîc apud nos visuntur elementa, informata sunt, calore dico, frigore, & reliquis.*

XVII. *Quòd ne fieri quidem posse Plato dicit, vt aliud sit corpus simplex præter quatuor elementa.*

XVIII. *Quibus rationibus Plato, cùm solida & simplicia corpora sint quinque, cubus, pyramis, octaëdrum, dodecaëdrum, & eicosaëdrum, quatuor quidem elementis quatuor attribuit: dodecaëdrum autem vniuerso Mundo. Et quòd hinc adparet, Platonem non nouisse quintam essentiam.*

DECIMITERTII ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

I. IMPVDENTIAE modus est nullus, quem non natura hominum transiliat: siquidem cùm Plato tam apertè clamitet: ex igne, terra, aqua, & aëre Mundum vniuersum esse concretum, atq; adeo cœlum ipsum, & quæ in cœlo sunt omnia, ex his iisdem esse composita, maiorem tamen ignis partem obtinere: homines nonnulli extiterunt, quos omnium minimè id decebat, qui cùm speciosum Philosophiæ nomen prætendant, & sententiarum, atque decretorum Platonis interpretes videri velint, eò ingratitudinis & iniquitatis sunt progreßi, vt summa temeritate (neq; enim, vt mihi quidem videtur, cum consilio) dicere sint ausi, Platonem voluisse cœlũ alterius esse substantiæ, quàm quatuor elementa: vt neque sit ignis, neque terra, neque quicquam eorum, quæ inter hæc sunt media: neque verò ex his sit compositum. quanquam nobis hic idem Platonis interpres, vbi contra Aristotelem insurgit, super iis, quæ ab illo contra Platonis Timæum dicta sunt, cùm Aristoteles Platonem reprehendat, quòd ex quatuor elementis cœlum componat, multus est in eo, vt persuadeat, non alienam esse quandam, nec abhorrentem ab iis quatuor elementis, ex quibus totus constat Mundus, cœlestis corporis naturam. Cuiusmodi est, quam Aristoteles quinti corporis naturam in Vniuerso introduxit: sed quòd eorum purißima portio, cœlestium corporum perficit coagmentationem. Quî fit igitur, vt nunc nobis suam in vtranq; orationis partem dicendi vim ostentans, calumnietur, quem antè defendit, Platonem, & puppim oratione sua depellens, canit palinodiam? Verùm hæc cùm ex ipso Platone, tum ex iis, qui hunc interpretati sunt, partim aliorum Philosophorum de eodẽ testimonia, partim ipsius Procli probationes producentes, paulò pòst docebimus, Platonem cœlum vniuersum ex elementis quatuor componi voluisse. Illud autem nunc primùm est inuestigandum, an vlla probabili occasione nitatur oratio, quæ statuit cœlum, quia in orbem versetur, diuersæ esse substantiæ, quàm quatuor elementa. Aristotelis autem argumenta, quibus probare nititur, cœlũ quintum quoddam esse corpus, Deo duce in his, quæ contra ipsum dicemus, diligenter excutiemus. nunc autem hoc vnum nostra discutiet & examinabit oratio, an

tio, an pugnantia Plato propoſuerit, cùm ex igne plurimo cœlum cõſtare dicit, & globoſam ei circundatam eſſe figuram,& conuerſionem in orbem,vt eidem conuenientem tribuit. Quòd ſi vlla neceſſaria ratio conficere videretur, vt ex eo, quod cœlum verſetur in orbem, alterius naturæ & ſubſtantiæ, quàm quatuor elementa ipſum eſſe ſit ſtatuendum,ne ſic quidem par eſſet,quod ſępe dixi, ea, quæ apertè & ſine vlla diſsimulatione à Platone dicta ſunt, obſcuris quibuſdam coniecturis,quaſi nunquam dictæ ſint,reiicere fraudulenter. Verùm ſi ad repugnantiam tantùm hypotheſeôn ſtudio veritatis animum aduertere decet, tamen Platonis ſtudioſis danda eſſet venia, ſi in concordiam, quanuis contra veritatem, ipſum adducerent. Quòd ſi apertè fieri adpareret, ex quatuor elementis cœlum conſtare,& naturâ in orbem verſari,ſophiſtam apertè eum meritò iudicaremus, qui conaretur ad id tantùm quod videatur, & non ad veritatem verba detorquere.Neque enim eum quid verum ſit ignorare puto,qui tam apertis tenebras offundere tam ſit ingenioſus. Ad hunc igitur modum Proclo procedunt argumenta.

DEVM cœlo motum tribuiſſe globoſo corpori conuenientem ſcribit Pla- II.
to, conuerſione enim in orbem moueri. Et ideo ab aliis corporibus, quæ ad rectam mouentur, diuerſum eſt, hoc eſt, ab igne,aëre, aqua,terra. Horum enim, quæ grauia ſunt,deorſum,quæ leuia,ſurſum connituntur.Neque leue igitur(inquit)neque graue cœleſte corpus eſſe arbitratus eſt Plato. Atqui aut ſi aut ſimplex, aut inanimum corpus Plato cœlum eſſe poſuiſſet,fortaſſe probabilem,etſi non veram orationem hanc eſſe confiteremur. Iam cùm ipſum quatuor elementis, maiori tamen ignis portione, conſtare dicat, animatum tamen eſſe, & ab anima motu cieri,cuiuis patêre puto Platonem dicere, rotundam conuerſionem cœlo conuenire,& eidem naturalem eſſe,non quia ipſum per ſe corpus intelligitur ſeiunctum ab anima,quę ipſi regendo præfecta eſt,ſed quia animal eſt, hunc motum huic ab anima conuenire. Iam leuium ſurſum,& grauium deorſum motus,non animantium,ſed inanimatorum corporum motus eſt:quæ non arbitrio & voluntate,ſed inſito ſibi momento feruntur. Atque fit plerunque, vt qui alicui animanti naturalis eſt motus, is ſubiecto corpori naturalis non ſit. Nam quæ hîc apud nos viſuntur animalia, cum progreſsione ad latera impelluntur,naturâ quidem, vt animalia mouentur, nullius tamen eorum elementorum ex quibus ipſorum conſtant corpora, neq; verò ipſius compoſiti naturalis motus is eſt, qui ad latera inſtituitur. Nam quando corpora compoſita non vt animata, ſed vt inanima ſunt, motu cientur, ſimplicis eius corporis motum ſequuntur, quod in compoſito vincit. Cùm enim in corporibus compoſitis, quæ hîc viſuntur,grauia elementa ſuperant,terra,inquam,& aqua,tum deorſum ipſa naturâ feruntur.Quare animalium motus,qui ad latera animę vi perficitur,non naturalis eſt animalium corporibus,& quæ animata corpora accreſcunt, quando accretione ſurſum feruntur & volucres, quando totæ penes ſe totas infernè ſurſum transferuntur,vt animatę motum hunc naturâ ſuſcipiunt:vt autem terrenæ ſunt & graues,contra naturam. Quid autem dixerimus de ſtirpibus? quæ vnà cum ſolis conuerſione circunferuntur, quæ cognomines motui ſolis, ob id

helyotropia nuncupantur. Dicant enim nobis,cuiúsnam ſimplicis corporis naturalis eſt eiuſmodi motus? Aut enim neceſſe eſt, hæc dicere aliena eſſe ab elementorum natura, propter motus diuerſitatem: aut ſi alia eſt cuiuſq; corporis, quę à natura propria,vt ab inanimato proficiſcitur motio,alia autem ab animato,quæ vi & ope animæ perficitur,& cœlum Plato animatum eſſe, & ab anima motu cieri voluit, perſpicuum eſt, vt animali naturalem eum motum cœlo tribuere,qui in orbem conuertitur. Nam ſi circa mentem maximè conuerſionem eſſe dicit, & vt Plotinus ait, in orbem ideo conuertitur, quia mentem imitatur, patet, quòd ab anima motum rotundum ipſi accedere cenſet, ad intelligentis actionis imitationem, quæ motu corpus proprium impellit.Neque enim penes expertem rationis animam, & naturalem ſine anima mouendi impetum, corpus inanimum mentem imitari quiſquam iure exiſtimauerit. Meritò autem etiam figuræ conuenientem motum rotundum eſſe dixit.Nam cuique animalis figuræ cònueniens ab ea,quæ ipſi inſidet anima impertitur motus:vnde alius eſt volucrium, alius terrenarum, alius aquatilium animantium motus. Atque volucres & aquatiles & ſurſum & deorſum, & ad latera ſimiliter impelluntur: in terrenis autem aliter,quę pedes habent,aliter quę iiſdem carent,progrediuntur. Quid igitur eſt mirum, ſi cœlum quoque pro ratione corporis ab anima promouetur? ſiquidem magis pro momentorum atque facultatum animæ ratione ipſum & efformatum eſt,& mouetur, vt in reliquis quoque animantibus corporum fictio,& membrorum conformatio,non ſecundùm varietatem ſubſtantiæ ſimplicium corporum,ex quibus componuntur animantes, ſed pro variis facultatibus animarum,quæ in ipſis functiones ſunt habituræ,ab opifice natura exculta, & adornata eſt, vt in ſexto argumento pleniùs confirmauimus. Quare ſi figurarum diuerſitas ſubſtantię commutationem non facit(ſubſtantię dico penes elementa,ex quibus conſtant animantes) neque certè quæ animatorum motio naturæ accommodata eſt,eò nos neceſſariò compellet, vt corpora ipſorum alterius naturę eſſe dicamus.Fieri igitur poteſt,vt Plato cœlum naturâ in orbem verſari dixerit, vt animatum corpus,& nihilominus communis elementorum naturæ eſſe poſuerit. Prætereà, ſi omnis animans animæ vt aliquo motu in loco cietur(nam volare,volucribus, & natare, piſcibus, & terrenis ſerpere, atque cruribus ingredi, animæ beneficio competit) cœlum autem Plato dixit eſſe animantem, palàm eſt, quòd motum aliquem in loco vt animæ ipſi competere confitebitur. Omnis enim animans ab anima aliquo in loco motu cietur:neque vlla eſt,quæ hoc motu ſit deſtituta.Cœlum autem nullo alio motu impellitur in loco, quàm conuerſione in orbem. ex Platonis igitur ſententia vi animæ hoc motu impelletur.Quare ſi in orbem ab anima conuertitur, & diuerſa eſt ea animalium motio, quæ vi animæ perficitur, ab ea, quæ ab inſito momento,vt inanimatis corporibus ipſorum conuenit,non ſanè cœleſtis corporis naturalem eſſe conuerſionem exiſtimauit Plato, ſed ab anima ipſi potiùs cõuenire.Vnde in animæ procreatione Plato cœleſtium orbium motus animæ corporis adaptauit,vt ex ipſius verbis diſcere poſſumus.Motum enim eius ſphæræ,quæ Aplanes dicitur,quem motum eiuſdem appellat, & ſeptem interiorum

errantium,quem diuersi nuncupauit,animam ipsam Plato ciere dixit,& (quod ait Aristoteles) quasi progresiones cœli sint animæ motus. Quòd si perspicuè animam Vniuersi intelligentem, & corporis expertem Plato esse dixit, cùm autem ipsam cœlo connexuit, cœlestis corporis motibus, qui in loco perficiuntur, eandem moueri dixit, animam autem corporis expertem in loco moueri, eorum est, quæ fieri non possunt, sanè vel cæco perspicuum esse puto, quòd symbolico doctrinæ modo motus cœli causam dixit, ipsum moueri. Nam quæ per imaginem in eo sunt, quod oritur de causa eadem, per exemplum in ipsa causa priùs insunt. Nam quæ in architecti animo domus forma inest, exemplum & causa est eius domus,quæ ex lapidibus conficitur.Ex hac enim notione Plato rerum omnium ideas esse posuit.

VERVM, si non naturâ rotundo motu cœlum mouetur, inquit, sed ab anima,quæ tandem est cœlestis corporis naturalis motio? Nam si in iis est corporibus,quę ad rectam feruntur,aut sursum,aut deorsum mouebitur,à quorum vtroque exemptum est cœlum.hanc obiectionem nobis ipsemet Proclus diluit. Nam (vt iam intelleximus in decimo argumento) scribit, vnumquodq; Mundi elementorum in suo loco aut manere,aut in orbem versari.Tum enim ad rectã lineam contendit,inquit, cùm in suo loco non est, ad eum peruenire connitens. Quòd si in suo loco cùm est vnumquodque, id aut manet immotum, vt terra: aut versatur in orbem: at non ad rectam lineam, vt hypeccauma, & qui supra montium vertices residet aër. Corporum autem compositorum quodque eius elementi locum occupauit, cuius plurimùm est particeps: vt nostra corpora, quę terrea sunt,in eodem loco sunt cum terra:cœlum autem,quod de Platonis sententia ex igne plurimo constat, eóque tenuissimo, simul & purissimo, igni autem locus est naturalis omnium supremus, in eo verò est & cœlum, cœlum sanè proprium locum occupauit,& in eo,quem occupauit,motu rotundo conuertitur. Seu igitur animæ vi ei insit conuersio, ipsum autem sua natura nullo motu cieatur, naturâ certè manet, ac non mouetur ad rectam, vt quod locum suum occupauerit,& motus rotundus ei vt animanti naturâ competit: seu non animæ vi,sed naturâ in orbem moueatur, etsi in numero sit eorum corporum, quæ recto motu feruntur,vt quod in suo sit loco: quia eorum,quæ recto motu impelluntur,nullum ad rectam lineam moueri potest,quando secundùm naturam in suo residet loco. III.

QVOMODO fit igitur, vt iterum Proclus Plat.pronuntiatis egregiè & probè constitutis,voces hîc contrarias emittat? Nã si necesse est,vt cœleste corpus ob id vnum,quia recto motu non feratur,sed versetur in orbẽ,ab eorum corporum substantia sit diuersum, quæ ad rectam impelluntur, certè in iis sit, quæ recto motu feruntur, etiam tum ad rectam ipsum moueri voluisset, cùm in suo loco esset situm.Quî fiet igitur,vt iam Proclo vera sit illa oratio,nullum elementum,cùm in suo est loco,ad rectam moueri, sed aut immotum manere, aut rotundo motu cieri? Quòd si accommodatè ad rerum illarum naturam id confessus est(neque enim terra,neque aqua,neque ignis,neq; aër, cùm suum tenent locum:ad rectam lineam contendunt,nisi vi pulsa,ab eo dimota fuerint) neque IIII.

proculdubio cœlum rectà moueri, tum, est necesse, cùm suum locum tenet, etiamsi naturâ sit eorum, quæ ad rectam feruntur.

V. NEQVE verò solùm necesse non est, sed eiusmodi etiam, quod fieri non possit, vt cœlum recto motu feratur, etiamsi eiusdem sit naturę cum elementis. Nullum enim elementum neque totum, neque eius pars, cùm in suo & naturali situm est loco, rectà moueri conspicitur. Non enim aliâs insito sibi à natura momento ad rectam moueri cernuntur; quàm quum à naturali loco dimota fuerint: vnumquodque enim in eo loco permanere contendit, qui naturæ suę est accommodatus, quia in eo conseruatur: atque vi externa opus est, vt à naturali loco traducantur corpora: vt aqua, & terrea corpora machinis quibusdam aut facultate præstantiore infernè sursum vi euehuntur: & ignitus spiritus, qui in nubibus conclusus est, dum compresione exprimitur, deorsum detruditur contra naturam. Vbi tamen à suo loco dimota sunt corpora, insito sibi momento statim ad illum rectà referuntur, quia in eo conseruantur. Quare si cœlum in loco naturæ suę destinato situm est, &, secundùm Platonem, ex igne, eóque quantùm maximè fieri potest, tenuissimo & purissimo constat (vt nos Proclum hæc eadē confitentem deinceps producemus) & ideo supremam omnium regionem occupauit, fieri certè non potest, vt insito momento, motu recto feratur. Nam si rectà progrediatur, sursum niti nullo modo poterit: extra cœlum enim nihil esse doctissimi quique Græcorum confitentur. Iam deorsum si deferatur, à naturali loco dimoueri erit necesse. Verùm nullum est corpus, quod naturali vlla facultate à naturæ loco depellatur. Omnia enim naturaliter expetunt esse. Est autem maximè quidq;, & in naturę statu conseruatur, cùm in loco est naturali. Verùm, vt dixi, externa vi est opus, vt à naturali loco vnumquodque dimoueatur. Quare fieri non potest, vt cœlum sine vi aliqua externa deorsum deferatur, etiamsi igneum esse concedatur. probatum est autem, quòd neq; sursum omnino euehi potest. Fieri igitur nequit, vt recto motu cœlum vllo pacto moueatur, vel si ex Platonis sententia, ignis maximè sit particeps.

VI. IAM verò quid omnino est necesse, cur cœlum ob hoc solùm, quòd in orbem moueatur, alterius naturæ, quàm quatuor elementa esse statuatur? Nam si totus ignis, hoc est, ætherium corpus, quod Aristoteles hypeccauma appellauit, in orbem moueri, & non ad rectam euidenter adparet, vt quæ in ipso excitantur affectiones ostendunt, veluti cometæ, & quæ sunt eiusmodi (nam & nasci & occidere cernuntur, & in orbem vnà cum cœlo versari. Neque verò quisquam ab elementorum natura ipsa propterea exemerit: ipsa enim est ignis elementaris integritas) non igitur cœlum ideo quia rotundo motu conuertitur, & non recto cietur, alterius esse substantiæ, quàm elementa existimari par est: seu corporis ipsius motum hunc esse quisquam concesserit, seu ab anima, quæ ipsi insidet, eidem conuenire voluerit. Quemadmodum igitur ignis totus non momento naturæ motum peragit orbicularem, sed vnà cum ambiente & continente cœlo circumagitur, eo sanè modo, quo aquam in machinis vnà cum machinarum conuersione circumuersari videmus: atq; ipsi hypeccaumati, hoc est, ætherio igni, contra naturam eiusmodi motus inest: sic cœlum à præstantiore facultate,

rare,eáque incorporea circumductum in orbem, & supra naturam sui corporis distinens eiusmodi motum, nulla necessaria ratione propterea conuincetur diuersæ esse substantiæ,quàm elementa:hoc tamen interest,quòd nullo medio ab incorporea natura cœlum conuertitur:quæ autem intra ipsum versantur in orbem, per hoc medium hunc motum consequuntur: & hoc sanè meritó. Nam etsi vna & eadem genere materia, omnibus subiicitur compositis corporibus, nempe quatuor elementa: tamen quia alia species alia specie præstantior est & nobilior,vt auri forma nobilior est,quàm ferri,& hominis,quàm canis:vt formę autem aliæ aliis nobilitate antecellunt:ita natura ad compositorum procreationem puriores elementorum particulas deligere solet.Cœli autem forma & species reliquorum omnium corporum formis multis partibus antecellit. Necesse igitur fuit,elementorum, vt ita dixerim, delicias, & florem purissimum, materiam cœlestis corporis formæ præbuisse.Quoniam igitur tum forma, tum materia cœleste corpus interiora omnia longè superat, & ob id longissimę est vitę, & quoad fieri potest, ab omni perpessione liberum, meritò etiam ante ea, quæ intra ipsum continentur,hoc est,ante totum ignem,& eum aërem,qui extat supra montium vertices,conuersionis in orbem est particeps: neq; verò exteriora quintæ cuiusdam naturæ erunt,quia versantur in orbem, neque ipsum cœlum.

CVM igitur confirmatum sit,nulla necessaria ratione confici cœlum,quia versetur in orbem, ideo peregrinum esse, & alienum à natura quatuor elementorum,& ex opinione Platonis cœleste corpus ex his iisdem coagmentatum sit, in elementis autem contraria cernantur,calidum & frigidum,humidum & siccum,& reliquæ contrarietates: procreationes verò & interitus, vt in his asseuerauit Proclus,sint contrariorum, certè cœleste corpus sua naturâ natum esse & caducum, tum ex principiis Platonicis, tum ex iis, quæ à Proclo concessa sunt, est necesse:vt nos quoque in sexta ratione idem Platoni videri iam pluribus confirmauimus: etsi Dei voluntate & consilio nunquam dissolutum iri ille constituat,sed rediuiuam immortalitatem adquirere. VII.

IAM quæ deinceps in Procli oratione sequuntur,expendere est operæpretium,quomodo ab ipsa compulsus euidentia, Mundi elementa confitetur partibus nasci & interire: vbi ait,quòd hæc partibus nascuntur & intereunt: deinde, quid inde necessariò consequatur, sentiens nempe quòd cuius partes natæ sunt & caducæ,ipsum quoq; natum esse & caducum est necesse: paululùm progressus,suam ipsius thesin euertit. Ait enim, quæ quomodocunque nascuntur & intereunt,Mundi esse opera & effectus,non autem partes,cùm qui in Mundo sunt dii,ex eo particulas mutuò accipiant,quas iterum restituant,vt ait ille.Cùm igitur quæ quomodocunque nascuntur & intereunt, non sint Mundi partes, elementorum certè partes cùm ex iis sint, quæ nascuntur & intereunt, nec ipsæ Mundi partes erunt. Quare si partes elementorum, quæ oriuntur & occidunt, partes Mundi non sunt,& nulla est pars elementi,quæ non nascatur & intereat, nulla certè pars elementi totius Mundi pars erit.At verò vnumquodq; elementum totum nihil est aliud,quàm ipsius partes vniuersæ coniunctæ simul.Neque igitur elementa tota Mundi partes erunt:quanquam ipse Proclus hîc Platonem VIII.

ſequutus, elementa Mundi partes eſſe confeſſus eſt. Quare ſi elementa Mundi ſunt partes, & elementorum itidem partes, Mundi quoque ſunt particulæ. Quemadmodum enim tota manus pars eſt hominis: ita certè & manus pars digitus, totius hominis pars eſt: quia nimirum ſi digitus vnus deſit, mutilum hominis corpus eſt, ac non integrum: quanquam niſi partis pars, totius quoq; pars eſſet, nunquam vno deficiente digito mancum totum corpus diceretur. Et in Mundo igitur ſi elementa Mundi ſunt partes, elementorum quoq; partes, Mundi totius partes erunt. Et aliôqui ſi vnumquodque elementorum à ſuis partibus completur, & Mundus totus à totis elementis, elementorum certè partes totum explent Mundum, quæ autem quidque complent & perficiunt, ea eius ſunt partes, efficitur vtique, vt elementorum partes, Mundi totius partes ſint. Neque enim magnitudine & paruitate cernuntur partes. Vt enim totius domus pars, aut elementum, eſt lapis decem cubitorum: ſic pedis vnius lapis domus itidem pars eſt aut elementum. Et vt viginti cubitorum lignum nauis pars eſt: ſic & pedis vnius lignum: & in ipſo Mundo vt totus octauus orbis Mundi pars eſt: ſic & ipſius octaui orbis pars, vt canis, aut alia quęuis ipſius ſtella totius Mundi pars eſt. Quarè ſi tota terra Mundi pars eſt, & terræ certè pars, vt olympus, Mundi pars eſt: vnde etiam efficitur, vt pars olympi, Mundi quoque ſit pars. Atque in reliquis elementis eadem eſt ratio. Cùm igitur elementorum partes, partes ſint Mundi, & omnes elementorum partes natæ ſint & caducæ, è Mundi certè partibus nonnullæ ſunt, quæ naſcuntur & intereunt. Quòd ſi hoc verè dicitur, non quæ quomodocunque naſcuntur & intereunt, Mundi effecta ſunt, ac non partes, vt aſſeuerat Proclus.

IX. HIS ita conſtitutis, cuiuis eſt apertum, Proclum ipſum ſibi repugnantia protinus conſtituere, atque Euripi in modum, quaſi contrariis pulſum fluctibus, nunc in hanc, nunc in illam rationem impelli, & quæ vi veritatis confiteri cogitur, eadem deinde ſtatim euertere, dum quem ſibi falſum ſcopum propoſuit, eundem attingere cupit. Nam cùm dixerit ab elementorum natura propterea alienum eſſe cœleſte corpus, quod neque ſurſum moueatur, neque deorſum, atque docere velit propter hanc cauſam, neque naſcendi neque intereundi legibus eſſe ſubiectum, neceſſariò quidem confitetur, procreationes & interitus rerum eſſe ſibi mutuò contrariarum, eáq; eſſe contraria, quibus contrarii naturâ competunt motus, vt ignis, & aqua. Hæc cùm contrariis prædita ſint motibus, contrariis quoque, & ſeſe mutuò perimentibus qualitatibus tanquam characteribus inſigniuntur. Nam ignis cùm leuis ſit, & ſurſum ſuopte nutu feratur, calidus eſt, & ſiccus: aqua autem cùm grauis ſit, & deorſum nitatur, frigida eſt & humida, quibus ex contrarietatibus, nempe calido & frigido, humido præterea & ſicco, in rebus naturæ procreationes fiunt & interitus. Quoniam igitur contraria ſunt elementa, vtpote contrariis prædita facultatibus, ob id (inquit Proclus) hæc quidem naſci poſſunt & occidere: cœlum autem procreationis & interitus expers eſſe debet, vt quod ab horum natura alienum ſit, & nullam contrarietatem contineat. Cùm autem omnia dixiſſet, is veluti æſtuans, quia intellexiſſet id quod neceſſariò erat conſequens (nam cùm Mundi partes, hoc eſt, ele-

menta

menta nasci & interire naturâ soleant, ipsum quoque Mundum nascendi & intereundi legibus subiectum esse oportet) protinus quam proposuerat thesin, euertit. Elementa enim, quę nasci & interire confessus erat paululùm progressus, ea statim partibus nasci & interire dicit, tota tamen secundùm naturam adfecta manere. Et deinceps apertè profitetur ortus & interitus ea esse expertia, pulchrè hoc ipsum antè confessus, cùm hæc describeret. Quanquam cur nascantur & intereant, causam reddidit maximè idoneam, quòd ea contrariis adfecta sint qualitatibus, quæ ortus causam præbent & interitus. Cur autem ortus & interitus sint expertia, & solis partibus nascantur & intereant, causam ne probabilem quidem extulit. neque enim poterat. At verò neque ex euidentia fidem aut probabilitatem adsumpsit. Non enim quod nunc peremptum non est, protinus ab interitu alienum esse oportet. Porrò quòd non solùm per partes, sed per se etiam tota elementa ortus & occasus conditione teneantur, progressi docebimus. nunc autem hic nobis sapiens Proclus vt Mundum doceat neque nasci neque interire, ex his, quæ adparent, adsumit procreationes & interitus esse contrariorum: & ob id elementa quidem nasci & occidere, cœlum verò non item, vt quod nihil habeat contrarium. Cæterùm, cùm intelligeret hoc quoque modo Vniuersum ortui & interitui esse obnoxium (nam si Vniuersi partes nascantur & intereant, Vniuersum quoque nasci & interire est necesse) protinus propositum euertit. Nam cùm dixerit per partes tantùm nasci elementa & interire, ipsorum autem quodque integrum neque oriri, neque occidere, etsi ortus & interitus causa æquè in totis elementis cernatur atque in partibus, nempe contrariæ qualitates, quæ se mutuò perimere sunt natæ. Verùm quoniam sic quoque Mundum nihilominus intereundi lege teneri conficiebatur (nam si pars nulla est elementi, quæ nasci & interire non posit, ex his autem ipsis & vnumquodque elementum totum, & Mundus vniuersus coagmentatus est, ne ipse quidem ortus & interitus expers esse posit) iterum facultate quòd elementorum partes nascantur & intereant, protinus euertit: ait enim, quæ quomodocunq; nascuntur & intereunt, Mundi effecta esse & opera, non partes. Perspicuum est igitur, quòd elementorum partes, quas iis, quæ euidenter adparent, compulsus confessus est nasci & interire, ipsas quoq; Mundi vult esse opera, ac non partes. Si igitur elementi pars nulla totius Mundi pars, propterea quod nascuntur omnes & intereunt, planè necesse est, aut ne elementa quidem Mundi esse partes (tota enim aqua, & terra tota nihil aliud sunt, præter omnes parteis simul collectas, & eodẽ modo aër & ignis) & efficietur, vt quæ Mundi partes esse confessus est, eadem rursus parteis non esse ex suis ipsius decretis concedere habeat necesse: aut si integra elementa Mundi sint partes, ostensum est autem partium partes totius esse partes, eorum autem, quæ giguuntur aut intereunt, nihil Mundi pars est, efficitur, vt neque elementorum partes sint partes Mundi. Quòd si Mundi partes non sunt, neq; sanè partium Mundi sunt partes. Nam si Mundi partium partes essent, totius quoq; Mundi essent partes. elementorum igitur partes, elementorum partes non sunt. Est enim eiusmodi falsitas, vt ipsa à se conuincatur. Sed quid opus est verbis? Cùm enim Proclus dixisset, quę quomodocunq; nascuntur

& intereunt, ea Mundi esse opera, & non partes, Platonis verba proposito suo
" accommodans, subiunxit, quæ habent ad hunc modum: Nam cùm (inquit ille)
" qui in ipso sunt dii, de Mundo partes mutuarentur, quas postea restituerant. Si igitur Mundi sunt partes, quæ ad compositorum corporum procreationem, ab iis, qui in Mundo sunt dii, accipiuntur; elementorum autem partes sunt ea, quæ Proclus nasci & interire ex ipsa euidentia confessus est, elementorum certè partes, quæ nascuntur & intereunt, Mundi sunt partes, vt & Plato professus est, & Proclus ipse concesit. Quòd si quæ quomodocunque nascuntur & intereunt, ea Mundi sunt opera, & non partes, proculdubio elementorum quoque partes Mundi sunt opera, ac non partes. Sin hæc eadem Mundi etiam sunt partes, elementorum quoque partes Mundi sunt particulę: & rursus non partes, sed opera. At verò fieri non potest, vt idem eiusdem simul & secundùm idem particula sit & opus. Nam particula id complet, cuius est particula, vt digitus humanum corpus. Iam verò opus non complere solet efficientis substantiam. Domus enim nō complet artificem, neque id quod procreatur, eam naturam absoluit, quæ procreauit: vt patris substantiam, non quia pater est, sed quia homo, filius non complet. Præterea, in continuis pars cùm toto coniuncta est, vt digitus cum toto homine coniunctus est: opus autem ab efficiente seiunctum est, præsertim posteaquam est absolutum: vt à fabro ianua, & quod procreatum est, ab ea natura, quæ procreauit. Fieri igitur nō potest, vt quod alicuius est particula, id illius eiusdem simul & secundùm eadem sit etiam opus. Porrò, addidi simul & secundùm eadem, proptereaquòd quę ad fœtus procreationem à patre aut matre adsumitur materia, vt semen, & sanguis menstruus, eorum, qui procrearunt, particula fortasse videri posit: sed non simul & secundùm eadem est etiam opus: verùm tum demum, cùm versum fuerit & immutatum, quo tempore non est pars. neque igitur tum, cùm semen est, aut menstruus sanguis, opus est, neque quandò fœtus pars fuerit corruptum: iam & in eius naturam immutatum efficientis particula est ampliùs. Quare si Mundi particulæ sunt elementorum partes, eiusdem opera quoque esse non possunt. At verò quę quomodocunque nascuntur & intereunt, opera sunt Mundi, vt Proclo videtur. Partes igitur elementorum, Mundi quoque sunt opera, & rursus eius non sunt opera. Et alioqui etiamsi quis concedat in quibusdam fieri posse, vt eadem eiusdem partes sint & opera: nihilominus repugnantia loqui deprehenditur Proclus. Nam si elementorum partes, Mundi quoque totius sunt particulæ, & concessum fuerit, eadem Mundi esse opera, perspicuum est, quòd quatenus sunt particulæ, falsa erit Mundi enuntiatio, quæ habet, quę quomodocunque nascuntur & intereunt, Mundi partes non esse. Nam eadem Mundi partes esse concesit, per ea Platonis, quæ modò produximus: & rursus per suam enuntiationem partes esse negauit. Quî factum est igitur, vt Philosophus non intellexerit se suis verbis protinus & palàm in repugnantia compelli? An quòd cæcum est mendacium & eiusmodi, quod neque se, neque veritatem perspicere posit?

X. PALAM autem conuincitur Proclus ex eo, quòd cauet, ne quæ gignuntur & intereunt, Mundi partes esse dicat: cùm accuratè nouerit, quòd cuius partes na

tes naſcendi & intereundi legibus obnoxiæ ſunt, ipſum quoque oriri neceſſariò & interire oportet. Porrò, lic ebat alios complures in Philoſophia claros hoc idē dicentes ad verbum producere: quòd cuius partes naſcuntur & intereunt, ipſum quoque naſcendi & intereundi conditione tenetur. Verùm ad idoneam huiuſce rei fidem, rationem ſatis eſſe puto, vt orationis prolixitatem effugiamus. Nam ſi aquæ nulla pars eſt, quæ non naſcatur & intereat, totum autem nihil eſt aliud, quàm ſimul partes vniuerſæ, quî fieri poteſt, vt ſi nullam partem contineat, quæ leges effugiat naſcendi & intereundi, ipſum ortus & interitus conditione non teneatur? Nam quod propriè nec naſci nec interire poteſt, idem numero conſtare oportet. Nullum autem elementorū idem numero, longo tempore manere poteſt, cùm omnes eius partes intereant, & aliæ nonnullæ viciſsim ſuboriantur. Nam (quod etiam ſuprà diximus) quemadmodum non eadem eſt numero nauis, quæ paulatim quidem penes aſſeres immutatur, tempore verò tota eſt immutata, & alia facta ex alia: ſic & quæ nunc aqua eſt, eadē numero non eſt cum ea, quæ verbi gratiâ, ante ter mille annos fuerit, aut contrà, cum ea, quæ poſt longiſsimum tempus eſt futura: cùm omnes partes aquæ eius, quæ anteà fuerit, nunc interiereunt, & eius, quæ nunc eſt, olim ſunt interituræ. Atque in reliquis elementis eadem valebit ratio. Quomodo igitur elementorum integritates nec oriri nec interire dicemus, quæ eædem numero non conſtant? Atqui quòd nunc elementa repentè ipſa tota non intereant, ſed ſpecie maneant eadem, neutiquam eſt argumento, quòd nunquam tota elementa ſunt interitura. Neceſſe eſt enim quandiu ſteterit Mundus, vnumquodque Mundi elementorum ex quibus coagmentatus eſt, totum penes ſe totum idem ſpecie conſeruari. Nam quandiu domus manet domus, debent ea, ex quibus conflata eſt, ſpecie eadem penes ſe tota manere, vt lapides, ligna, cæmenta, & reliqua etiam ſi per partes intereant tum ligna, tum lapides, vt in ſuperiore argumento docuimus. Et dum ſuperſtes erat Socrates, eius quoque partes eaſdem ſpecie conſeruari fuit neceſſe, vt carnes, ſanguinem, oſſa & partes reliquas, etiam ſi penes partes aliæ quidem interibant, aliæ autem oriebantur. Siquidem in naſcendo & intereundo homines ſumus. Non igitur quòd penes ſpeciem nunc non intereant elemētorum integritates, neceſſariò conficit, Mundum nunquam interire: ſed tum demum conficeret, ſi ratione doceretur, nullam nec ortus nec interitus rationem ſubire. Nunc autem cōtrà fit omnino. Nam tum partium omnium ortus & interitus, tum cuiuſque totius penes numerum immutatio, tum quòd contrariis & ſeſe mutuò perimentibus qualitatibus inſigniantur, nos confiteri cogunt, tum quodq; elementum, tum Mundum, qui ex his coagmentatus eſt, naſcendi & intereundi legibus eſſe obnoxium. Nam ſi procreationes & interitus ſunt contrariorum, contraria autem, quæ contrariis prædita ſunt qualitatibus, & contrariis qualitatibus elementa adficiuntur, conficitur, integra quoque elementa ſub ortum cadere & interitum. Nam integra elementa eiuſdem ſunt ſpeciei & naturæ cum ſuis partibus. Cuius enim naturæ eſt tota aqua, vt aqua, eiuſdem eſt & aquæ particula. Humida enim eſt & frigida tota aqua, & eiuſdem itidem particula. ſic calidus & humidus eſt totus aër, & quæuis eius pars. & ignis calidus & ſiccus eſt totus, quem-

admodum & partes: eodem modo arida est & frigida terra. Quare si hæ contrariæ qualitates elementorum partibus ortus & interitus causam adferunt, eædem autem hæ integra elementa sine vlla varietate informant, perinde atque partes, efficitur certè, vt integra elementa nascantur quoque & intereant, perinde atque partes. Nam cùm interitus causæ nempe contrariæ vires in partibus & in totis eodem prorsus modo cernantur, qua quæso sortitione fiet, vt partes oriri & interire dicamus, non item tota? Cur non potiùs est necesse, vt idem eueniat totis, quod partibus, cùm in vtrisque eadem ortus & interitus causa cernatur? Porrò, cùm tota elementa nasci & interire confirmatum sit, Mundum quoque qui ex his concretus est, nasci & interire est necesse: his enim peremptis Mundus ex his coagmentatus seruari nullo modo potest. Cùm enim elementa, ex quibus quidque constat, intereunt, ipsum quoque interire oportet. Cuius igitur partes nascuntur & intereunt, ipsum quoque sub ortum & interitum cadere necessariò, & integra elementa & propterea ex ipsis conflatum Mundum nasci & occidere, hisce quæ diximus, confirmatum est.

XI. QVOD autem quæ quauis ratione nascuntur & intereunt, ea Vniuersi partes non esse ridiculè dicit Proclus, iam paulò antè docuimus: nunc tamen orationem reuocātes, idem ad hunc modum docemus. Primùm igitur ex ipsius sententia constitutum esto, quæ animalium corpora ex elementis composita sunt, opera & effectus esse Vniuersi, ac non partes: hæc enim ab iis deis, qui in cœlo sunt, gigni tradit Plato, qui de Mundo mutuentur particulas, quæ denuo restituantur: quòd autem elementa Mundi sint partes, & ipse confitetur. Atque aduertendum est (quod etiam suprà dixi) Proclum Platonem sequutum, elementorum partes, quæ ad procreationem animalium ab Vniuerso mutuò accipiuntur, ipsas quoque Mundi particulas esse profiteri. Si itaque sola composita ea essent, quæ nascuntur & intereunt, simpliciores in errorem impellere ista fortasse posit oratio, quasi Mundi opera essent, ac non partes, quæcunq; sub ortum cadunt & interitum. Sin ipsæ quoque elementorum partes nascuntur & intereunt, siquidem in sese mutuò commutantur, & ex aqua intereunte gignitur aër, & ex aëre iterum aqua, & ex quibusuis quidlibet. Vnde perspicuum est, elementorum quoq; partes & nasci & interire. Si igitur elementorum partes, quæ sub ortum cadunt & interitum, totius Mundi sunt particulæ, vt tum Plato, tum Proclus confitentur, non sanè quæ quauis ratione nascuntur & intereunt, Mundi sunt effectus & non partes. Nam partis particula in his maximè, quæ naturæ sunt eiusdem, quantitate sola, non item specie inter se differunt. Nemo autem, opinor, qui sensu communi non careat, quantitate diiudicabit, hoc illius pars sit nécne. Nam si ianuæ pars est hic asis, asseris certè pars ianuæ quoque erit particula. Nam paruum lignum eiusdem speciei est & naturæ cum maximo, quia lignum est. Iam similium & eiusdem naturæ partium elementa esse in confesso est. Aëris enim particula à toto aëre, quantum ad ipsam aëris naturam attinet, quantitate sola differt, ac non substantia. Sic elementaris ignis cum parte totam suæ naturæ rationem communicauit: cùm quę extrinsecus elementa subit qualitas, ex naturali ipsorum permistionę, non ad substantię ipsorum rationem referatur.

ratur. Etsi enim alia alteri aquæ permista fuerit qualitas: non tamen substantiæ aquæ diuersitatem facit. Sunt enim aliæ dulces, alię amaræ, aliæ salsæ: verùm extrinsecus hæc ex subiecta aquæ terra eueniunt, nec aquæ substantiam mutant. Et flammam ignis quendam esse excessum, ac non ignem elementarem receptum est. Atque in reliquis eadem ratio valebit. Quare si elementa tota eiusdem sunt speciei & naturæ cum suis partibus, & totius Mundi naturam complent, vt ipsius partes, efficitur certè, vt elementorum partes, quæ sua tota perficiunt, Mundi quoque naturam compleant, vt quæ eius partes sunt aut particulę. Quapropter si elementorum partes, quæ sub ortum cadunt & interitum, totius Mundi sunt partes, confectum est, non omnia, quæ nascuntur & intereunt, Mundi opera & effectus esse, ac non partes. Fortasse autem si quis hæc excutiat accuratiùs, in toto falsam Procli orationem esse comperiet. Nam si elementorum partes, totius quoque Mundi partes sunt, aut particulæ, ex hisce autem omnia composita corpora coagmentata sunt, quî fieri potest, quin necessariò composita omnia corpora Mundi partes sint aut particulæ? Mirum enim, opinor, videbitur, si rerum compositarum quodque elementum, vt particularis ignis, & particularis aqua, & terra itidem & aër Mundi sint particulę: quę autem ex his compositæ sunt res, vt animalium & stirpium corpora, Mundi partes non sint. Quemadmodũ enim ianuæ pars vt hoc lignum, totius ligni vt verbi causâ, quercus, de qua desectum est, pars est: & ideo tota quoque ianua vt lignum, necessariò quercus ipsius pars est: eodem planè modo, si elementa, ex quibus coagmentata sunt composita corpora, totius Mundi sunt partes, ea quoque, quæ ex hisce concreta sunt composita corpora, eiusdem Mundi partes sunt necessariò.

ALIOQVI si composita corpora, & omnino quæ sub ortum cadunt, & interitum, Mundi partes non esse, sed opera Plato voluisset, quorsum dixisset in Timæo, nisi adsint mortalia animantium genera, Mundum imperfectum esse futurum? Nam quod imperfectum est, ideo est imperfectum, quia quidpiam desit quod ad complementum substantiæ eius pertineat. Neque enim opera seu effectus faciunt cur seu perfectum seu imperfectum sit, aut non sit, id quod efficit, neque penes substantiam, neque penes ipsum efficiendi habitum, vt iam sæpe docuimus, neque enim discipulus præceptorem, neque nauis perficit nauium fabricatorem, qui struendarum nauium habitum plenum contineat. Quòd autem etiamsi id quod efficit, ab opere perficeretur, non tamen vt efficientem causam Mundum imperfectum esse dicit Plato, si immortales desint animãtes, sed quòd non adsint partes omnes: quæ ipsum perficiunt, & ex quibus suam habet essentiam, ex ipsius Platonis oratione facile est videre. In Timæo enim, quãdo dii omnes & qui palàm ostenduntur, & qui eatenus nobis declarantur quo ipsi volunt in cœlo creati sunt, tum ad eos is Deus qui omnia genuit, fatur hæc: Quid sentiam igitur cognoscite. Tria genera nobis reliqua sunt, eáque mortalia, quibus prætermissis cœli absolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu suo non tenebit: teneat autem oportet, vt ex eodem ne quid absit. Quæ si à me effecta sint, deorum vitam possint adæquare. Vt igitur mortali cõditione generentur, & Vniuersum verè sit Vniuersum, vos suscipite vt illa XII.

" gignatis, imitemínique vim meam, qua me in vestro ortu vsum esse meministis. Operæpretium est videre quomodo si mortales animantes nō gignantur, aquatiles nempe, terrenæ & aëriæ, seu pennigeræ (hæc enim sunt tria genera quæ dicit) cœli absolutionem perfectam non fore dicit, vbi suo more cœli nomine " Mundum appellat. Sic enim initio dixit: Omne igitur cœlum siue Mundus, siue " quo alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupatus sit. Et iterum in Politico: " Quod igitur cœlum seu Mundum nuncupauimus. Quare si id perfectum est & absolutum, cui pars nulla desit, & mortales si desint animantes, Mundi perfectio absoluta non sit: partes certè Mundi sunt mortales animantes. Nam si Mundi partes non essent mortales animantes, certè non generatis mortalibus animantibus nulla propterea Mundo pars defuisset. Quî fieri igitur potest vt si pars nulla prætermissa fuisset, Mundi perfectio absoluta non fuerit, si mortales animantes generatę non fuissent? Illud autē etiam obseruandum est cur non dixerit Plato, quibus prętermissis vestra absolutio perfecta non erit, qui ipsorum parentes esse debetis. Quia quod efficit, absolutum non est, si desit opus: sed dixit, Cœli absolutio perfecta non erit, hoc est Mundi. Omnia enim genera animalium complexu suo non tenebit. Nam partes à toto & vniuerso continentur: totum est autem & vniuersum, quod ex vniuersis suis partibus constat. Quòd si pars vlla defuerit, totum non amplius est totum: neque vniuersum vniuersi nomen amplius retinere potest. Nam si statuę pes defuerit, non tota ampliùs erit statua: neque si ab Atheniensium populo defuerint nonnulli, totus erit Atheniensium populus. Quare si Mundi fabricator Deus mortales animantes gigni iubet, vt ne quid desit, & hoc Vniuersum verè sit Vniuersum, perspicuum est profectò, si mortalia animantium genera procreata non fuissent, hoc Vniuersum verè Vniuersum non fuisse. Itaq; si cùm pars vlla deest, Vniuersum hoc ampliùs Vniuersum non est, vt docuimus, & mortalibus animantibus nō procreatis, Vniuersum hoc verè Vniuersum non erat, vt ait Plato, palàm est, Platonem velle mortales animantes Mundi esse partes. Sed quid probationibus mihi est opus, cùm Platonem liceat producere apertè protitentem, Mundi partes omnes esse, quotquot in Mundo sunt, animanteis, & vnamquanque ipsarum sigillatim, & omnes in genere, atque reliqua omnia, quæ sub aspectum cadunt corpora? Nam in eodem Timæo ante ea, quæ proposuimus verba, tum de Mundo, tum de exemplo ad " quod factus est Mundus, hęc ad verbum habet Plato: Hoc posito, quod sequitur " videndum est, cuiúsnam animantium deus in fingendo Mundo similitudinem " secutus sit. Nullius profectò eorum quidem, quæ sunt nobis nota animantia. " Sunt enim omnia in quædam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfe" cta: imperfecto autem nec absoluto simile pulchrum esse nihil potest. Cuius " ergo omne animal quasi particula quædam est, siue in singulis, siue in vniuerso " genere cernatur, eius similem Mundum esse dicamus. Omnes enim qui animo " cernuntur & ratione intelliguntur animantes, complexu illius, sicut homines " hoc Mundo, & pecudes, & omnia, quæ sub aspectum cadunt, cōprehenduntur. " Ei enim, quod pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, & quod ex omni " parte absolutissimum est, cùm Deus similem Mundum efficere vellet, animal

vnum aſpectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Si quẽadmo- » dum in Mundi exemplo omnia, quæ animo intelliguntur animantia continen- » tur: ſic in Mundo homines & quæcunque pecudes ſub aſpectum cadunt, com- » prehenduntur. Quæ autem ratione intelliguntur animantia, ſiue in ſingulis, ſiue in vniuerſo genere cernantur, particulæ ſunt illius animantis, ad cuius exemplũ factus eſt Mundus, nos certè & reliqua, quæ ſub aſpectum cadunt, & ſigillatim, » & in genere partes ſumus, ſecundùm Platonis ſententiam, Mundi nos continen- » tis. Nam ſi quemadmodum totum exemplum ad totam imaginem, hoc eſt ad » Mundum adfectum eſt: ſic quæ ab exemplo continentur intelligentiâ compre- » henſæ animantes, ad ea ſe habent ſenſu percepta animantia, quæ ab imagine » continentur, & permutatim certè vt ſe habent quæ ab exemplo continentur, » ratione comprehenſæ animantes ad ipſum exemplum: ſic quæ à Mundo conti- » nentur ſenſum mouentes animantes, ad Mundum ipſum ſe habent. Quare ſi » quæ ab exemplo continentur ratione & intelligentiâ comprehenſæ animantes, » partes ſunt ipſius exempli, & in ſingulis, & in vniuerſo genere, eæ quoque ani- » mantes quæ ab imagine, hoc eſt, Mundo, comprehenduntur, Mundi ſunt ipſius » partes, ſiue ſigillatim, ſiue ſpectentur in genere. Et aduerte, quòd non ſolùm ani- » mantium genera totius Mundi partes eſſe dicit: ſed etiam ſecundùm vnum- » quodque indiuiduum, vt Socratem, & Platonem, & hunc equum, & hunc lapi- » dem, atq; adeò partes cognatas ipſius, ſecundùm naturam adfectas, vt Platonem » dicentem audiuimus: neque externa & aliena eſſe à cœli naturâ, ſed verè ſecun- » dùm naturam eſſe elementorum, ex quibus omnia concreta ſunt aſpectabilia: vt nunc nos fallaciter eludit Proclus, quaſi per ſpeciem & colorem interpretatio- nis ſententiæ Platonicæ verè peregrina, & ab illius doctrina aliena nobis obtru- dens, & improbatione præceptorum & decretorum eius, iniuriam illi faciens: neque enim veritati tenebras offundere potuit. Et hoc ipſo quòd in iis, quæ eui- denter à Platone dicta ſunt, non acquieſcere videtur, perſpicuum eſt, ipſum in Platonem contumelioſum eſſe videri.

ATQVE hæc quidem hactenus. Iam verò hic locus eſt, vt verba Platonis XIII. recitemus, quibus ſine vlla dubitatione cœleſte corpus ex quatuor elementis di- ſertè componit. Deinde reliquorum quoque Philoſophorum teſtimonia ſubii- ciemus.

Platonis ex Timæo, ex quatuor tantùm elementis tum cœlum, tum Mundum totum eſſe coagmentatum.

Quorum ne quid accideret, atq; vt hic Mundus eſſet animãti abſoluto ſimil- » limus, hoc ipſo, quòd ſolus atq; vnus eſſet, idcirco ſingularem Deus hunc Mun- » dum, atque vnigenam procreauit. Corporeum autem & aſpectabile, itémque » tractabile omne neceſſe eſt eſſe, quod natum eſt: nihil porrò igni vacuum videri » poteſt, nec verò tangi quod careat ſolido, ſolidum autem nihil, quod terræ ſit » expers. quamobrem Mundum efficere moliens Deus, terram primùm igném- » que iungebat. Omnia autem, duo ad cohærendum tertium aliquid anquirunt: » & quaſi nodum vinculúmq; deſiderant. Sed vinculorum id eſt aptiſsimum, at- » que pulcherrimum, quod ex ſe atque de his, quæ adſtringit quam maximè »

« vnum efficit. Id optimè adsequitur, quæ græcè ἀναλογία, latinè comparatio pro-
« portiòve dici potest. Quando enim trium vel numerorum vel figurarum, vel
« quorumcunq; generum contingit, vt quod ad medium sit primum proportio-
« ne, ita id postremò comparetur, vicissimq; vt extremum cum medio, sic mediũ
« cum primo conferatur, id quod medium est, tum primum fit, tum postre-
« mum, postrema autem & prima media fiunt: ita necessitas cogit, vt eadem sint
« ea, quæ deuincta fuerunt, eadem autem cùm facta sint, efficitur, vt omnia sint
« vnum. Quòd si Vniuersitatis corpus planum & ęquabile explicaretur, neq; in eo
« quicquam esset requisitum, vnum interiectum medium & seipsum, & ea, quibus
« esset interpositum, colligaret. Sed cùm soliditas Mundo quęreretur, solida autem
« omnia vno medio nunquam, duobus semper copulentur, ita contigit, vt inter
« ignem atque terram aquam Deus, animámq; poneret, eáq; inter se compararet,
« & proportione coniungeret: vt quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ,
« quódq; anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet. Qua ex coniunctione
« cœlum ita aptum est, vt sub aspectum & tactum cadat. Itaq; & ob eam causam,
« & ab iis rebus, numero quatuor, Mundi est corpus effectum, ea constrictum
« comparatione, qua dixi: ex quo ipse Mundus se concordi quadam amicitia, &
« charitate complectitur: atque ita aptè cohæret, vt dissolui nullo modo queat,
« nisi ab eodem, à quo est colligatus. Earum autem quatuor rerum, quas suprà di-
« xi, sic in omni Mnudo partes omnes collocatæ sunt, vt nulla pars huiusce gene-
« ris excederet extrà, atque vt in hoc Vniuerso inessent genera illa vniuersa.

Quòd igitur ex quatuor elementis, iisque solis, tum cœlum, tum Mundus vniuersus coagmentatus sit, disertè Platonem dicentem audiuimus: atque causam accuratè explicantem. Quoniam enim ex repugnantissimis & contrariis maximè naturis concretus est Mundus, igne nempe & terra, quæ & naturâ, & locis dissident, quę autem, inquit, contraria sunt, ea suapte natura copulari inter se non possunt, medio aliquo erat opus, quo tanquam nodo, & vinculo in vnam naturam & concordiam Vniuersum colligaretur. Verùm quoniam solida hæc sunt, ac non plana & ęquabilia, fieri, inquit, non potest, vt hæc medio vno copulentur: idcirco, inquit, mediis duobus fuit opus, aëre nimirum & aqua. Horum porrò interpretationem, quæ mathematicam rationem magis resipiat, exponant alii: nos autem naturalem rationem magis secuti, dicimus, quòd media duo, quibus ignis & terra colligantur, sunt aër & aqua, etsi aëri aduersetur ignis: quia hic quidem siccus, ille verò humidus: verùm hæc societate caloris inter se colligantur; ambo enim naturâ sunt calidi: & rursus aquæ quidem frigidæ repugnat calidus aër; humida tamen qualitate inter se consentiunt, & aër cùm se medium intulit aquæ, cum igni communionem tribuit & societatem, aqua itidem humida aridæ terræ aduersatur: similitudine tamen frigidæ qualitatis mutua se concordia & charitate complexantur: & aqua ipsa sui vinculo atque medio terram cum aëre, & per aërem cum igne eandem connectit: & ipsa terra frigiditate igni, qui calore antecellit, repugnans, siccitatis communione illi coniungitur: & aquam atque aërem, quæ quatenus humida sunt, calido igni aduersantur, per se mediam coniungit, & vt cum extremis media, sic vicissim cum mediis extrema com

ma comparantur. Aër enim, qui calidus est, terram frigidam cum ignis caliditate sui medio coniungit, & ipse per mediam aquam cum terra colligatur: aër enim & aqua humiditate ambo insigniuntur: & rursus aër ipse humidus cùm sit per mediam terram, cum ignis siccitate consentit: siccus est enim ignis, quẽadmodum & terra. Adhæc, aqua, quæ frigida est & humida, quod quidem ad calorem attinet, per medium aërem, quod autem ad ariditatem, per mediam terram cum igne coniungitur: atque ad hunc modum perinde atque in choro per media tum extrema inter se, tum media cum postremis colligantur, & media postremorum & postrema mediorum rationem suscipiunt, atque vnus ex omnibus efficitur concentus, & vna conspiratio. Quòd si mediorum aliquod desit, fieri non potest, vt nodus is constet, quem diximus. Nam si fieri potest, animo & cogitatione fingamus aërem deficere, atq; inter ignem, & terram, aquam solam esse interiectam, quî fieri ampliùs poterit, vt ignis, qui calidus simul & siccus est, cum aqua humida & frigida coniunctus, amica societate consentiat? fieri enim non potest, vt ea inter se colligentur, quæ modis omnibus inter se dissentiunt, neq; quicquam inter se commune habent. Nam etsi per mediam terram penes siccitatem aër cum igne coniungatur, ambobus tamen penes calorem aduersabitur. At verò aquæ desit natura, inter ignem autem & terram solus interpositus sit aër, quî fieri poterit, vt aër, qui calidus simul & humidus est, cum terræ frigida & sicca naturâ sit consentiens? Nam igni & terræ, quorum vtrunque siccum est, sua humiditate repugnabit. Est igitur modis omnibus necesse, vt secundùm Platonis sententiam, cùm duo sint postrema, ignis & terra, duo quoque sint media, quæ horum colligandorum facultate sint prædita: aër nimirùm & aqua. Ad hunc igitur modum de vniuersi Mundi compositione, cùm ad naturalem rationem accommodatè disputauit Plato, quasi ex solis quatuor peruagatis corporibus constet, deinceps disertè magis cœlestia igneam substantiam plurimam participauisse dicit. Nam cùm dixisset quatuor esse animantium genera, vnum, inquit, est cœleste atq; diuinum: alterum, pennigerum & aërium: tertium aquatile: terrenum quartum, diuinæ animationis, inquit, speciem maximè faciebat ex igni, vt & splendidissimus esset, & aspectu pulcherrimus. Cúmque eum similem Vniuersi naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundauit, comitantéq; eum sapientia quam optimæ mentis effecit, circúmq; omne cœlum æqualiter distribuit, vt hunc varietate distinctum bene Græci Κόσμον, nos lucentem Mundum nominaremus.

XIIII. Quòd igitur ex igni plurimo cœlestia constant corpora, disertè Plato enuntiauit. Quæ autem in primo Meteorologicôn scribit Aristoteles, dum docere conatur, cœlorum corpora ex igni minimè constare, nihil necessariò conficere mihi videntur. Scribit enim, quòd si ignea essent cœlestia corpora, pridem omnia quæ intra cœlum cohercentur, incendio conflagrauissent: quia multis partibus cœlorum moles ea superet, quæ intrà continentur. Nam ignis naturâ, vel quæ in minore mole constet, propter eam efficientiam, qua vires eius pollere cernuntur, ea, quæ maiore mole superant, exurere solet, nedum si in multò maiore mole constiterit. Iam vel vnum solem per se, atque adeò complures ex

his stellis, quæ non errantes, & fixæ dicuntur, tota terra multò maiores esse Astrologiæ periti memoriæ prodiderunt, nedum stellas simul vniuersas atque adeò orbes ipsos in quibus sunt collocatæ. Incomparabilis est igitur cœli excessus supra ea, quæ intra ipsius complexum cohercentur. Quî fieri igitur potest, inquit Aristoteles, vt quæ intra cœli ambitum continentur, resistere posśint, si ignea sint cœlestia? Verùm permulta sunt, quæ opponamus. Primùm enim nec ipse quidem hanc eandem dubitationem effugere potes ô Aristoteles. Nam cùm ignem totum, quem hypeccauma appellas, reliqua elementa continere velis, modis omnibus est necesse, vt ipsum omnibus, quę intra se continet, maiorem esse constituas: nam quod continet, eo quod continetur, est maius. Quî fieri igitur potest, vt non interiora conflagrarint, cùm multis partibus ea simul omnia ignis ambiens antecedat? deinde, idem ais, flammam ignem non esse naturalem, sed ignis excessum, quemadmodum nix frigidi est excessus. Nam qui naturalis est ignis, vitam potiùs impertiendi, quàm vrendi viribus præditus est, quemadmodum qui in nobis insitus est calor, & omnino is, ex quo compositi corporis constat concretio, cuiusmodi hypeccauma ipsum esse dicis. Quare cœlestis & æthereus ignis eiusmodi quoque erit, eius nempe naturæ, quæ vitam tribuat, non comburat: vnde efficitur, nihil esse periculi, ne ea conflagrent, quæ intra cœli circunflexum cohercentur. Et aliôqui non ex igni solo cœlum constare dixit Plato, sed ignis plurimi esse particeps, si cum reliquorum elementorum proportione conferatur, aut reliquorum corporum compositorum, vt permistione ignis extremitas castigetur. Porrò, quartam quoque rationem addiderim, quandoquidem purissimarum, & tenuissimarum partium est ignis illius naturâ. Videmus autem, quòd ipsamet flamma, quæ ignis est excessus, ac non vitam impertiens, & naturalis ignis, quoniam partium est paulò tenuiorum, aut nullo modo, aut omnino minimùm vrendi naturæ est particeps, cuiusmodi est fulguratio. Et qui apud nos ignis est, quia in solidiore materia consistit, & partium est crassiorum, vi maiore vrendi est præditus: neque enim quæ flamma è stupis, verbi gratiâ, accensis excitata est, aut ex papyro, sic adurit, vt ea, quam lignum excitauit: & præcipuè, si ex quercu fuerit suscitata. At verò per ipsam quoque flammam manum sæpius traducere possumus, carbonem autem ne attingere quidem, & tantò minùs, quantò ex materia constiterit solidiore: magis enim carbonem ex bimburella & papyro contingere licet, quàm ex lignis: & ex his adhuc magis, quàm ex ferro candente. Imò verò ne ad hoc quidem admouere propiùs manum satis possumus. Quamobrem efficitur, vt si qui crassiorum est partium ignis, exurit magis, tenuissimarum autem partium, & quam maximè fieri potest, purissimus ignis sit cœlestis, neq; ignis excessus, neq; flamma, sed ipsemet elementaris, & viuificus ignis, efficitur inquam, vt multò magis ab vrendi & corrumpendi naturâ sit alienus, sed vitam potiùs impertiens, qualis est, qui in animantibus insitus calor nuncupatur, & ignis ætherius.

XV. VT igitur Platonis sententiam intelligamus, qua ex quatuor elementis Vniuersum constare sentit, atque adeò ipsum cœlum, hæc satis esse videntur. Deinceps, operæpretium facturi sumus, si eorum Philosophorum, qui Platonem interpre

terpretati sunt, dictiones in mediũ protulerimus. Atticum igitur & Plutarchum missos faciamus, & si quis est alius, qui penes tempus natum Mundum à Platone dici sentiat. Qui autem in ea fuerunt opinione, vt Platonem censuerint Mundum velle esse sempiternum, soli nobis sint testimonio, vt doceamus, Platonem censuisse Mundum Vniuersum ex quatuor elementis constare.

Tauri Platonici Philosophi verba ex primo commentariorum in Timæum, quæ propositam nobis Platonis particulam exponunt. Corporeum autem & aspectabile, itémque tractabile omne necesse est esse, quod natum est.

Fabricator Mundi, eius compositionem ab igne & terra inchoauit. Quod autẽ » corporeum est futurum, tactui renitens, & aspectabile sit, oportet. Vt autem sit » aspectabile, obtinet ab igni, vt tractabile, à terra. Nam ab vnoquoque elemento » sensus est ab igni aspectus, aspectabilis quidem rei aspectus. Res autem aspectabilis est color. A terra est tactus, tractabilis quidem rei tactus: & ab aqua gustatus, gustabilis rei gustus: ab aëre auditus audibilis rei auditio. Olfactui igitur » quod elemẽtorum tribuimus? Illud certè, quod aquæ & aëris est medium, vt suo » loco dicemus. Theophrastus ait, quòd si aspectabile & tractabile ex terra sunt » & igni, ex his cœlum & astra constabunt. Non sunt autem, hæc dicit, quintum » corpus introducens, quod versatur in orbem: Verùm vbi corpus illud esse docuerit, tum hisce contradicat. Operæpretium est consultare & expendere, quî » fiat, vt Platonis interpres Taurus non solùm Platonem verè putet ex quatuor elementis iudicare concretum esse Mundum, sed etiam Theophrasto aduersetur, qui ex his cœlum non cõstare dicit. nam ex Aristotelis schola prodiit Theophrastus. Præterea, animaduertendum est, Platonis interpretẽ non putare quintum illud elementum satis ab Aristot. probatum esse constare in natura. Quando enim inquit, ille docuerit illud esse, tum hisce contradicat. Medium autem illud inter aërem & aquam, vaporem intelligit. Est enim vapor ab aqua ad aërẽ via: & vicissim ab aëre in aquam. Nam quando densatur, vertitur in aquam: quando rarescit, facessit in aërem. Pertinet igitur vapor ad olfactum. Vapores enim olfactu percipiuntur, qui olfactum mouentibus qualitatibus modo quodam adfecti sunt. Et paulò pòst idem Taurus hæc quoque subiungit: Duo po- » strema & sibi mutuò opposita sumpsit, ignem & terram. Atque hęc mediis qui- » busdam vult colligare, quę pro rata portione partium tum inter se, tum cum po- » stremis adfecta sunt. Et ea, aquam statuit esse & aërem; quæ secundùm eas vires » quas prædiximus, tum se mutuò, tum extrema & secum & inter ipsa deuinciũt. » Atque ait, Deum in medio extremorum, nempe ignis & terræ aërem & aquam » collocauisse, atq; ea, quoad eius fieri poterat inter se colligauisse pro rata portio- » ne cum mediis connectentem. Ex his igitur concretum cœlum tractabile factũ » est, & aspectabile, ab extremis ea sumpsit, quæ sentiuntur: ab aspectabili & tra- » ctabili, & aspectu & tactu, quorum aspectus quidem ab igni, tactus verò est à ter » ra. Hæc igitur Taurus. Porphyrius in Commentariis in Timæum, vbi propo- » sita loca exponit, cùm dixisset complura super eo, quod ex elementis quatuor tantùm concretus sit Mundus, ad verbum hæc addit: Porrò quòd cœlestia non »

« constent ex quatuor, dicere non eius est, qui Platonis decretum sequi velit: sed « eius potiùs, qui ipsius dogma constituat. Nam Plato cœlestia quoq; ex igne illo « quidem ampliore factum dicit, & ex reliquis, sed remissioribus, syncerioribus & « purioribus. Itaque secundùm Platonis sententiam prima quidem elementa duo « sunt, terra & ignis, reliqua verò vinculi & colligationis gratiâ constituta sunt. « Et post cetera, vbi locum illum Platonis exponit, in quo dicit: Itaque & ob eam « causam, ab his rebus numero quatuor Mundi est corpus effectum: rursus idem « Porphyrius hæc habet ad verbum: Quatuor corpora sola dicit: quoniam in re- « bus omnibus præter hæc nihil inuenitur, exceptis iis, quæ ex hisce coniuncta « sunt. Deinde vbi longa oratione Porphyrius confirmauit præter quatuor « elementa nullum aliud esse corpus, adiecta iterum proposita Platonis dictio- « ne, hæc subiungit: Mundum ex quatuor constitutum esse elementis disertè « dicit, quasi quintum illud corpus, quod ab Aristotele & Archyta induci- « tur, non esse putauerit. Hoc autem accuratiùs deinceps perspiciemus. Hæc igitur Porphyrius. Neque verò Proclus ipse, vbi non ad contentionem verba faciebat, neque scopum sibi proponebat per speciem eorum, quæ Platoni videntur, alienus fuit ab hac Platonis opinione. Nam in eo libro, quem sæpe citauimus, qui inscribitur, Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo dissentit Aristoteles, multus est in explicanda Platonis sententia, dum confirmat cœli naturam non alienam esse ab elementis, quæ hîc visuntur, vti voluit Aristoteles, sed illud quoque ex iisdem esse concretum. Ex multis autem pauca testimonia illinc huc ego transferam, è quibus facile erit cernere, quòd ipse sibi consentiens non est, cùm Platonis sententiam in præsenti exposuit. Nam in eo libro ad ver- « bum hæc tradit: Non enim vrendi facultate cœlestis ignis est præditus, sed, vt « equidem dixerim, potiùs viuificandi in modum insiti in nobis caloris. Et idem « in libris de procreatione animantium, quandam illuminationem esse dicit, qua « præsente mortalia quæque vita contineri: Totum igitur cœlum ex igni constat « eiusmodi: astra verò plurimùm quidem hoc habent elementum, sed & reliquo- « rum habent extremitates, & veluti delicias. Et aliquantò pòst: Atq; si animum « ad hoc aduerterimus, quòd terra ea opacat omnia, quę illuminandi vim habent, « & efficit vmbram, pellucida autem quæ inter terram & ignem interiecta sunt « media, suapte naturâ luminis & tenebrarum sunt capacia, neutrius tamen ho- « rum causam pręstant corporibus, solus verò ignis pręstandi luminis vim habet, « vt terra tenebrarum, quæ plurimùm inter se distent: si inquam ad hæc aduerte- « rimus, intelligemus, quæ in cœlo sunt, suapte natura esse ignea. Nam quòd illu- « strent perinde atq; noster hic ignis, id quidem est perspicuum. Quare cùm am- « borum hoc sit commune, noster profectò hic ignis naturę est affinis cœlestium « corporum formæ. Hæc vbi dixit Proclus, & deinceps affinitatem atque communionem cœli cum elementis pluribus verbis confirmauit, statim subiunxit: « Non igitur quasi peregrinam in Vniuerso cœlorum naturam inducere oportet: « sed illic summam perfectionem naturę eorum, quæ hîc visuntur, constituentes « per illam, eámque, quæ illis sit cognata, hisce elementis ortum tribuere decet. Cùm igitur à nostris elementis cœli natura non sit aliena, vt Proclus quoque

opinatur,sed elementorum,quæ hîc sunt, summa perfectio insit in illis, cùm nimirum igneæ naturæ sint cœli, reliquorum tamen quasi delicias obtineant, si Platonis opinioni patrocinatus hæc dixerit Platonis interpres,quî factum est,vt in iis,quæ hîc nunc proponuntur,tanquam eorum,quæ scripsit,oblitus, ipse sibi contrarias voces emisit, cùm cœlum dicit in his esse corporibus, quæ versantur in orbem, neque esse quicquam eorum elementorum, quæ hîc visuntur, neque ignem,neque terram,neque vllum eorum,quæ interiecta sunt media : iam magnum illum Plotinum,vbi collocauimus,qui,si quisquam alius,Platonis opinionem sequi volens, nec ipse introductum ab Aristotele quintum corpus, ex quo cœlos ille componit,in Vniuerso recepit,sed Platonis opinioni consona pronuntians,ex quatuor elementis ipse quoque cœlestia corpora coagmentata esse tradit.Atque hanc Platonis esse sententiam profitetur.In lib.itaque de Mundo hæc scribit: Quanuis eodem modo natura corporis in fluxu sit continuo. Hoc enim » sentiunt cùm alii,qui de natura scripserunt,tum ipsemet Plato : idq; non solùm » de aliis corporibus,sed etiam de ipsis cœlis.Nam quî fieri, inquit, poterit,vt cor- » pora cùm sint, & sub aspectum cadant, ita sint adfecta, vt varietatem nullam » subeant,& modo eodem se habeant?In his scilicet Heraclito consentiens, qui » solem semper gigni dixit. Aristoteli enim nullum facesseretur negotium, si quis » quinti corporis hypotheses ipsius susceperit. Verùm qui hoc non concesserint, » sed cœli corpus ex his constare velint,ex quibus constant,quę hîc visuntur ani- » malia,quomodo hoc se habere possit?Et post alia:Timæo quidem,qui Vniuersi *Cap. 6.* corpus primùm ex igni & terra composuit,vt per ignem esset aspectabile, & so- » lidum per terram,consentaneum est visum,astra & stellas ita efficere,vt ignem, » non illum quidem totum,sed plurimùm possiderent:quoniam astra soliditatem » habere cõspiciuntur. Atq; rectè fortasse ita se habeat:cùm verisimilitudine hãc » opinionem Plato comprobauerit. Nam sensu secundùm tum visus,tum tactus » rationem, plus ignis aut totum habere videtur. verùm qui ratione rem expen- » derint, si soliditas sine terra nulla esse potest, terræ aliquid habere intelligent. » Aqua autem & aëre cúrnam indigeat? Absurdum enim videri potest, aquæ » quicquam in tanto inesse igni. Aër autem illic si insit, in ignis naturam subitò » commutabitur.Verùm si solida duo,quæ extremorum rationem tenent,mediis » indigent duobus,dubitabit fortè quispiam, an in rebus naturalibus res etiam ita se habeat. Et Plotinus igitur Aristotelis de quinto corpore opinioni apertè repugnauit. Platonis autem eam opinionem, quæ ex elementis iisdem cœlum compositum esse statuit,quibus quæ hîc cernuntur animantes,veram esse iudicauit.Et iterum in iis,quæ consequuntur, docuit Plotinus cœlestia corpora non aliunde constare, quàm ex igni & reliquis elementis, dum non intelligamus, quod in illis terræ inest, ad deteriorem terræ partem referri debere, aut ignem illum flammam esse arbitremur.Nam flammam secundùm Aristotelem feruorem esse Plotinus ait,& quasi ignem satiatum,non autem elementarem & vitalem illum ignem.Qui autem illic est ignis,eum æquabilem, quietum, astrorum naturæ conuenientem,& suauiter calentem esse dicit. Nam elementorum partem purissimam & syncerissimam ad cœlestium corporum compositionem,

secretam fuisse, vt neque aliena sit & peregrina ab elementis, quæ apud nos sunt natura cœlorum, neque tamen modis omnibus iisdē similis sit, qui illic est ignis, aut terra, aut vllum ex reliquis: sed ad nos fæculentum & veluti sedimentum elementorum subsedisse, illuc autem tenuissimam & purissimam ipsorum partem deductam fuisse. Siquidem in reliquis animalibus, Plotinus ait, in ea, quæ inter ipsa principatum tenent, natura contulit meliora. Atqui complura alia testimonia citare ei licebat, qui propositam Platonis opinionem confirmare velit. Nam ipsius discipulum Aristotelem prętermittimus, vt quem sit in confesso de Platone hoc testificari, & ob id ipsum Platonem reprehendere. Videtur enim primus omnium Aristoteles illam de quinto corpore opinionē induxisse. Verùm candidis lectoribus ad plenam persuasionem satis opinor ea esse, quæ diximus, ne plus quàm sit opus, super hac re orationem producamus.

XVI. PORRO quòd non solùm ex elementis quatuor Plato cœlorum corpora concreta esse putet, sed etiam notis nobis qualitatibus prędita velit esse ea, quæ illic sunt elementa, nēpe calore, frigiditate, humiditate, & siccitate, leuitate præterea & grauitate, vt quod ad substantiæ naturam attinet, nihil ab his, quæ apud nos sunt, differant, præterquam quòd leuiora & puriora sunt, illa ipsemet Plato « in Timæo scripsit ad hunc modum: Itaque & ob eam causam ab iis rebus nume« ro quatuor, Mundi est corpus effectum, ea constrictum comparatione, qua dixi. « Ex quo Mundus ipse se concordi quadam amicitia & charitate complectitur: « atque ita aptè cohæret, vt dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem, à quo est col« ligatus. Earum autem quatuor rerum, quas suprà dixi, sic in omni Mundo partes « omnes collocatæ sunt, vt nulla pars huiusce generis excederet extra: atque vt in « hoc Vniuerso inessent genera illa vniuersa, id ob eas causas, primùm, vt Mundus « animans possit ex perfectis partibus esse perfectus, deinde, vt vnus esset, nulla par« te vnde alter gigneretur relicta. Postremò, ne quis morbus eum possit aut sene« ctus adfligere. Omnis enim coagmentatio corporis, vel calore, vel frigore, vel a« liqua impulsione vehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos senectu« témque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector Mundi molitórque « Deus, vt vnum opus totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis « absolueret, quod omni morbo senióve careret. Cùm igitur totum ex totis omnibus calidis, nempe & frigidis & reliquis, quæ virium vehementes habent impulsiones, ipsum constituerit effector Mundi Deus, ita vt partem nullam huiusce generis extra excedentem relinqueret, ne ab ipsis extrinsecus importunè occursantibus adficeretur: palàm est omnibus, iisdem planè qualitatibus, quibus informantur, quæ apud nos visuntur elementa, ea quoque, quæ cœlum componunt, esse insignita, Platonem voluisse. Nam nisi eiusdem formæ, atque materiæ cum hisce elementis cœlorum essent corpora, nequaquam ab ipsis extrinsecus occursantibus natura sua pati & adfici essent idonea. Nunc autem cùm ab hisce efficientibus viribus adfici sint nata, ne, inquit, adficerentur, extra cœlum Deus nihil reliquit, neque partem vllam elementi, neque facultatem. Iam quæ eiusdem generis seu materiæ & naturæ non sunt, ea à se mutuò adfici nullo modo possunt, vt necessariis rationibus docent naturæ interpretes. Verùm hæc accuratius

ratiùs nobis sunt exposita in iis, quæ in sextum Argumentum conscripsimus, vnde in hunc locum omnia sunt transferenda.

QVO'D autem præter hæc quatuor corpus aliud simplex nullum esse posse dixerit, ex ipsius verbis intelligere possumus. Nam in Timæo hæc adhuc dixit: Dicendum est igitur cuiusmodi quatuor potissimùm pulcherrima corpora fiant, quę inter se quidem sint dissimilia: eiusmodi tamen, vt in se inuicem dissolui, & vicissim ex se mutuò nasci possint. Nam si hoc semel erimus consecuti procreationis terræ & ignis, & eorum, quæ pro rata portione in horum medio interiecta sunt, veritatem facilè consequemur. Tum enim nemini concedemus pulchriora his, quæ sub aspectum cadant, corpora vsquam inueniri, quorum quodque ad suum genus referatur. Danda est igitur opera vt corporum genera pulchritudine præcellentia quatuor constituamus, & asseramus horum naturam nos satis tenere. Si igitur nemini se concessurum Plato dicit hisce quatuor corporibus pulchrius vsquam aliud corpus esse simplex (hoc enim est quod apud illum valet, quod ad suum genus referatur, ne quis cœlorum corpus vt elementis pulchritudine antecellens proferat. Neque enim hoc simplex est, sed secundùm eius sententiam ex quatuor elementis est concretum) cuiuis perspicuum esse puto, quòd non solùm quatuor corpora, eáque sola, Plato esse voluerit, ex quibus Mundus vniuersus constiterit: sed etiam quasi vaticinio quodam præsentiens quinti corporis naturam Aristotelem in vniuersitate esse introducturum, eam priùs euertit. Veriùs autem fortasse quispiam dixerit Platonem discipuli sui iam mentem ex communi, vt fit, congressu & colloquio percepisse, cùm Aristoteles illi contradiceret, neque cœlum ex quatuor elementis constare confiteretur. Sed suam de quinto illo corpore ex quo cœlum conditum esse ille profitetur, sententiam iam antea exposuerat. Quam amplexatus erat tum propter motus differentiam, tum quòd ab hisce notis naturis cœlum adfici nullo modo cerneretur: illius igitur opinionem Plato depellens nemini se concessurum dicit, hisce quatuor vlla quæ sub aspectum cadant corpora pulchriora vsquam esse in vnoquoque genere: quibus verbis hoc propemodum dicit: Etsi cœleste corpus elementis sit pulchrius, propter eximias eius vires, non ideo tamen esse eiusmodi, quia alterius sit naturæ, sed quòd ex purissima simul & tenuissima istorum parte constet, & præstantissimę cuiusdam temperationis perpetuitate contineatur, quæ verbis exprimi nullo modo potest. Nam in his quoque quæ apud nos composita sunt corpora, quę sine controuersia ex hisce constant elementis, permulta admiratione digna à natura conficiuntur, quorum nihil in simplicibus conspicere licet. Facultates enim & vires propemodum infinitæ, & ratione maiores ex varia temperatura compositis insitæ sunt corporibus, & aliorum cum aliis affectuum naturalis consensus & repugnantia. Colorum item & reliquarum qualitatum infinitæ varietates, motuum & immutationum euariantes formæ, quemadmodum tum experimenta docuerunt, tum qui naturæ historiam descripserunt scriptis suis nobis prodiderunt. Quæ omnia hîc commemorare non est huius temporis. Quid igitur miri esse debet, si in cœlesti quoque corpore tum propter iunctorum elementorum puritatem, simul

& partium tenuitatem, tum propter temperamenti perfectissimam commoderationem, proprietates nonnullæ nulla vi orationis exprimendæ, quemadmodum & in aliis, insitę comparuerunt, quas in simplicibus cernere non licet? Propter hæc igitur Plato non absoluto sermone dixit ad hunc modum, Nemini concedimus, corpora quæ sub aspectum cadant, hisce quatuor vsquam esse pulchriora. sed accuratè addidit, In vnoquoque genere, hoc est, quorum quodque sit simplex, & cum aliis minimè confusum, ne quisquam quæ ex hisce composita sunt, ad hanc conuincendam orationem proferret, in quibus Plato vult esse cœlum. His igitur ita confirmatis, & tot Platonicorum hominum testimonio comprobatis, quis (quod initiò dixi) ad stuporem vsque non miretur eorum impudentiam, qui dicere sint ausi, aut Platonem, non ex quatuor elementis Mundum compactum esse dixisse, sed ab Aristotele repertam quinti corporis naturam ipsum quoque recepisse? Aut si contrà confiteantur ipsum dicere ex quatuor elementis constare cœlestia, non tamen calore cœlestem ignem Platonem informare, aut aquam frigore, & vt vno verbo dicam, vnumquodque elementorum quæ in cœlo consistunt, non iisdem qualitatibus informari, quibus quæ apud nos constant elementa, insigniuntur?

XVIII. VERVMENIMVERO ne quicquam eorum quæ speciosè & eleganter ab ipsis commenta sunt, ad prauam sententiæ Platonicæ expositionem indiscussum, aut non reprehensum prætermittamus, eos rogatos velim, qui hæc legent, vt nobis in harum rerum verbosiore disquisitione immorantibus, adhuc aliquantisper veniam concedant. Cùm enim solidarum figurarum quinque sint genera, quæ rectis constituantur lineis, & planis similibus, ac naturæ eiusdem, cubus, pyramis, octaëdrum, εἰcosaëdrum & dôdecaëdrum: has enim solas simplices esse solidas figuras, iis qui harum rerum cognitione antecellunt, demonstrationibus est confirmatum. Cùm igitur Plato Geometriæ esset peritissimus, neque in rerum natura explicanda extra viam ac rationem Geometricam esse vellet, occultiore inuolucro è planis elementorum corpora procreauit. Et terræ quidem cubi figuram attribuit, igni autem pyramidis, aquæ verò εἰcosaëdrum, & aëri octaëdrum. Cùm autem dôdecaëdri figura superesset adhuc ad vniuersum, inquit, ea ipsa Deus est vsus. Plato igitur hæc duntaxat de ea dixit, nempe Deum ea ad vniuersum esse vsum. Qui autem non quod verum est, sed quod ipsi sentiunt, vndique colligere nituntur, aiunt Platonem quinti elementi naturam obscurè innuisse, ex qua cœlestia corpora nata sint. Quare ante Aristotelem, aiunt, Plato quintum corpus cognouit. Quanquam Plato non ad cœlorum compositionem dôdecaëdro Deum vsum esse dicit, sed ad Vniuersum, hoc est ad totum Mundum. Nam in Timæo ad verbum hęc dicit: Cùm prætereà quinta quędam sit compositio, ea Deus ad Vniuersi constitutionem est vsus, eáque figurauit, & descripsit, quæ contemplatus aliquis, concinnè dubitauerit, vtrum Mundos infinitos esse, an verò finitos sit asserendum. Infinitos quidem dicere, illius esse existimabit, qui rerum earum sit ignarus, quarum naturam perceptam habere deberet: vtrum verò reuera vnus, an quinque sint procreati, magis accommodatè

datè ad rationem inquiri posse putabit. Ratio quidem nostra verisimili proba- »
tione vnum ipsum asserit esse natum. Aliquis tamen alius ad alia respiciens aliter »
opinabitur. Quòd igitur non ad cœlorum compositionem dôdecaëdri figura »
Plato Deum vsum esse dicat, sed ad vniuersitatis constitutionem, ex ipsius verbis factum est perspicuum. Non enim cœlum ipsa est vniuersitas, sed pars tantùm Vniuersi. Et ex iis quæ præmisimus apertè confirmatum est Platonem ex quatuor elementis sensisse cœlum esse concretum, nec à quatuor notis hisce naturis esse diuersum. Atque propositorum verborum Platonis accuratiorem expositionem, cui gratum erit, ab interpretibus accipere licebit: nos autem quantum ad præsens institutum attinet, eorum sententiam exponemus. Nam ex ipsa Platonis dictione cuiuis est perspicuum, quid ipse velit quinque figurarum ænigmatica doctrina: nempe non huc pertinere, vt doceat, ex quinque simplicibus corporibus vniuersitatem hanc esse coagmentatam, vt posuit Aristoteles. Iam enim Plato de quatuor elementis differens asseuerauit se nemini concessurum corpora quæ sub aspectum cadant in vnoquoque genere hisce vsquam esse pulchriora. Verùm quoniam veteres diu multúmque disquisiuerunt, vnúsve sit Mundus, an plures, an verò infiniti, atque adeò Democritus infinitos esse constituit, Plato ait: si omnino super hac re dubitandum sit, non esse in disquisitionẽ vocandum an infiniti sint Mundi. Verè enim infiniti quæstionem versare, hominis est rerum ignari, verùm quinq; ne sint Mundi, quia solidarum figurarum simplicium quinq; sunt genera, vt vnusquisque Mundus vna harum figurarum informetur. Quemadmodum hunc secundum dôdecaëdrum informauit, quod ipsi Platoni non videtur. Vnum enim & vnigenam Mundum esse voluit. Præter hæc autem & illud iis qui antehac commentati sunt, perpulchrè est visum, qui tamen verbis Platonis moti sunt, quòd quinque figurarum imago huic Mundo conuenire possit. Nam cubica figura obscura significatione terræ attribuitur, propter eius constantiam & immutabilitatem. Est enim eiusmodi cubus: vt qui stabilem habeat sedem, nec facilè voluatur. Est autem cubus solida figura, quæ sex planis quadratis continetur, quæ extremis inter se coniunguntur. Pyramis autem ignis imaginem referre videtur. Est autem & ipsa solida figura ex quatuor triangulis æqualium tum angulorum, tum laterum composita, quorum vnum habet pro basi, reliqua autem pro lateribus, quæ ad vnum punctum conueniunt, quod pyramidis vertex efficitur. Hanc autem figuram igni Plato attribuit, ideo fortasse quia ignis secandi & penetrandi viribus est præditus. Nam cùm à latitudine pyramis incipiat, in verticem definit acutissimum. Valet autẽ acutum secandi & penetrandi viribus. Fortasse verò etiam propter vires quibus sursum nititur. Nam pyramidis vertex sursum tendit. Fortasse etiam propter ignis cuius nos hîc ministerio vtimur figuram, quæ pyramidem quodammodo refert. Porrò icosaëdrum quæ solida est figura viginti triangulis comprehensa, aquæ accommodauit propter aquæ naturæ lubricitatem. Est enim hæc figura globo vicina, globus autem cùm in vno puncto planum contingat, volubilis est & lubricus. Itaque inter rectilineas figuras, quæ ad globum propius accedit reliquis sit volubilior. Globo autem propior est quæ plures habet angulos. An-

gulos autem reliquis plures habet icosaëdrum. Nam quæ plures hedras, hoc est, sedes obtinet, etsi non in vno puncto planum contingat: tamen cum minore sui parte omnino contingat, quàm aliæ isoperimetri, hoc est, quæ ęquali ambitu continentur, minus subiecti plani contingit, & ideo reliquis est volubilior: octaëdrum autem aëri designauit. Ad hunc autem modum animo concipiatur hæc figura, subiiciatur basis aliqua quadrata, & ab huius quatuor lateribus quatuor triangula excitentur, singula à singulis lateribus, & coëant ad vnum verticem, hoc est, ad vnum & idem punctum: hoc idem ad oppositas basis partes fieri intelligatur. Ex his igitur solida excitabitur, quæ ex octo triangulis composita erit, quæ in medio adaptatas sibi mutuò bases habebunt, nempe inferiora triangula superioribus: in extremis autē vertices in vnum punctum coëuntes, nempe quatuor in vnum: & reliqua quatuor in alterum. Hæc autem figura in qualicunque situ collocata fuerit, superiorem habitum inferiori habet similem: & eodem modo in obliquis partibus, sic & aër mediæ est quodammodo naturæ grauium & leuium: est enim leuiorum grauior, vt ignis: grauiorum autem leuior, terra nimirum & aqua, & inanem sedem corripiens: sursum simul & deorsum ex æquo & ad latera influit: propter hanc igitur causam, figuram hanc aëri attribuit. Propter eas igitur, quas exposuimus causas, Plato figuras quatuor elementis quatuor accommodauit: porrò quintam figuram, quę est dôdecaëdrum, Vniuerso designauit. Est autem solida figura, quæ ex pentagonis duodecim componitur, & vnum illorum pentagonorum habet in basi. Ex quinque autem pentagoni lateribus, quinq; pentagona excitantur, singula ex singulis lateribus, & rursum, ex quinque hisce pentagonis altera quinque concitantur, singula ex singulis, quæ inter se conueniunt, & coniunguntur: & præter hæc aliud pentagonum in sede hisce adponitur. Est igitur huiusmodi dôdecaëdrum. Quemadmodum igitur in aliis quatuor figuris ab aliqua comparatione & proportione, elementa cum ipsis componebamus: ita necesse est dôdecaëdrum ex aliqua simili ratione Vniuerso adaptare. cum Vniuerso autem societatem, & communionem habere videtur: primùm quidem, quòd vicinitate quadam ipsum quoque globum imitatur: Vniuersum autem vnus est solidus globus. Deinde, quemadmodum dôdecaëdrum ex duodecim pentagonis componitur: ita & Mundus vniuersus ex duodecim maximis partibus est coagmentatus: quatuor quidem elementis, septem verò orbibus errantium, & vno, qui Aplanes nuncupatur. Neque enim nouum globum, qui astris & stellis caret, nouit Plato, qui à Ptolemæo repertus est, sed octo tantùm vniuersos esse voluit: quemadmodum ex eius psychogonia, id est, animæ procreatione, apertè docuimus. Cæterùm, qui Platonem interpretati sunt, alias quoque causas reddiderunt, cur Plato dôdecaëdrum Vniuerso conuenire voluerit. Verùm ne vltra modum in rebus minimè necessariis orationem producamus, hîc nos de hisce sermonem terminabimus, cùm Platoni hinc nullum exhibeatur negotium, quòd ex quinto corpore ea constituat, quæ in cœlis sunt corpora: cùm iam pluribus demonstratum sit, tum ea velle ex quatuor elementis esse composita, tum non putare fieri posse, vt corpus naturale simplex sit aliud præter quatuor elementa.

PROCLI

PROCLI DIADOCHI

Argumentum decimumquartum.

OMNIS opifex aut ipse materiam cuius est autor, in naturam producit, aut eam, quæ iam esset in natura, habilem facit ad opus. Quòd si habilem facit, quæ iam esset, materiam ipse facit: habile enim esse ad opus, materiam indicat, non tamen omnino & absolutè subiectum. Dum igitur habilis non est ad opus, vim non habet materiæ. Quare seu materiam suam in naturam rerum producat, seu cùm eam, quę iam esset, vt subiectum haberet, eam habilem reddat ad opus, ipse sui operis materiam omnino facit. Quòd si in singulis artificibus res ita se habet, multò magis diuinus artifex suam ipse facit materiam: aut quia in naturam eam producat, aut quia idoneam efficiat ad opus, ne huius vitæ opificibus sit ignobilior, qui materiam, quam non est redditurus, mutuaretur, nec ipse eàm in naturam procrearet: cùm qui ab ipso materiam mutuantur, ad mortalium animantium procreationem, quas mutuati sunt particulas, posteà restituant. Primam igitur materiam, quam procreationis receptaculum & nutricem definit, quoniam totius opifex est & fabricator, quod est procreare, ipse produxit in naturam, & procreationis receptricem efficit. Non enim aliud habet, vt sit, quàm vt sit materia: siquidem eius definitio est, vt procreationis sit receptaculum. Itaque seu idoneam ad opus effecerit, procreationis ipse receptaculum fecit: hoc autem est esse materiam, seu in naturam statim materiam produxerit, ipsam Mundi materiam fecit fabricator, quia quiuis artifex horum alterum facit. Vtrumuis autem horum fecerit, materiam facit, vt diximus. Quare si materiam procreationis receptaculum fecit Vniuersi huius fabricator, aut formarum vestigia in naturam ipse produxit, à quibus temerè & sine ordine fluctuans mouebatur, cùm ipsa per se sit immobilis & expers omnino formarum: aut aliunde in materiam hæc venire dicemus ab aliquo alio deo, qui & ipse intelligentiâ tantùm comprehendatur. Quòd si horum vestigiorum ipse est autor, nónne absurdissimum erit, materiam quidem idoneam ad procreationis receptaculum facere, vestigia autem hæc dare, à quibus non idonea ad opus esset futura, sed operi contumax, & inepta ad procreationis naturam admittendam? Nam quod est sine ordine, ei repugnat, quod in ordinem est adductum. Procreationis autem receptaculum digestæ in ordinem procreationi non repugnat. Quòd si quis alius vestigiorum est autor, nónne alienum est à ratione, hunc habilem materiã efficere, illum autem contumacem & repugnantem, & hunc expectare, dum priùs facta sit inepta ad opus, quam idoneam fecit, vt posteà hoc quoque faciat, cuius gratia habilem materiam ad opus efficiebat? quasi verò fieri non possit, vt quod idoneum est, perficiat, nisi priùs ineptum factum fuerit. Nam si ea gratiâ tantùm habilem ad opus efficiebat, vt vestigia sola formarum ipsa per se reciperet, id absurdum est. Hoc enim modo idoneam efficiet, vt inordinata fiat procreatio. Sin verò in ordinem adductam procreationem recipiat, quomodo ex quibus habilem ad opus efficiebat, hanc vt procreationem in naturam adduceret, expectabat diuersam fieri, vt eo modo ei, quod ordine caret, ordinem im-

poneret, quasi sine ordinis perturbatione ordinem producere non potuerit? Cùm hæc igitur absurda sint, neque formarum vestigia priora esse possint eo ordine, qui in ipsis est, ortu autem & procreatione careat vnà cum vestigiis subiectum ipsum, efficitur, vt ortu careat, & qui in ipsis est ordo, neque in his quicquam prius sit & posterius, neque verò priùs constitit materia, deinde vestigia procreata sunt. nam ipsius essentia est, vt sit materia. In ipsa igitur sunt etiam vestigia, & à quibus est materia, neque prior est vestigiis. simulac enim idonea facta est ad suscipiendum id, quod vestigia tribuere potest, tribuit ipsi, vt quod suo esse tribuat. Quare si & procreationis & interitus expers est semper consistens materia, vestigia certè formarum semper habebat. At verò vnà cum his extitit ordinatio, vt demõstratum est, & ordinatio igitur ortu caret & interitu: atque ex his tribus nihil primum, nihil secundum, nihil est tertium, nisi tantùm cogitatione. Quare sublata cogitatione, simul erunt omnia, materia, vestigia, ordinatio. Ex quo autem est ordinatio, est & Mundus. Est igitur ortus expers & interitus.

Capita solutionis decimiquarti Argumenti.

I. *Expositio sententiæ decimiquarti argumenti.*

II. *Quòd nihil, vt in totum dictum sit, proposita continet argumentatio, quod in re hæreat. Quódque, vt omnibus, quæ hîc dicuntur, assentiamur: modò tamen ei vni, vt iam confutato, restiterimus, quòd materia sit sempiterna, non ampliùs efficitur sempiternum esse Mundum.*

III. *Non rectè à Proclo acceptum esse, quod dictum est à Platone, temerè & sine ordine materiam moueri. Et Porphyrij in illum locum expositio. Et ne sic quidem confici ex Platonis sententia, expertem procreationis esse Mundum.*

DECIMIQVARTI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

I. PROPOSITA hæc decimaquarta argumentatio, si ipsa per se consideretur, quod in re hæreat, nihil omnino continet, neque propositionem, neque principium, cui quis assentiri possit, vt ei quod ex ipsa rerum natura sit confessum. Verùm ex hypothesibus, quæ nulla demonstratione confirmatę sunt, omnino deducta est, quarum alias posuit Plato, alias vt Platonis opinioni consentientes, Proclus ipse collegit: atque ex hisce deinceps tanquam ex principiis Platonicis conficit, Mundum nunquam fuisse generatum. Nam cùm Plato ex eo quòd immoderatè agitabatur, & sine ordine fluitabat, in ordinem adductum, Mundũ,
« generatum fuisse dixerit (Nam cùm, inquit, constituisset Deus bonis omnibus
« explere Mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur, quicquid erat,
« quod in cernendi sensum caderet, id sibi adsumpsit, non tranquillum & quietũ,
« sed immoderatè agitatum, & fluitans: idque ex inordinato in ordinem adduxit.
« hoc enim iudicabat esse præstantius) quid autem illud sit immoderatè agitatũ & fluitans, cùm idem Plato non planè distinxerit, sed materiam informem qui-

dem esse dixerit, receptaculum tamen & nutricem procreationis: & rursum, cùm ipse constituat ac palàm dicat, Deum cùm Vniuersitatem hanc fabricari adgrediebatur, primùm quidem informata elementa figurauisse, & pri squam producta essent elementa, ipsorum vestigia præcessisse sine ratione & commoderatione adfecta, hinc Proclus quasi ratiocinatione colligens, quia quicquid gignitur, ex materia generari videatur, materiam dicit illud esse immoderatè agitatum, & sine ordine fluitans, ex quo Deus id, quod in ordinem adductum est, apud Platonē fecisse dicitur. Deinde, quoniam modis omnibus informem esse materiam Plato constituebat (nam informis si est, motionis quoq; omnino est expers, neque immoderatè & turbato ordine moueri potest. Quod enim quomodocunque mouetur, etiamsi immoderatè moueatur, formam aliquam obtinere debet) ideo non prorsus formæ expertem immoderatè & sine ordine moueri dicit: nam ipsa per se modis omnibus est immobilis: neq; verò forma prorsus insignitam. Neque enim immoderatè & confuso ordine agitaretur & fluitaret, si perfectis & absolutis formis esset prædita. Verùm quæ prædicta vestigia, obscura illa quidem, & perfectarum formarum antecedentia, & quasi præcurrentia susceperit, & quasi rudi quadam descriptione delineata fuerit, ad eam formam, quæ vera rei species est futura, eam immoderatè agitari & fluitare dicit. Perinde ac si quis nondum planè & articulatè conformatos fœtus animo conceperit, sed qui efformationis figuras rudes adhuc & confusas contineant. Vnde materiam quidem motione cieri dicit, vt quæ formarum vestigia iam susceperit: cæterùm, immoderatè agitari & fluitare: moueri enim, quod ipsius formæ imperfectum est adhuc, & non planè distinctum. Nam si ei, quod in ordinem adductum est, id opponitur, quod immoderatum & inordinatum est, & perfecto & articulatim distincto id, quod imperfectum est & tantùm inchoatum: absolutæ autem & perfectæ formę causæ sunt in ordinem adductæ, & ratę motionis, certè quæ inarticulata sunt & imperfecta, & quasi perfectarum formarū vestigia inordinatæ motioni causam adferent. Has igitur hypotheses arripiens Proclus, qui & antè docuit in principio huius rationis, materiam ipsam effectam esse ab opifice, quoniam omnis opifex ipse sibi materiam parat, & antecedentia formarum vestigia, quibus factum est, vt immoderatè & ordine turbato materia fluitaret ab eodem opifice esse constituta, hinc deinde colligit fieri non posse, vt hæc à se mutuò tempore secreta fuerint, vt prima quidem informis materia constiterit, deinde ad ea formarum vestigia accesserint, tum demum, quod sine ordine erat, exornatum & in ordinem adductum fuerit: nisi forte, inquit, cogitatione quispiam hæc à se mutuò seiungat. Cùm igitur ostensum sit, absurdum esse sigillatim vnumquodque horum & per se considerare (neque enim materia informis vnquam fuit, neque inordinatum ordinato antecessit) modis omnibus est necesse, simul esse omnia, materiā, formarum vestigia, & ipsasmet absolutas formas. Cùm primùm enim est materia, simul est idonea ad vestigia formarum accipienda, cùm procreationis sit receptaculum, & in hoc ipsa suam vim obtineat; & protinus in hanc hæc vestigia ingrediuntur, atque vbi primum hæc præstò sunt, protinus ordo & absolutæ formæ comparent. Nam vt hæc di-

ſcreta ſint cogitatione, ſimul tamen Deus omnia produxit in naturam: quemadmodum ſimul corpus eſt, & qualitatibus adfectum: quanquam longè alia eſt qualitatis natura, & ratio, quàm corporis. Hæc vbi collegit Proclus, & præterea adſumpſit, materiam ortu carere, hoc eſt, principium quo eſſe cœperit, nullum habuiſſe (id quod Plato nuſquam dixiſſe comperitur) meritò concludit, ſi ſimul ſunt omnia materia, formarum veſtigia, & ordo, materia autem ortu caret & interitu, ordinem quoque, hoc eſt, Mundi procreationem, ortu & interitu carere. Huiuſmodi eſt igitur tota argumentationis huius methodus & ratio.

II. QVAE præceſſerunt argumenta omnia, etſi principia & propoſitiones ſyllogiſmorum vt Platonis opinioni abſolutè conſentientes adſumebant, tamen hypotheſes quiddam habebant quodammodo eorum, quæ communiter probantur, vt ex Dei probitate, per quam ille efficit omnia, Mũdum ſempiternum eſſe concludere: itémque ex eo, quòd Mundi huius exemplum ex æternitate ſimul cum opifice conſtet, & ad imaginem exemplum, & dicatur & ſit. Præterea, ex eo quòd neceſſe ſit, Deum actu ſemper eſſe opificem, & reliqua omnia eodem modo. Propoſitum autem hoc loco argumentum cùm nulla nitatur hypotheſi, quæ ſua vi probabilis ſit, aut credibilis, non admodum nos ſolicitos facit, vt dum ipſum reprehendimus, doceamus, vbinam rectè, & vbinam ſecus ſit concluſum. Illud tamen eſt intelligendum, occaſionem omnem & vim concludendi Mundum ortu carere in propoſito argumẽto, non aliunde eſſe deductam, quàm quòd adſumpſerit materiam ortus & interitus eſſe expertem. Nam vt reliquas omnes hypotheſes concedamus, non ſolùm vt de Platonis ſententia propoſitas, ſed etiam vt veras, & ea item, quæ Proclus ex adſumptis Platonis hypotheſibus concluſit, vnum autem illud non donemus, ſempiternam materiam, quia nec Platoni nec veritati ſit conſentiens, cùm rationes quæ materiam ſempiternam eſſe confirmare videbantur, in vndecimo argumento ſint reprehenſæ, reliquis conceſsis hypotheſibus, non ampliùs conficietur, Mundum ortu carere. Cùm primùm enim in natura fuit materia, protinus & veſtigia formarum in ea fuerunt, & ordo comparuit: neque horum quicquam prius eſt aut poſterius. Initium autem ſi habeat Mundus, initium quoque habebit & ordo & Mundus. Quòd igitur ſi quis prędictas conſtituat hypotheſes, materiam quidem primùm eſſe informem, deinde formarum veſtigia in ea procreari, ex quibus ſit, quòd immoderatè & ſine ordine agitatur, demum inordinatum in ordinem adduci falſum is conſtituit, & quòd Proclus probè reprehenſionibus eſt vſus, nos quoque confitemur. Non tamen has hypotheſes conuincere concedimus hoc eſt, docere aut Platonem hæc conſtituere, aut illum dixiſſe Mundum non fuiſſe generatum, ita vt ab aliquo temporis principio eſſe cœperit, in quo non eſſet prius, quàm in naturam eſſet productus.

III. NEQVE verò illud omnino eſt admittendum, id quod immoderatè & turbato ordine mouebatur, materiam Platonem eſſe voluiſſe, quæ formarum veſtigia ſuſcepiſſet. Nam Porphyrius in Commentariis, quę ſcripſit in Timęum, cùm hanc Timæi particulam exponit, non materiam cùm veſtigiis eſſe dicit, quod immoderatè agitabatur & ordine turbato fluitabat; vt hîc Proclus expo-

nit: ſed

nit:sed quæ iam ex materia & forma concreta essent corpora, ex quibus coagmentatus est Mundus, non enim Mundi, sed corporis materiã & formam esse principia:ex materia enim & forma sunt corpora, Mundi autem principia esse corpora, quæ ex materia & forma concreta sunt. Quæ si quis ipsa per se concipiat, sine eo qui ea digessit in ordinem, in motu ea omnino esse intelliget (quia naturalia sunt corpora, natura autem, motus est & quietis principium) in motu tamen omnino immoderato, & in nullum ordinem adducto. Quia moderatus, concinnus & in ordinem digestus motus diuinitus illis accedit. Nam si generata & in naturam producta concipiantur, non in ordinem tamen digesta, neque nacta situm sibi conuenientem, & eam relationem atque affectionem, quam inter se habere debent, quid superest aliud, quàm vt turbato & vago motu agitentur, vt nauis, dum gubernatore, & currus, cùm auriga destituitur? Quòd autem, inquit Porphyrius, Plato corpora non materiam intelligat, id quod vago & perturbato motu agitatur, argumento est, quòd aspectabile id esse dicit, quod immoderatè agitatur & fluitat, ex quo quod in ordinem est adductum, hoc est, Mundum, effecit. Quicquid enim erat (inquit Plato) quod sub cernendi sensum caderet, id sibi adsumpsit, non tranquillum & quietum, sed immoderatè agitatum & fluitans, idq; ex inordinato in ordinem adduxit. Quæ autem sub cernendi sensum cadunt, quæ esse possint, inquit Porphyrius, nisi corpora? Nam materia cùm secundùm Platonem sine forma sit & specie, quæque vix, aut ne vix quidem, spuria cogitatione comprehendatur, etsi formarum vestigia suscepisse intelligatur, tamen incorporea adhuc & informis necessariò est intelligenda: quoniam vestigia formarum, nondum formarum nomine dici merentur: quẽadmodum vestigia & adumbratio imaginis Socratis, nondum Socratis est imago. Quòd si tum, cùm vestigia recepit, incorporea est adhuc, & ob id sub conspectum non cadit, vt quæ nondum sit corporata, quod autem immoderatè & ordine turbato mouetur, id sub cernendi sensum cadere dicit Plato, efficitur certè, vt hoc quod immoderatè agitatur, nõ materiam Plato intellexerit, quæ formarum vestigia susceperit, sed ipsa potiùs corpora, quæ conuenientem sibi ordinẽ nondum acceperint. Quare si hęc ad hunc modum tempore discreta fuisse Plato dixisset, hoc est, corpora ex quibus concretus est Mundus, & ordinẽ, quo ipsa digesta fuerunt, nemo hanc, opinor, qui certè mentis sit compos, rationẽ admitteret. Vnà enim cum suo & sibi cõueniente ordine omnia Deus producit in naturam. Sin doctrinæ gratiâ, vt exponit Porphyrius, hæc ponebat Plato, vt intelligeretur quid ipsa per se corpora à sua natura obtinent, hoc est ab ea natura, quæ diuinitus indicta est corporibus, quid item accedat à Deo, qui ea digessit in ordinem, reprehẽsione fortasse carebit oratio. Verùm hinc, non vt quispiam arbitrari possit, conficietur, Mundum secundùm Platonem principio carere, cùm ille apertè dicat ortus principium habuisse, neque fuisse priùs, quàm esset procreatus, & quia generatus est, non prorsus esse indissolubilem & immortalem, etsi adscititiam, & rediuiuã immortalitatem à Deo mutuetur, quoniam subinde reconcinnatam & instauratam ciuitatem immortalem, manere nihil vetat. Cùm hæc igitur de Mundi ortu vbique dicat Plato, & ipsum secundum naturam dis-

ſolutionis eſſe capacem,nuſquam ne verbum quidem emiſerit,aut ortũ non eſſe Mundum,aut principium non habuiſſe, quo eſſe cœperit, aut naturâ non eſſe capacem interitus,nónne hæc apertiſsimè Platonis ſententiam oſtendunt,quòd ſecundùm tempus non generatum eſſe putauerit, hoc eſt,vnà cum temporis procreatione ſimul eſſe cœperit, cùm tempus non ſit ſempiternum? Nam tempus vnà cum cœlo factum eſſe dicit,vt ſimul procreata,ſimul etiam diſſoluantur, ſi qua ipſorum futura eſt diſſolutio.Nam ſi in Timæo, vbi ex profeſſo de Mundo docere propoſuerat,doctrinæ,vt aiunt, gratiâ,ortum eius conſtituit,cur tandem cùm & in Politico & in aliis omnibus eadem de Mundi procreatione dixerit, nuſquam vllo modo ipſum ortu carere docuit? Verùm quoniam hæc nobis in ſexto Argumento pleniùs ſunt expoſita,vbi demonſtrationi ex rebus ipſis deductæ magis innitimur,neque in ea tantùm inquirere,quæ Plato ſentit,nunc nobis eſt propoſitum,hîc ſermonem hunc circuncidimus, ne inanem verborum turbam lectoribus ingeramus.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum decimumquintum.

DECIMVM igitur quintum argumentum ad hunc modum intelligatur: Mundi exemplum tribus his nominibus exornat, Vnigenæ, Sempiterni, & modis omnibus abſoluti, quòd hoc poſtremum vni inſit Vniuerſo. Nam ex aliis omnibus rebus nulla eſt,quæ modis omnibus perfecta ſit,& abſoluta. Quapropter ipſe Mundum totum modis omnibus perfecto animali ſolùm ſimilem eſſe dicit.Porrò vnigenam eſſe, ne hoc quidem omnibus ineſt, etſi vniuerſis conueniat,quæ ſunt in cœlo.Vnumquodque enim illorum eſt vnigena, ſempiternum autem eſſe,omnium eſt commune formarum, aliôqui niſi hoc ſit, non inueniemus quídnam formis omnibus inter ipſas ſit commune. Quare ſi omnem formam hoc habere oportet,vt ſit ſemper(hæc enim eſt æui imago) quídnam reſpicit illud,eſſe ſemper? vtrum quòd infinito tempore vtraque eſt ex parte? An verò, quòd vna quidem ex parte principium habet, ex altera autem finem non habet?Nam ſi hoc eſt ſemper eſſe,quídnam erit tandem,quod æterno illi exemplo ſit ſimile? Illud enim nunquam habet interdum eſſe,neque productionem, neque priùs & poſteriùs,ſed vtraq; ex parte infinitum eſt.Infinitum autem non ſimul conſtat,ſed ita,vt fiat.Quòd ſi hoc eſt æternum eſſe, aut nihil eſt illi ſimile,aut certè Mundus imprimis. Verùm res eſt abſurda, cùm opifex ſit præſtantiſsimus,& velit exemplo ſimilia facere,& faciat, nullo modo Mundum æterno illi exemplo eſſe ſimilem.Mundus igitur cùm ſimilis,quàm maximè fieri poteſt, exemplo eſſe debeat, vtraq; ex parte habet æternitatem, non autem altera tantùm ex parte. Erit igitur perinde exemplo ſimile inordinatum, quia nunquam eſt generatum,atq; in ordinem adductum:quia nunquam corrumpetur.Quare ſi hæc fieri non poſſunt,quicquid ortu caret,interire non poteſt: & quicquid interitus expers eſt,nunquam eſt ortum,vt vtraque ex parte ſimile ſit illi æterno, non autem altera tantùm ex parte infinitum: & ob id, quod in ordinem eſt adductum nihilo magis, quàm inordinatum. Vtraque certè ex parte, quod ad ex-

emplum est factum, exemplo simile esse debuit: ad exemplum autem effectus est Mundus: neque igitur ita interitu carebit, vt ortum habuerit: neque si ortu careat, interitum subire potest. Hoc enim modo altera tantùm ex parte esset infinitum. Sed ortu caret simul & interitu, & secundùm vtranque partem habet infinitatem, vt æterno exemplari modis omnibus sit simile, vt ipse ait.

Capita solutionis decimiquinti Argumenti.

Expositio mentis & sententiæ decimiquinti argumenti. I.

Quòd non rectè similitudinem ad æternum Mundi exemplum accepit Proclus, & quomodo ex sententia Platonis æterno exemplari similis effectus est Mundus, cùm ipse initium habuerit, quo esse cœperit. II.

Quòd si accuratam Mundi ad exemplum similitudinem exquiramus, nullo modo exemplari Mundus similis esse potest. Et quòd, quoad eius fieri potest oportet simulachrum exemplo simile fieri quemadmodum earum rerum, quæ sunt, vnaquæque Deo similis facta fuisse fertur, quoad eius fieri potuit. III.

DECIMIQVINTI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

PROPOSITVM hoc decimumquintum Argumentum, est propemodum idem cum secundo: tum in hoc enim, tum in illo ex eo, quòd secundùm Platonem æternum sit Mundi exemplum, exempli quoq; imaginem, hoc est, Mundum sempiternum esse conclusit. Verùm illi quidem ex eo, quòd simulachrum & exemplum ad se mutuò referuntur, nec fieri posit, quin si vnum est, alterum quoque sit eodem modo. Itaque cùm vnum, nempe exemplum, semper sit, alterum quoq;, hoc est imaginem, necessariò semper esse dicebat. Hic autem ex eo, quòd omnino sit necesse, vt Platoni videtur, simulachrum exemplari esse simile. Mundi autem exemplar, inquit, tribus his exornat nominibus, dum ipsum modis omnibus perfectum, vnigenam, & æternum dicit. Quare si in illa modis omnibus absoluta perfectione, exemplari suo, inquit, similis est effectus. Siquidem totum est, & vniuersum ipse Mundus, & qui in se omnia continet, neque quicquam extra reliquit. At verò vnus est quoque & vnigena. Nam, inquit, Plato, vt in vnitate perfecto animali esset similis, neque duos, neque infinitos Mundos effecit Procreator: verùm vnus hic Mundus vnigena procreatus est, & erit. Necesse est igitur, inquit Proclus, vt scilicet in tertio quoque redditus sit similis exemplari, hoc est, in eo, vt sit semper: quomodo igitur, inquit, hac in re illi sit similis? vtrum, vt parte ex vtraque tempore sit infinito, an verò vt altera tantùm ex parte solùm habeat infinitatem, nempe in fine, vt ait Plato, in principio non item? Verùm si exemplum illud ita est sempiternum, vt neque principium habeat, neq; finem, planum est, id quod altera tantùm ex parte est infinitum, illi non esse simile, sed id demum, quod vtraque ex parte sit infinitum. Vnde, inquit, efficitur, vt si in eo quòd semper sit Mundus exemplo similis, vtraque ex parte habeat infinitatem, atque principio careat & fine. Porrò quòd etsi ex opinione Platonis Ideas & ex-

empla rerum quispiam esse concesserit:non tamen vnà cum exemplis has imagines aut esse, aut non esse necesse sit, ibi docuimus. Nunc autē non ad res ipsas, sed ad Platonis hypotheses nostra pertinet oratio. Si Plato quidem Mundum exemplo similem esse dicit, illud autem est sempiternum, necesse est, vt ipse Mundum & fine & principio carere arbitretur. Sic enim Deum in eo, quòd semper sit, exemplo suo similis Mundus esse videtur.

II. VERVM, opinor, si quis Platonis verba diligenter excusserit, & ea quæ modò à Proclo dicta sunt, Platonem hîc quoque reperiet ipsum sibi consentientem, interpretem verò Platonis nos potiùs fraudulenter in errorem inducere, quàm Platonis sententiam nobis illustrare. Id autem apertum erit ei, qui super proposito ipsa Platonis verba primùm legerit. Nam vbi in Timæo Mundum composuit, & animum ipsi indidit, motúque promouit conuenienti, hæc subiungit: Vbi autē moueri & viuere sempiternorum deorum factū à se simulachrum intellexit Pater, qui procreauit, opere delectatus est. Atque hac ductus lętitia, adhuc magis exemplo simile reddere atque perpolire cogitauit. Quemadmodum igitur ille animans est sempiternus: sic & vniuersitatem hanc, quoad eius fieri potest, talem reddere est ingressus. Illius igitur animantis sempiterna erit natura, quæ generato animali prorsus conuenire aut adaptari non poterat. Verùm mobilem quandam æui seu æternitatis imaginem facere constituit. Atque cœlum dum exornat, æui in vnitate manentis ad numerum progredientem sempiternam fingit imaginem: id quod nos Tempus appellamus. Nam dies, noctes, menses, & annos (cùm ante natum cœlum in natura non essent) tum demum voluit procreari, cùm cœlum productum est in naturam: hæc autem omnia temporis sunt partes. Atque ipsum *Erat* & *Erit*, quæ temporis nati sunt formæ, non sentimus perperam nos sempiternæ naturæ tribuere. De ea siquidem dicimus, quod erat, est, & erit, cui (si vera oratione vti voluimus) *Est*, tantùm conuenit. Et paulò pòst: Verùm de hisce in præsenti accurata disputatione differere, non huius fortassis est temporis. Tempus igitur, vnà cum cœlo factum est, vt simul procreata, simul etiam dissoluātur, si quando eorum vlla futura est dissolutio. Atque ad sempiternæ naturæ exemplum ideo factum est, vt, quoad eius fieri potest, sempiterno illi hic Mundus sit quàm simillimus. Exemplum enim in omni constat æternitate. Hic verò Mundus per omne tēpus perpetuò & procreatus, & instans est, & futurus. Cùm igitur Plato Mundum exemplo similem factum esse dicat, propterea quod quemadmodum illud constat per omne æuum: sic Mundus durat per omne tempus, si quisquam est, qui docere possit Platonem vtraque ex parte tempus infinitum esse censuisse, causam haud dico, quin necesse sit, Mundum non alia ratione suo fieri similem exemplari, quàm vt in vtranque partem temporis habeat infinitatem. Nam si tēpus sit infinitum, Mundus per omne tēpus non durabit: si vt finem non sit habiturus, principium tamen obtinuerit. Proclus enim accepto quòd partem in vtranque tempus sit infinitum, fallacem conclusionem facilè contexuit. Quid enim, inquit, hæc? vide, vtrum quod infinito tempore vtraque est ex parte, an verò quod vna quidem ex parte principium habet, ex altera autem finem non habet. Vides vt facilè & confiden

confidenter adſumit tempus vtranque in partem eſſe infinitum. Quanquam ſi quæ Platoni potiùs, quàm quæ ſibi videntur, confirmare voluiſſet, quemadmodum accepit à Platone Mundum exẽplo ſimilem eſſe debere: ita docere debuit, an Plato etiam tempus vtraque ex parte infinitum eſſe voluerit: vt ex Platonis propoſitionibus conficeret, ſi in ea re exemplo ſimilis factus eſt Mundus, quòd in omni ſit tempore, ſicuti exemplum illud in omni conſtat æternitate, tempus autem in vtranq; partem ſecundùm Platonem eſt infinitum: ſic Mundum vnà cum temporis perpetuitate in vtranque partem produci eſſe neceſſe. Nunc autem cùm ex Platone id docere non poſsit, ipſe à ſe ſine demonſtratione ſumpſit, partem in vtranque Mundum eſſe infinitum. Porrò quòd Plato tempus vtraq; ex parte infinitum eſſe non exiſtimauerit, ex iis perſpicuum eſſe debet, quę Plato nobis de temporis natura diſſertauit. Tempus enim, inquit, vnà cum cœlo factũ »
eſt, vt ſimul generata, ſimul etiam diſſoluantur, ſi quando vlla eorum futura eſt »
diſſolutio. Et iterum: Nam dies, noctes, menſes, & annos, cùm ante natũ cœlum »
in natura non eſſent, tum demum voluit procreari, cùm cœlum productum eſt »
in naturam. Si igitur cùm naſcente cœlo vnà natum eſt tempus, nec antequam »
illud naſceretur, hoc vllum erat, cœlum autem ab aliquo principio cœpiſſe dicit, nec fuiſſe antequam generatum eſſet, vt in ſexto docuimus, ſed ita eſſe immortale, vt inſtauratitiam conſequatur immortalitatem, & tempus certè ab aliquo principio ſtetiſſe cenſet, ſed finem non eſſe habiturum. Quapropter ſi vnà cum cœlo tempus eſſe cœpit, & cum eius eſſentia vnà extenditur, hac profectò ratione Mundus exemplari ſuo ſimilis eſt factus, quod ſtat per omne tempus, ſicut illud in omni eſt æuo. Tempus autem eſſe cœpit, & Mundus certè cùm eſſe cœperit, vnáque cum temporis perpetuitate in eo, quod deinceps conſequitur, ſimul extẽdatur, eò quòd in omni ſit tempore, exemplari ſempiterno factus eſt ſimilis. Quanquam ſi initii expertem Mundum Plato eſſe volebat, cur non dixit, quòd quemadmodum exemplum neque vnquam eſſe cœpit, neq; vnquam eſt deſiturum, ſic nec Mundus vnquam cœpit generari, neq; deſinet vnquam? Hoc enim modo imaginem eius ad exemplum meliùs explicuiſſet. Verùm quemadmodum, inquit, exemplum in omni conſtat æternitate: ſic Mundus per omne tempus perpetuò & procreatus, & inſtans eſt, & futurus. Si tempus igitur eſt vllum, in quo Mundus non ſit, omnino à ſimilitudine, quam debet habere cum exemplo, excidere eum eſt neceſſe. Sin in omni eſt tempore, initium autem habet tempus, quo eſſe cœperit, fit certè, vt Mundus ſecundùm ea, quæ Plato cenſet, ab initio aliquo cœperit, & ſempiterno exemplo ſuo factus ſit ſimilis. Porrò, nemo in præſenti dubitationes nobis commoueat, quæ tempore produci poſſunt, vt ipſum vtraq; ex parte infinitum eſſe doceat. Iam enim firmiſsimam earum controuerſiarum, quibus tempus vtraq; ex parte infinitum eſſe videri poſſit, in quinto argumento diſſoluimus: & ſi quę ſunt aliæ, eas ſuo loco commodè excutiemus: neque enim nobis in præſenti propoſitum eſt, in temporis diſputationem inquirere. Illud autem vnum hoc in loco docere volumus, Platonẽ hîc quoq; conſentientem ſibi videri, tum, cùm ait, Mundum ſempiterno exemplari factum eſſe ſimilem, tum, cùm dicit, ab aliquo temporis principio eſſe cœpiſſe.

Si quisquam igitur, quod iam dixi, docere potest Platonem voluisse Mundum vtraq; ex parte esse infinitum, id doceat, non ex suis cogitationibus, sed ex ipsius Platonis scriptis rem conficiens, & verbum non addimus. Sin contrà, vnà cum cœlo nato tempus cœpisse ait Plato, neque stetisse priusquam esset procreatum, Proclus autem accepto tanquam Platonis decreto, infinitum esse tempus, in vtranq; partẽ, quę inde consequuntur, conclusit. Vnde hoc quoq; in loco deprehensus est & de Platone falsa dicere, & nos captiosa conclusione velle decipere.

III. QVOD si dicat non alia ratione fieri posse, vt Mundus sempiterno exemplari factus sit similis, quàm vt vtraque ex parte habeat infinitatem, principii exors & finis: primùm quidem non quòd Platoni videatur, hoc concludit. Expositum est enim, quomodo ille Mundum exemplo similem factũ esse dicat. Quòd si modis omnibus accuratam hîc & ibi æternitatis similitudinem seruare velit, quoniam exemplum non generatam sed simul consistentem suæ naturæ habet infinitionem, vt ipse Proclus quoque assentitur, oportet, Mundum quoque non natam, sed constantem simul suæ naturæ infinitionem habere. Neque enim ei, quod semper est, id simile esse posit, quod gignitur in tempore. Atque si exemplum, neque aliquando recipit, neque priùs & posteriùs, neque omnino productionem, proculdubio neq; Mundus horum quicquam admittere potest, siquidem illi factus est similis. Quare cùm Mundus & aliquando obtineat & priùs & posteriùs, ac non infinitatem simul consistentem, sed generatam, ex eorum etiã sententia, qui æternum eum esse volunt, perspicuum, ne sic quidem sempiterno exemplari factum esse similem. Verùm si exempli imaginem in naturam produci oportet, & quoad fieri potest, similitudinem retineri, vt ipsemet quoq; Plato
« dicit (quemadmodum enim, inquit ille, animans est sempiternus, sic & hanc
« Vniuersitatem, quoad eius fieri potest, talem reddere conatus est) si igitur quoad fieri potest, exemplo imaginem similem esse oportet, vt in prædictis ab exemplo differens fuit, & in eo quoque differat, quod est esse semper, vt Plato dixit, imaginem retineat Mundus ad illud exemplum, non in eo, quòd vtraque ex parte sit infinitus, sed quòd in omni sit tempore, vt in omni æternitate & æuo est exemplum. Neq; enim Mundum tantùm æterno exemplari similem esse dicit Plato: verùm etiam omnia quæ sunt, Deo similia esse dicit. Probus enim erat, inquit, probus autem nulla vnquam in vlla re tangitur inuidia. Cùm autem extra inuidiam esset, omnia quàm maximè voluit sibi nasci consimilia. An igitur ideo quòd Deo omnia consimilia esse dicantur, Deum autem semper esse & perpetuitatem in iisdem, & eodem modo obtinere, ex omnibus rebus interitum tollemus & ortum, & omnino commutationẽ, cuius in Mundo nihil est exors? Qua ratione res vnaquæq;, quoad eius fieri potuit, & vt naturâ erat comparata, similitudinem cum suo ipsius principio primò recepit. Ad hunc igitur modum candida interpretatione in Mundo similitudinem cum æterno exemplari intelligemus, non tollentes, quod apertè dictum est Platoni, Mundum & Tempus habere principium. Verùm vt ipse loquutus est Plato, quia Mundus in omni est tempore, etiamsi ab aliquo principio tempus esse cœperit, similem eum esse dicemus exemplo, quod in omni est æuo & æternitate. Porrò, quòd illud quod adsciritiã

ac non

ac non eſſentialem habet immortalitatem, non idcirco quia hoc modo expers eſt interitus, protinus eſt neceſſe, vt procreationis quoque ſit expers, ſed contrà potiùs, quoniam non natura expers eſt interitus, ideo procreationis eſt capax, ſuprà in ſexto argumento euidentiſsimè probauimus.

PROCLI DIADOCHI
Argumentum decimumſextum.

SI in opifice duæ ſunt voluntates, vna, vt non ſit quod immoderatè & ſine ordine moueatur, ſicut ipſe dicit (Cùm enim cōſtituiſſet Deus nihil mali admi- » ſcere, ex inordinato ipſum adduxit in ordinem) Altera, vt Vniuerſum eſſet colli- » gatum (Nam cùm voluntatem & conſilium meum nacti ſitis, quod maius eſt » vinculum ad perpetuitatem veſtram, quàm illa, quibus eſtis, tum cùm gigneba- » mini, colligati, neutiquam diſſoluemini) atq; harum voluntatum vtraq; ipſarum eſt natura & eſſentia: vna, vt non ſit ordinatum: altera, vt quod adductum eſt in ordinem, conſeruetur, neceſſe eſt, has voluntates, aut ſemper eſſe in eo, aut interdum vtranq;, aut alteram ſemper, alteram verò interdum. At verò quòd interdum inſint, falſum eſt. Eſt enim perſpicuum, interdum velle, & interdum non neutiquam conuenire ei, quod eſt ſemper, ſeu priùs nolit, poſteriùs autem velit: ſeu contrà, priùs quidem velit, poſteriùs verò nolit. Erit enim in hiſce voluntatibus & non voluntatibus priùs & poſteriùs, & item, erat & erit. Hæc autem, inquit idem, ſpecies ſunt temporis. Tempus autem non eſt in Deo, ſed ab eo eſt, & » poſt eum. Semper igitur tum immoderatum non eſſe, tum ordinatum eſſe vult. » Cùm igitur voluntas ipſo eſſe, quod vult efficiat; & ſemper ſit vtraque, ſemper ipſo eſſe efficiet. Quòd ſi vtraque ſemper, quod vult efficiet, proculdubio altera ſemper obliterabit inordinatum, altera verò in ordinem adductum conſeruabit. Sic enim vtraque quod ſuum eſt, faciet, illa quidem de medio tollens, quod vult non eſſe, hæc autem muniens & conſeruans id, quod eſſe vult. Cùm igitur hæ ambæ ad hunc modum, quod ſuum eſt, efficiant, ſemper id eſſe oportet; quod gignitur ab vtraque. Simul enim ſunt quod gignit, & quod gignitur, vt idem in Philebo dixit. Quod quidem efficitur pulchrum, & ipſum quoque efficiens, nec ſine vtroque eſt alterum. Semper igitur & inordinatum obliteratur propter perpetuam voluntatem, vt ipſum non ſit, & ordinatum conſeruatur propter voluntatem, vt ipſum ſit perpetuum: cùm vtraque ſit ſemper. Quare ſi ſit vtrunq; ſemper non priùs erit inordinatum, deinde ordinatum, vt neq; priùs ordinatum, deinde inordinatum. Quòd ſi ante id, quod in ordinem adductum eſt, non fuit inordinatum, principium non habuit ordinatum, quod inordinatum ſubſequeretur. Et ſi quod in ordinem digeſtum eſt, non præceſsit inordinatum, nō habebit finem ante inordinatum. Quòd ſi neque eſſe cœpit poſt inordinatum, neque ante ipſum deſinet, omnino principii & finis expers eſt ordinatio. At verò nihil eſt aliud Mundus, quàm ordo, & id quod adductum eſt in ordinem. Ortus igitur & interitus expers eſt Mundus: quoniam abſurdum eſt, in Deo duæ cùm ſint voluntates, aut vnam quidem ſemper facere, alteram verò non ſemper: aut dicere, vnam quidem ipſo eſſe facere, alteram verò non item, cùm eiuſdem naturæ ſint

ambæ,& propter eandem causam,probabilitatem suam obtineant. Nam altera est,quòd nolit esse inordinatum,quia ita bonum sit,vt ait idem: altera,quòd velit in ordinem esse digestum, quia malum non sit. Quantò igitur bonum esse Deo conuenientius est,quàm non esse malum,tantò diuina magis est voluntas, quę inordinatum non esse vult,quàm ea,quę vult esse ordinatum.Dei enim magis est proprium bonum,quàm non malum. Modis igitur omnibus est absurdũ, magis propriam eius voluntatem non esse æternam magis,& (si fas est dicere) efficientiorem,cùm sit diuinior. Quare si voluntatibus est consequens, vni quidem procreationis,alteri autem interitus expertem esse Mundum,maiore ratione ortus expers,quàm interitus fuerit:cùm illud ob potiorem & diuiniorem voluntatem obtineat, hoc autem propter inferiorem. At verò altera, nempe immortalitatis, & incorruptibilis naturæ,omnibus est conspicua, & altera igitur multò hac apertior esse debet, quæ scilicet naturam ortus expertem ipsi tribuit. Si igitur duæ perinde valent atque vna, ortus & interitus exors est Vniuersum. Sin verò duæ sunt,& potentior est, quæ propter bonum est, quàm quæ propter non malum,ortu magis caret Vniuersum, quàm interitu: verùm magis vna esse videatur,quàm duæ.Eiusdem est enim inordinatum respuere, seu ante, seu post ordinationem sit,& redactum in ordinem,sine principio producere, & sine fine continere.Neq; enim cuiuis opifici quicquam est ordine conuenientius: & ideo suum ipsius opificium in ordinem adducere cœpit.Quare vel eo solo,quòd opifex est, ordinem habet optabilem. Quòd si vnum est optabile, vna est optatio, quæ nimirum est ordinis optatio. Quòd si vna est optatio, & voluntas, quæ eius est,quod voluntate optatur,vnà scilicet erit,quæ & semper ante tempus id facit, quod in ordinem est redactum,& in tempus perpetuum tale continet. Si autem vna sit,absurdum,vel verius tale, quod fieri non posit, ipsam tribuere in partes, & partem eius vnam,eámque infirmiorem Deo tribuere,alteram,eámque perfectiorem,non tribuere.Deo enim conuenit,quod perfectius est, cùm imperfectiore sit maius.

Capita solutionis decimisexti Argumenti.

I. *Quòd non idem est,Deum semper aliquid velle,& illud ipsum velle esse semper. Et quòd etiamsi semper velit Deus id quod ortu caret,tum naturæ eius, quod est, tum boni esse particeps,tamen non eodem modo omnia: sed vt vnumquodque naturâ comparatum est,tum entis,tum boni esse particeps.*

II. *Quòd & in vnitate constans & temporis expers & partibus carens Dei est voluntas,perinde atque cognitio & prouidentia. Etiamsi quæ fiunt,quæq; cognoscuntur, & quæ prouidentia diuina fruuntur,in numerum producta sint,& partibus constent, & interdum sint,interdum non sint.*

III. *Quòd quæ alibi pulchrè de impartibili Dei cognitione,& eiusdem efficiendi ratione à Proclo disputata sunt per ea euertuntur quæ hoc in loco ad contentionem dicuntur.*

IIII. *Quòd etsi in hypothesi quispiam concesserit Dei voluntatem aliam esse priorem, aliã esse posteriorem,nullo modo proptereà erit necesse, vt Dei voluntates tempori subiiciamus. Et quòd quantum ad Procli sophisma, etsi Mundum esse sempiternum concesserimus,omnino est necesse, sub tempus esse, intelligentes omnes substantias, atque adeò ipsum*


temporũ

temporis opificem Deum. vbi etiam docetur, rerum quoque singularum Deum habere cognitionem.

Quòd neque post inordinatum factum fuit, quod in ordinem adductum est, neque desinet ante inordinatum. Nec propterea vllo modo est necesse principio & fine carere ordinatum vt colligit Proclus. Et de quónam inordinato nobis sit sermo. V.

Quòd Proclus non rectè cùm tanquam in hypothesi acceperit duas esse Dei voluntates: vnam, vt sit ordinatum: alteram, vt non sit inordinatum, eam, qua vult non esse inordinatum, altera potiorem & Deo conuenientiorem esse dicit. Et quòd si omnino distinguere oportet, volunta vt sit ordinatum, altera est præstantior. & quòd Plato non duas, sed has ambas vnicam esse vult. VI.

DECIMISEXTI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*



VAE de Platonis hypothesi dicenda essent, in qua dicit ex eo, quod immoderatè & sine ordine mouetur, id fieri, quod in ordinẽ adductum est, in iis, quæ decimoquarto Argumento opposuimus, intra modum explicauimus: quare in præsenti non sunt eadem molestè iteranda. Quoniam autem Philosophus accepto à Platone, quòd Deus velit non esse inordinatum: & velit esse, quod in ordinem adductum est, hinc iterum Mundum non generatum esse concludit. Vt verò Plato hæc de Dei voluntate nunquam pronuntiauerit, quispiam tamen istud idem ipsum per se nobis fortasse protulerit, an Deus velit non esse inordinatum, & an quod ordinatum est, esse velit, ex quibus eadem rursus conficientur, æquum est, vt nos in hac excutienda ratione immoremur. Nam si ipsum per se excussum theorema non videbitur eò nos compellere, vt Mundum non generatum esse dicamus, nec Platonem quidem idem sentire coëgerit, ex eo, quòd Deum dixerit nolle incompositum, & inordinatum esse, velle autem digestum esse in ordinem. Cæterùm, nos huic rationi occurrentes, confitemur Deum semper velle, vt non sit, quod immoderatè & sine ordine mouetur: neque itaque fuit, neque est, neq; futurum est. Inordinatum autem id dico, quod ordine naturali & concinna compositione vacat. Neque enim producit quicquam Deus, quod ipsum sit immoderatum, inconditum, aut inordinatum: deterius est enim malè esse, quàm omnino non esse. At verò neque casu neque ex vllo alio principio quicquam inconditum confitemur secundùm substantiam, aut esse, aut oriri. Nullius enim causa est fortuita, aut casus: & vnum omnium rerum esse principium in confesso est. Simul igitur Deus rem vnamquanque in naturam producit, & eam ordine decenti & concinna compositione expolit & ornat. Imò verò vt ordinatum sit, Deum semper velle affirmamus. An verò vbi primùm Deus est, ordinatum etiam ita esse velit, vt vnà cum ipso sit sempiternum, illud verò disquisitione dignum putamus. Neque enim, etsi semper habuerit eam voluntatem vt semper esset ordinatum, protinus ipsum semper esse vult. Nam quamuis sola voluntate omnia in naturam producat Deus, id tamen tum fit, cùm ea esse vult: vult autem, cùm cuiq; bonum est, vt sit. Est verò bonum, vt potest vnumquodq;,

& naturâ comparatum eſt.Quandoquidem Deus vult ſemper,vt rationis compotes ſubſtantiæ bono inhæreant, neque vnquam ad deteriora delabantur. Deteriora autem dico,tum falſas opiniones, tum vetitas actiones. Bonorum enim, inquit Plato, ad nullum alium, quàm ad Deum cauſa eſt referenda: malorum autem aliqua alia requirenda eſt cauſa. Et iterum idem Plato: Mali cauſa non eſt dicendus Deus. At verò bonis omnibus vult Mundum expleri, mali autem nihil admiſcere, quoad natura pateretur. Quare ſi malorum cauſa non hæret in eo, & vult omnia eſſe bona, malum autem nihil, & nihilominus ſunt mala, non certè quicquid vult eſſe Deus,id protinus vt Deus ipſe eſt, ipſum quoq; eſſe oportet. Verùm vt quodque naturâ comparatum eſt, & eſſe, & bonum eſſe, ita & ipſum eſſe vult,& boni eſſe particeps. Vult enim vnumquenq; animum vltro & ſuopte nutu,& bonum eſſe, & expertem omnino vitioſitatis. Siquidem malorum Deus non eſt cauſa, vt Platonem adſerentem protulimus. Quare ſi vnà cum Dei de re quapiam voluntate,protinus & ſine vlla diſtinctione illud eſſe eſt neceſſe,vt ſtatuit Proclus,quî fieri poteſt,vt vlla conſtet malitia,cùm Deus eam non eſſe velit, & bona eſſe omnia ſemper velit? Jam quare non omnis animus bonũ ſemper retinet,cùm Deus velit,vnumquẽq; animum bonum eſſe,ita vt ex delectu bonum conſectetur? Aut enim neceſſe eſt, vt ipſe concedat, Deum non ſemper velle animas eſſe in bono:quo propoſito Deus malorum etiam erit cauſa:aut ſiquidem hoc eſt abſurdum,vult ipſos ſuos nutus atq; impetus ad bonum perpetuò dirigere, neque vitioſitatis modo vllo eſſe participes: hoc autem non fit ſemper. Non igitur eſt neceſſe, vt ſimul ac Deus quidpiam eſſe vult, illud ſit omnino:quoniam ſibi ſimilia omnia eſſe vult,vt ait Plato: verùm quantum cuiuſq; natura ſimilitudinem cum ipſo admittere poteſt,ita eam ſuſcipit. Ad hunc modum igitur rerum ſingularum vnamquanq; & procreari & eſſe vult Deus: ipſe ſiquidem eſt,qui ſecundùm Platonem,cœleſtibus in Timæo præcipit, vt ad mortalium animalium procreationem conuertantur. Verùm cùm oportet, & naturâ comparatum eſt,vt rerum ſingularum vnaquæque gignatur,tunc quoq; hanc eandem eſſe vult. neque enim Socrates naturâ erat aptus vt gigneretur, priuſquam natus eſſet Sophroniſcus: tamen etiam priuſquam generatus eſſet Sophroniſcus, Socratem procreari volebat: non tamen abſolutè procreatum eſſe, aut ſemper eſſe procreatum, ſed tum demum, cùm procreari poterat. Ad hunc igitur modum, & priuſquam quod in ordinem adductum eſt, factũ eſſet, volebat eſſe ordinatum;verùm tum,cùm eſſe poſſet,vt quod ſit procreationi obnoxium,nihil autem eorum,quæ generantur,conſtare ſine principio poteſt, vt in primo Argumento docuimus. Non igitur vt ſemper Deus ordinatum eſſe velit,ſempiternum ipſum eſſe protinus eſt neceſſe.

II. AT verò nec ſi quod Deus eſſe vult,aliquando ſit & aliquando non ſit,ideo dicimus Deum interdum hoc,& interdum aliud velle. Vna eſt enim & ſimplex in Deo boni voluntas: cuius vnaquæque res prorſus ita eſt particeps, vt patitur eius naturà.Quemadmodum igitur omnia vult ſui eſſe ſimilia (verùm ſimilitudo non eadem eſt in omnibus,ſed ita vt ratæ ſubſtantiarum portioni reſpõdeat) ſic etſi omnia velit tum naturæ eius quod eſt,tum boni eſſe participia,ita tamen

vt quid

vt quidque & poteſt,& naturâ ſua comparatum eſt,tum eius quod eſt,tum boni eſſe particeps.Quare quod ordine compoſitum eſt,hoc eſt Mundum,ſemper quidem eſſe volebat. verùm vt poteſt & ſuapte naturâ eſt comparatum,ita eſſe volebat. Porrò procreationi obnoxium cùm ſit,ab aliquo principio,non autem ſine vllo initio eſſe naturâ eſt comparatum. Vniformis igitur Dei eſt voluntas, vt ſint omnia,ſicut & prouidentia & cognitio eſt vniformis. Verùm quemadmodum Dei prouidentia multitudine eorum,quibus prouidetur, non multiplicatur,ſeu diffunditur in multitudinem,neque verò cognitio,quę ad ea etiam pertinet,quæ maximè ſunt indiuidua,nec varietate rerum,quæ ſunt,nec ſubſtantiæ earum partibili natura vna variegatur,aut diſtenditur,ſed quę partibus conſtãt, ſine partibus,& quæ varia ſunt, vniformiter, & quæ in tempore conſiſtunt,ſine tempore cognoſcit: ſic & voluntas Dei, quæ res omnes eſſe vult, non vnâ cum dimenſione temporis,earum rerum,quæ in ſubſtantiam & naturam producuntur,ipſa diffunditur in dimenſionem.Neque enim quia aliud gignitur, & in alio eſt tempore, ideo Dei voluntas,qua eadem eſſe vult,alterius eſt in alio tempore. verùm vt quod futurum eſt,ex æternitate nouit,atque quod nondum eſt, in natura ipſius prouidentiæ præſens adeſt: ſic ſanè ſemper habet voluntatem, vt ſit quod futurum eſt. Hoc enim modo nihil nec prius eſt,nec poſterius. Neque verò aliud quicquam dicemus,apud Deum eſſe futuri notionem,quàm voluntatẽ, vt id ſit,quod futurum eſt.Eximatur autem mihi ab hoc ſermone vitioſitas. Nã etſi nouit eam eſſe futuram, non vult tamen vt ſit futura. Quoniam nulla eſt conſiſtentia aut cohærentia mali propria, & quæ per ſe conſtet, ſed in actionis prætermiſſione,quæ ſit ſecundùm naturam,falſam quandam conſiſtendi & cohęrendi ſpeciem ſuſcipit.Quare ſi eius notio,quod futurũ eſt,ſemper eſt in Deo, nec recipit vt interdum ſit, certè nec voluntas vt quid ſit futurum, recipiet interdum.Quemadmodũ igitur ſine partibus, & ſine dimenſionibus rebus omnibus prouidet,& omnia cognoſcit,ſic vult eſſe omnia. Cùm hæc igitur ita ſe habeant,efficitur,nullo modo eſſe neceſſe, vt quia Deus velit ſemper id eſſe, quod digeſtum eſt in ordinem,protinus ipſum ſit ſempiternum.

QVOD autem ipſemet quoque Proclus,vbi non ad contentionem loquitur, ſed ipſam per ſe rerum veritatem expendit ac circumſpectat,hæc eadem & ſentiat apertè & profiteatur, ex ipſius verbis intelleximus, quæ nos alibi protulimus,ex eius libro,De decem contra Prouidentiam dubitationibus.Ea autem ſic habent: Vt ſummatim igitur dicamus,omnia procreandi & omnia conſeruandi vim habere vnum illud dicimus. Vt quod omni ſubſtantia hyparxin & naturam habet veriorem, & quauis cognitione clariorem.Nec diuiditur cum iis,quæ cognoſcuntur, nec circa eadem mouetur. Animalis enim & intelligens cognitio horum habet proprietates. Et mens omnis vna,multa tamen & in ſua eſſentia & in ipſo intelligendo.Atque omnis anima cùm motio ſit,etiam cum motione intelligit. Illud autem cùm in vno maneat,ſpatio carens, ſimul & indiuiſum, omnia eodem modo intelligit,nec hominem tantùm & ſolem,& quod eſt huiuſmodi,ſed etiam quamque rem ſigillatim.Nihil eſt enim, quod vnum illud effugiat,ſeu eſſe,ſeu cognoſci dicas. Et iterum paulò pòſt:Sic & Prouidentiæ in vni- III.

" tate cognitio in eodem impartibili,omnium est, quæ diuiduntur cognitio, tum
" earum rerum, quæ maximè sunt indiuiduæ, tum earum, quæ totius naturam
" maximè retinent. Et quemadmodum sua vnitate rem quamque produxit: ita
" sua eadem vnitate vnamquanque cognoscit. Si igitur vnà cum iis,quæ cognoscuntur,non diuiditur Dei cognitio, sed sine spatio, aut dimensione in vno permanens,& sine diuisione cognoscit omnia, non solùm vniuersalia, sed etiam ipsamet singula, & maximè indiuidua. Ad eundem autem modum rem vnamquanque cognoscit Deus, quo eam produxit in naturam,nempe citra partes & spatium:neque res vniuersas tantùm,sed singulas quoq;, & maximè indiuiduas, quæque sunt in tempore, & interdum constant, interdum verò non constant. Neque verò mouetur vnà cum eorum motione, quæ oriuntur: etsi ea, quæ generantur, interdum sint, & interdum non sint. Quòd si Dei voluntas ipsa sua essentia,quodcunque vult producit,& procreat, vt ait Proclus, Dei certè voluntas,citra diuisionem,& citra interualla, secundùm vnum in naturam omnia ita profert,vt cum iis,quæ producuntur,non simul ipsa diuidatur,neq; circa eadem moueatur:sed vniformiter facit,quæ in multitudinem diffusa sunt,& diuidi sunt nata sine diuisione, & sine spatio, quæ in temporis dimensione habent, vt ipsa sint.Quòd si sine diuisione & sine dimensione res etiam maximè indiuiduas ita facit diuina voluntas,vt circa ea non moueatur, res autem singulæ & indiuiduæ interdum sunt, & interdum non sunt, fit certè, vt Dei voluntas de Mundo aliquando consistente neque interdum sit,& interdum non sit,neque prius habeat & posterius:vt quæ cum iis non moueatur,quę à se procreantur.Atque his consentientia dicentem Plotinum suprà produximus: quorum nunc quoque meminisse non fuerit alienum.Ille igitur de efficiendi potente facultate diuina hæc
" habet: Verumenimuero si quamque actionem non imperfectam esse oportet,
" neque fas est Dei quicquam aliud arbitrari, quàm totum & vniuersum, oportet
" in re qualibet, quæ ipsius sit,omnia simul adesse. Quare ipsum quoque semper
" esse oportet. Vnde efficitur, vt sit necesse, & futurum, vt iam præsens adesse.
" Quapropter non posterius quicquam in illo: sed quod iam illic præsens est, po-
" sterius in alio efficitur.Quare si iam adest futurum,necesse est ita adesse,vt quod
" mente anticipatum sit,& præuisum in posterum:hoc autem est perinde vt nul-
" la re tum indigere. Atque hoc eius est quod nulla re defectum sit. Omnia igitur
" iam erant,& semper erant. Atq; ita erant vt postea dicamus propter hanc cau-
" sam hoc esse factum:extensum enim & quasi simplex factum potest ostendere,
" hoc post hoc esse factum. Illud autem omne quod simul est, vnum id est. Hoc
" autem id est,quod in se causam continet.Cùm igitur secundùm sapientem Plotinum,quod futurum est,Deo semper sit præsens, neq; quicquam apud eum sit posterius,sed quod in alio est posterius,iam ipsi Deo præsens adsit,& semper adsit,his autem consentanea Proclum dicere docuerimus,efficitur certè, vt etsi ordine compositum interdum sit futurum, interdum non sit, non tamen Dei voluntas vt ipsum constet,interdum fit,& interdum non sit. Quare neq; propterea prius habebit & posterius, neq; tempus. Neque verò quoniam sempiternam voluntatem habebat Deus, vt id quod ordine compositum est, hoc est vt Mun-

dus esset, ob id protinus efficitur, vt Mundus sit sine principio, cùm corporea, & nata natura expertem principii substantiam recipere non posit. Quòd si quia interdum sit & interdum non sit, id quod in ordinem adductum est, hoc est ipse Mundus, necessariò conficere contendit Proclus interdum esse Dei voluntatem, & interdum non esse, & ideo tempori esse obnoxiam: omnium autem in naturam procreandi, facultate prędita est Dei voluntas: vt autem omnia profert in naturam, sic & eadem cognoscit, vt ipsemet iterum dixit: omnia verò cognoscit non solùm in genere toto, sed etiam sigillatim, atq; adeò ea quę maximè sunt individua, vt ipsum hoc idem dicentem produximus: hęc autem & partibus constant, & sempiterna non sunt, sed sunt aliquando, & aliquando non sunt, concluditur, vt Dei quoq; de iis quæ esse dicuntur, cognitio, prius habeat & posterius, & sit interdum, & interdum nō sit, & ideo tempori sit subiecta: neq; vniformiter & vno modo, nec sine interuallo sed in multitudine & spatio res singulas adprehē-det. Et rursus de Prouidentia eodem modo est dicendum. Vnà enim cum iis quę prouidentur in partes diducetur, neq; vniusmodi, sed multiplex & in numerum diffusa erit, quemadmodū & illa: & sicut illa prius in tēpore habebit, & posterius. Nūc igitur Philosophus harum suarum enuntiationum vtram volet, improbet ac reiiciat. Neq; enim fieri potest, vt verę sint ambę, nēpe vniformiter & sine interuallo primā causam etiam ea quæ maximè sunt indiuidua, & interdum sunt & interdum non sunt, proferre in naturam & cognoscere, atque eisdem prouidere, vt in libro, De Prouidentia, disputauit, & item si Mundus interdū sit & non sit interdum, Dei etiam voluntatem qua ipsum Mundum esse vult, interdum esse & interdum non esse, vt hoc in loco adfirmat: & ob id prius habere & posterius. Verùm si quæ in libro, De Prouidentia dicta sunt, ita sunt ab eo disputata vt res ipsas per se & veras de Deo notiones spectaret, par est, ea verè & probè esse discussa, & ideo posteriora repudianda sunt, vt ad contentionis ambitionem veriùs, quàm ad veritatem disputata. Quare si illa sunt vera, & rerum omnium causa in vno tantùm sine interuallo simul, & sine diuisione res maximè indiuiduas & in tempore cohærentes producit in naturam, nec circa ea mouetur, atque secundùm Plotinum, quod futurum est iam Deo præsens est, neque in eo quicquam est posterius, fit profectò, imò verius est necesse, vt etiamsi interdum sit & interdum non sit, quod ordine digestum est & compositum, hoc est Mundus, Dei voluntas qua eum esse vult, sempiterna sit, útque cum ipso non moueatur, neq; cum eius cohærentia spatiis & interuallis distincta, simul cum ipsa diffundatur. Siquidem vniformis est semper & vnius boni volūtas: vult enim semper id esse, quod bonum est. Verùm vt quæque res ad participandum bonum naturâ sua comparata est: quæ autem generata sunt, & præcipuè corpora, ita sunt naturâ sua comparata, vt semper non sint, vt sæpe docuimus.

VERVMENIMVERO etsi ex conditione quispiam iisdem concesserit, Deum interdum quidem velle esse quidpiam, interdum verò velle idem non esse: aut contrà, velle quidem interdum illud non esse, interdum verò esse, & ideo voluntatem alteram quidem esse priorem, alteram verò posteriorem, quid est, quòd hinc necessariò conficiat, in Dei voluntatibus inesse tempus, ob id vnū IIII.

ſcilicet, quòd vna prior eſſe dicatur, altera poſterior? Captioſum certè & ſophiſticum illud, opinor, ductum ex ambiguitate verborum, Prius, & Poſterius: ſi protinus, quia in Dei voluntatibus Prius ſit & Poſterius, neceſſariò tempus ineſſe putetur. Neque enim quicquid quomodocunque prius aut poſterius eſſe dicitur, temporis omnino ſignificans eſt. Ad hunc enim modum omnem intelligentem ſubſtantiam & omni corpore liberam, atque adeò ipſum temporis autorem & opificem, etiamſi Mundus ſit ſempiternus, aut tempori ſubiiciemus, aut certè in eo tempus conſiſtere concedemus. Quòd enim intelligentes ſubſtantias, quantum in hac oratione ſitum eſt, ſubiicere tempori eſt neceſſe, hinc eſt perſpicuum. Nam etſi partibus expers eſt, & ſine ſpatio mentis adpulſus & adprehenſio: attamen quòd non omnia ſimul intelligat, & ipſi nobis concedent, vt Proclus quoque in productis ipſius verbis ex libro De prouidentia, obſcurè « ſignificauit, quando dixit: Nam mens omnis vna eſt, & multa tum eſſentiâ, tum « intelligendo. Nam moueri circa ea, quæ cognoſcuntur intelligentiæ & animæ cognitionis proprium eſſe dicit. Mentem autem dicimus, non certè opificem, ſed quæ poſt eam, & ab ea ſunt, intelligentes ſubſtantias, quæ interdum eſſe poſsint. Eiuſmodi mens igitur, vt Græci quoque autores conceſſerint, non ſimul Deum, verbi gratiâ, & Angelum & animum, & Mundum, & tempus, & æuum, & reliquarum rerum vnamquanque concipere poteſt: ſed in vnamquanque ſigillatim incumbit, à notione in notionem commigrans, etſi ſine tempore & ſine interuallo attingit vnumquodque quod cadit ſub intelligentiam. Opificis enim & effectricis mentis propria eſt conferta ſimul, & partibus expers rerum omnium intellectio. Mens igitur aliud quidpiam primùm intelligit, aliud ſecundùm, & aliud tertiúm. Quare ſi hoc ſolo, quia quiduis priùs habet & poſteriùs, abſolutè in eodem eſt & tempus, certè intelligentes eſſentiæ, & ab omni corporum concretione liberæ, ſubiectæ erunt tempori, & in iiſdem conſtabit tempus. Atque adeò quæ modis omnibus ſeiuncta ſunt à corporibus, & omni corporeo motu ſunt libera, ſub tempus & ipſa referentur, vt corporum naturam obtineant. Nam tempus in motu conſiſtit, nec ſine motu conſtare poteſt. Et vt neceſſariis rationibus probauit Ariſtoteles, & vt apud omnes eſt in confeſſo: motus autem omnino eſt in corpore. Quod igitur modis omnibus ſeiunctum eſt à corpore, tum penes conſiſtentiam, tum penes affectionem ſeu relationem id à tempore ſeiunctum eſſe oportet. Porrò, mentem omnem penes conſiſtentiam à corporibus ſegregatam eſſe in confeſſo eſt, cùm ſubſtantiam habeat, quæ à quouis corpore ſegregari, & ſeparari poteſt. At verò & penes habitudinem ab iiſdem eſt « ſegregata. Nam egregiè Ariſtoteles ſcripſit in libris de Anima: Quam corporis « partem, aut quomodo mens continebit, vel cogitatione fingere haud facile eſt. Cùm igitur mens omnis ſit ſupra tempus, nonnullæ autem aut certè omnes tranſlatitiam intellectionem habeant, vt quæ aliud quidpiam priùs intelligant, & aliud poſteriùs, certè efficitur, vt non quicquid quomodo priùs habet, & poſteriùs, protinus id ſit temporis ſignificans. Prętereà, etſi ſecundùm Platonis ſententiam, vnà cum cœlo factum eſt tempus, vt ſimul nata, ſimul etiam diſſoluantur, ſi vlla horum vnquam futura eſt diſſolutio, perſpicuum eſt, quòd ſi quis

mente

mente & cogitatione concipiat non esse Mundum,neque tempus erit. Contingit autem,atque adeò necesse est,vt etiamsi non sit Mundus,sint tamen substantiæ intelligentes: neque enim in habitudine ad corpora suam habent consistentiam, vt sublatis cogitatione corporibus, intelligens quoque tollatur substantia. Nam etsi quispiam simul omnia consistere concesserit,hoc est intelligentes naturas simul & corpora, nullo modo absurdum erit (vt alibi de Proclo audiuimus) quæ simul sunt, cogitatione separare, vt peruideamus quid vnicuique earum rerum, quæ sunt simul, à natura sua insit,& quid à coniunctione atque habitudine quam habet ad alium. Cogitatione igitur Mundus tollatur de natura rerum, maneant autem incorporeæ & intelligentes naturæ, cuiusmodi est noster animus. Mundo igitur non constante nihilominus mens transitiuam intellectionem ipsa per se habebit: hæc est enim eius natura, vt aliud priùs, & aliud posteriùs concipiat.Nam si à tẽpore aut à corpore mens omnis habet,vt transitu concipiat,à corporibus autem mentis substantia separari potest, continget profectò,vt mens cùm ipsa per se erit,sine transitione & sine partibus confertim simul omnia cernat.Nam si vt res cernat & contempletur cum transitu, habet à relatione & habitudine ad corpus,certè ipsius per se sine transitione est actio secundùm naturam.Quare etiam ad hunc modum interdum aget,nisi frustra hãc habeat essentialem facultatem.Ad hunc modum autem si agat, & simul omnia quæ sunt,concipiat,fiet,vt hac ratione à diuina & efficiente mente non differat. Quod dictu est obtusum.Quare si ipsi cõfitentur transitiuam esse actionẽ mentis essentialẽ,& ideo in notione priùs esse & posteriùs,sublata autem cogitatione corporum naturâ,tempus quidem vnà tolli est necesse,mentem verò non item, profectò cogitatione sublato tempore priùs & posteriùs esse possunt. Quare si quicquid quoquomodo priùs dicitur aut posteriùs, vim habet temporis significandi,fiet profectò, vt cùm tempus non erit, sit tempus, quantum in Procli sitũ est hypothesibus.Si hoc igitur & absurdum est,& eiusmodi, quod fieri non possit,non certè vbi est priùs & posteriùs,ibi protinus tempus esse est necesse. Nam hoc modo fieret,vt intelligentes omnes substantiæ tempori subiicerentur,vt docuimus.Neque verò intelligentes tantùm substantias,sed ipsum etiam temporis autorem & opificem Deum tempori subiiciemus, si hac hypothesi niti velimus.Hoc enim modo res excutiatur. Globi cœlorum alius alio temporis interuallo,cursus suos & orbes conficiunt.Eius enim globi,qui Aplanes dicitur,conuersio est concitatissima, vt quæ ab eodem puncto intra viginti quatuor horas ad idem circumducitur: Luna autem mense suum absoluit circulum: Sol verò & qui pari cum eo celeritate progrediuntur,Veneris cursus, & eius,cui Mercurii nomen tribuunt, anni spatio suos orbes conficiunt:qui autem Martis esse dicitur,duos propemodum infinmit annos,Iouis verò duodecim: Saturni denique stella non ante triginta annos conuersionem suam absoluit. Atque huius nimirum ab eodem puncto ad idem punctum differentis conuersionis cœlestium orbium autor & causa est ille rerum omnium effector & parens, qui nullo interiecto tempore Mundum in naturam produxit, vt & Plato asserit, & assentitur Proclus. Ponatur igitur omnes planetas simul in eodem puncto fuisse, vt in

Arietis, aut alius cuiusuis signi principio. Neque enim hoc tale est, quod fieri nequeat, sed quod euenire posit, atque adeò necessarium, aut iam aliquando factum fuisse, aut certè aliquando futurum. Hinc igitur est perspicuum, globum, qui dicitur Aplanes, omnium primum ad idem punctum reuocatum iri, secundo loco Lunam, tertio Solem, & qui eum celeritate consequuntur, quarto ab his loco stellam Martis, quinto Iouis, postremo denique Saturni. Neq; verò ad hanc demonstrationem quicquam retulerit, si non in eodem loco omnes esse posuerimus, sed alius alibi, vt sors tulerit, fuerit collocatus. Eadem enim quadrabit ratio in cuiusque ad suum punctum reditione: sed perspicuitatis gratiâ omnes ab eodem puncto circuitum eundem incipere posuimus. Quod & factum esse aliquando, & futurum esse est necesse: & maximè secundùm eos, qui Mundum sempiternum esse constituunt. Etenim nunc quoq; nostris temporibus ducentesimoquadragesimoquinto anno Diocletiani in eodem Tauri signo septem errantes stellæ fuerunt, etsi non in eadem parte omnes. Quare vt omnes in eodem sint puncto, euenire potest. Vtrum igitur qui hęc in ordinem digessit, & fabricatus est Deus, vniuscuiusque conuersionis ad idem punctum reuocationem nouit, an non? Quòd si non nouit, ordinem ille ignorabit, cuius ipse est autor. " Quanquam in Timæo dicitur, quòd vbi moueri & viuere sempiternorum deo-" rum factum à se simulachrum intellexit Pater, qui procreauit, opere delectatus " est. Atque hac ductus lætitia, adhuc magis exemplo simile reddere, atque perpo-" lire cogitauit. Quòd si moueri intellexit, & ob id necessariò præterea intellexit quando vnaquęque conuersio ad idem restitueretur, perspicuum est, quòd priùs cognouit orbem stellarum fixarum ad punctum idem esse reuocatum, deinde Lunam, tum Solem, ab hoc Iouem, & reliquos deinceps suo quemque ordine. Quòd si alium priorem eidem puncto restitutum esse cognouit, alium autem posteriorem, est certè in ipsius quoque opificis intellectionibus priùs & posteriùs, atque *Erat*, & *Erit*, in quo autem priùs est, & posteriùs, & *Erat*, & *Erit*, in eodem est etiam Tempus, vt Proclo videtur, erit certè in temporis opifice Deo etiam tempus. Neque verò in cognitionibus tantùm conuersionum cœlestium priùs habebit opifex & posteriùs, sed etiam in voluntatibus, quæ in ipsis conuersionibus cernuntur. Adparet enim, quòd quando Aplanes globus cursum suum perfecit, tum Deus ipsum conuersum esse volebat, reliquos autem nondum planè conuersos volebat. Nam si reliquos conuersiones suas absoluisse volebat, cur non absoluerant? Non igitur, quod Proclo videtur, simul cum Dei voluntate res erunt in natura. Præterea si semper Vniuersum in ordinem adducit Deus, semper certè ipsum vult ordine componi: vult igitur ipsum in eum modum, quem diximus, motu cieri. Hoc enim illi ordo est & compositio. Quòd si hoc ita se habet, vult certè ad idem signum reditionem in conuersionibus globorum cœlestium hoc ordine fieri, vt hic sit primus, ille secundus, ille tertius, atque ita deinceps eo ordine, quem diximus. Quare cùm primus globus ad idem punctum erat reuocatus, secundum Mundum reuocatum esse volebat, & quando secundus, nondum tertium, & in reliquis eodem modo. Quòd si non simul omnes ad suum punctum reuocatos esse volebat, quando nimirum vnusquisque est restitutus

tutus,tum ipſum reſtitutum volebat.Quare ſi hoc fit, & alius orbis primo loco conuerſionem abſoluit,alius ſecundo,alius tertio & quarto,& deinceps pro cuiuſque ordine, in Dei certè voluntatibus, quemadmodum & in conceptionibus, ſunt priùs & poſteriùs,& *Erat*,& *Erit*,& ob id etiam tempus,quantum certè in horum ſyllogiſmorum vi(quam ſcilicet vitare nemo poteſt)eſt poſitum:ídque etiamſi ſempiternum Mundum quis eſſe conſtituerit. Præterea, vtrum Deus, quod futurum eſt nouit,an non?Nam ſi nòn nouit, quod futurum eſt, nihil cognoſcet quod ſit præſens.Si enim præſens ita cognoſcat,vt futurum ignoret, vel hominibus erit deterior: nam permulti homines futura nouerunt.Quare efficitur,vt ſi in ſingulis rebus nouerit præſentia, futura quoque intelligat, ne hominibus ſit inferior, fortaſſe etiam animantibus ipſis rationis expertibus. Nam in his ſunt multæ,quæ futuri ſenſum accipiunt,vt grues hyemem fugientes imminentem, & aliæ quamplurimæ. Sin verò neque præſens, neque futurum nouit, omnia in totum ignorabit: neque enim cognoſcet, quod præteritum eſt: hoc enim priùs fuit præſens. Qui autem id quod eſt, eſſe neſcit, multò certè magis quod non ampliùs eſt,an fuerit vnquam,ignorabit.Quare neque ſciet, an Mundus ſit, quem ipſe procreauit: inſtans enim fuit Mundus. Et omnia in inſtanti temporis puncto, quod *Nunc*, dicitur,ſuam habent naturam & conſiſtentiam. Et Mundus,qui vnà cum temporis ſegmentis diuiditur,temporis partes admittit, *Erat*, *Eſt*, & *Erit*, vt iam ſæpe de Proclo audiuimus in illis ipſius verbis, quæ citauimus ex apologia,quam ille proTimęo ſcripſit aduerſus Ariſtotelem.Cùm igitur Mundus & præſens habeat, & præteritum, & futurum, futurum autem ignoret Deus, neque omnino an ſit, qui ab ipſo conditus eſt Mundus, intelliget. Nam ſi vt futurum non nouit, neque an præſens fuerit, intelliget. Sed quid alia commemoro?Nec ſeipſum quidem an omnino ſit,cognoſcet,ſiquidem pręſens ignorat:eſt enim & ipſe. Quapropter nihil diſtabit à natura. Nam illa cùm corpora faciat,& ſeipſam, & illa quæ fiunt, ignorat. Fortaſſe etiam multò deterior erit, quàm natura: ſiquidem in ratione præditis animantibus natura ducem habet mentem prælucentem,quæ & ſeipſam, & illam naturam, & omnia cognoſcit.Vbi autem illud collocabimus?

Vaſta maris ſpatia & numerum ſuperantis arenæ
Dinumero menſus,mutique exaudio voces.

Vbi autem illud:

--Dij omnia norunt.

Et idem illud:

Omnia plena Deo:paßim Deus explicat aures:
Saxa ſubit,terraq́ latentia viſcera tentat:
Et meditata hominis ſub pectore tecta recludit.

Quòd ſi futurum nouit,nihil autem quod Vniuerſum ſit, eſt ita futurum, vt nondum ſit niſi ſecundùm perpetuam procreationem, vt Platoni videtur: res autem ſingulæ, quæ nondum ſunt, ſunt illæ quidem futuræ. res igitur ſingulas quoque nouit Deus, potiùs quàm vt eas ignoret: ſicuti de Deo impiè ſentientes apud Græcos nonnulli theomachi veriùs, quàm theologi, Deum dixerunt res

singulas ignorare: tantùm non Comicum illud dicentes: Diísne otii tantùm superesse putas, illis vt liceat bona cuíque & mala quotidie distribuere? Porrò, qui Deum res singulas ignorare dicit, vnà prouidentiam eius in illis administrãdis omnino tollit: neque enim iis prouidebit, quæ ab eo ignorantur, vt rationis expers natura. Cæterùm, ex verbis, quæ tum ex Proclo, tum ex Plotino proposuimus, cognitum habemus, & futurum nouisse, & ad res vsque maximè indiuiduas, Dei Prouidentiam cognitionémque pertinere. Quare si futurum nouit Deus, id nouit certè, quod nondum præstò fuit, sed adhuc futurum est, vt sit. Verùm vbi primùm futurum factum est præsens, nouit omnino iam instans esse, nec ampliùs esse futurum. Et si interierit (principium enim habet, quo esse cœperit) iterum nouit non ampliùs esse in natura. Illa igitur cognitio, qua nouit futurum esse, & nondum constare, prior est ea, qua nouit iam esse præsens. Et hæc rursus prior erit ea, qua nouit interiisse iam, nec ampliùs esse in rebus. Erit igitur in Dei quoque cognitionibus prius & posterius, & ideo etiam tempus. Quare si vbi prius est & posterius, quomodocunque vocatur, ibi omnino tempus esse volunt, prorsus est necesse, nec naturas intelligentes, nec ipsum temporis effectorem à temporis conditione liberari. & prætereà fiet, vt tum sit tempus, cùm non est tempus. Quòd si hæc ad hunc modum absurda sunt, & quæ fieri non possunt, non certè vbicunque est prius & posterius, ibi necessariò erit tempus. Si igitur secundum ea, quæ theologicè, & verè disputata sunt, Dei cognitionem & voluntatem vniuersaliter in vno impartibili consistere intelligendum est, & vnius esse boni, aut potiùs ipsum esse verum bonum, útque in multitudinem aut in dimensionem non diffunditur vnà cum rebus, quæ in naturam producuntur, & intelliguntur, neque apud Deum quicquam esse futurum, est intelligendum, sed ea etiam, quæ nondũ sunt cogitatione anticipata, vt si iam essent, sic præstò esse semper, vt probè in theologicis disputationibus commentatus est Plotinus. Aut si idcirco quia hæc tempore discreta sunt, & interdum sit, interdũ verò non sit tempus, ob id volunt vt nos ipsum quoque Deum tempori subiiciamus: quia ipse hoc interdum esse velit, & interdum non esse: sic habento, quòd, quantumuis sempiternus Mundus esse concedatur, suis ipsi tamen capientur aliis, non in hæc tantùm absurda, sed in multò plura incidentes, vt nos docuimus.

V. CVM sit igitur suprà demonstratum propter Dei voluntatis vniformem & impartibilem rationem, esse necesse, vt id sit, quod in ordinem est adductum, non omnino tamen esse necesse, quia in Deo voluntate ipsum semper inest, ideo in ipsis rebus inesse, & semper, & cùm verum sit, velle Deum, vt nunquam sit, quod immoderatè & perturbatè moueatur: ex hisce quidem conficitur, neque ante adductum in ordinem id fuisse, quod ordine caret, & ob id esse verum, post inordinatum non id initium sumpsisse, quod ordine cõpositum est & digestum. Neque enim omnino ipsum erat inordinatum, neq; post ordinatum id futurum est, quod perturbatum est, & ordine confusum. Et ideo quod ordine compositum est, ante inordinatum finem non habebit. Quandoquidem nec post ordinatum id erit, quod erat incompositum: non tamen quia neq; post inordinatum habuit principium, neque finem habebit ante idem inordinatum id quod ordine com-

ne compositum est, efficitur propterea, neque principium habuisse, neque finem esse habiturum. Nam quod adductum est in ordinem,& quod est inconditum,alterna esse esset necesse: vt si vnum non sit,alterum sit necessariò,probè conclusisset Proclus, si inordinatum neque præcesisit quod est ordine compositum, neque ipsum est insequutum (cùm nunquam sit quod est inconditum) ipsum ordinatum semper esse futurum sine principio,& sine fine cõstans.Quare cùm omnino non fiat, vt id sit, quod est inconditum & inordinatum (quoniam neque casu neque vlla alia causa consistit. Deus enim cùm quamque rem in naturam producit,cum decenti ordine eam producit)post inordinatum principium non habebit ordine digestum; quoniam nec fuit omninò inordinatum: fit nihilominus tamen,vt principium obtineat.neq; verò quod ordine est compositum,ante inordinatum finem habebit.Neque enim vllo modo erit vnquam ipsum inordinatum. Finem tamen vt habeat contingit. Inordinatum autem & incompositum id dico, quod composito & ordinato est contrarium, hoc est, perperam ordinatum. Vt informem intelligimus deformem: sic inordinatum accipimus,id quod est naturali ordine destitutum:perinde ac si quis Vniuersi ordinationem confusam atq; conturbatam cogitatione concipiat.Ad hunc igitur modum inordinatum accipio, non autem secundùm omnifariam priuationem eius, quod ordine digestum est: vt cùm inanimatum dicimus, quod est anima priuatum:& illiteratum,literis destitutum.Nam quod ad hunc modum dicitur inordinatum,nihil vetat esse ex vtraque parte ordinati. Hoc autem est id, quod non est: cùm naturâ caducum sit id,quod adductum est in ordinem.Quidpiam autem non esse, non omnino est malum, vt in sexto argumento docuimus. Est igitur optabilius omnino non esse, quàm esse malè: & in rebus singulis interdum vnamquanque non esse non malum.

HAEC igitur in decimumsextum Argumentum abunde satis nobis disputata sint:in iis autem,quę in hoc eodem argumento sequuntur,perbellè conficit Philosophus,volũtatem Dei,tum eam, qua vult nõ esse inordinatum,tum eam, qua vult esse ordinatum,vnam esse & eandem,non duas.accepto tamen,vt in hypothesi & conditione,duas illas esse,eam,qua inordinatum non esse vult,aut voluntatem esse absolutiorem, & Deo longè conuenientiorem: eam verò, qua id esse vult, quod in ordinem adductum est, remissam esse & imperfectiorem, & minùs illa superiore Deo conuenientem: idque confirmare conatur, eò quòd ait,voluntatem vt non sit,inordinatum de eo esse,vt sit bonum.Nam cùm Deus constituisset,inquit Plato,Mundum bonis omnibus explere,mali nihil admiscere,quoad eius natura pateretur,quicquid erat,quod in cernendi sensum caderet, id sibi adsumpsit,non tranquillum & quietum,sed immoderatè agitatum,& fluctuans:idque ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim iudicabat illo modis omnibus esse præstantius.Dei autem,inquit,voluntas vt id sit,quod in ordinem adductum est, eò pertinet, vt non sit ipsum malum. Est autem tum diuinius, tum Deo conuenientius,velle esse bonum,quàm nõ esse malum. Quare inquit, cùm voluntas vt non sit inordinatum,eò pertineat,vt sit bonum,altera est perfectior, & quæ Deum magis deceat. Verùm in hæc pluribus inquirere, nihil no- VI.

ſtra fortaſſe retulerit,tum,quia hæc diſputatio,vt in hypotheſi tantùm à Proclo eſt agitata:tum,quia iam à nobis confutatum eſt propoſitum argumentum. Nihilominus tamen docebimus, parum probabiliter hæc à Philoſopho dicta eſſe videri. Nam ſi in hypotheſi duas omnino Dei voluntates eſſe conceſſerimus, multò diuinior erit ea,qua vult id eſſe,quod digeſtum eſt in ordinem, quàm ea, qua vult non eſſe inordinatum,propter eam ipſam ratiocinationem,quæ ab ipſo Proclo eſt explicata:rem enim vnamquanque ex ſua ipſius natura potiùs iudicare decet,quàm ex iis,quæ conſequuntur. Si igitur inordinatum & incompoſitum malum,ordinatum autem bonum,voluntas certè vt id ſit,quod in ordinem adductum eſt,ſuapte natura quod bonum eſt,ſuſcipit:conſequitur autem,vt velit non eſſe malum. Nam vt ſimul ſit bonum & malum,fieri non poteſt. Ea verò voluntas,qua vult non eſſe inordinatum, ſuapte natura habet velle non eſſe malum:conſequitur autem, vt velit eſſe bonum. Quare ſi cuiuſque proprium characterem ex ſua ipſius natura ſpectare decet,non autem ex eo quòd conſequitur ſtatim,& ex ſua natura præſtantior & diuinior erit ea,quę vult eſſe ordine digeſtum,quàm altera,hoc eſt, quàm ea, quæ vult non eſſe incompoſitum. At verò etiamſi ex iis,quæ conſequuntur, vnaquæq; voluntas ſpectanda ſit, etiam ſyllogiſmo ad hunc modum confirmabitur,voluntatem vt ſit ordinatum, potiorem eſſe ea,quæ eò pertinet,vt non ſit indigeſtum. Nam voluntas,quæ eò refertur, vt non ſit incompoſitum,ideo inſtituitur,quia ſit bonum, bonum autem hîc aliud nihil dicimus,quàm quòd eſt ordinę compoſitum. Voluntas autem vt ſit ordinatum,ideo ſuſcipitur,quia non ſit malum. Voluntas igitur vt non ſit inordinatum,ex eo eſt,quia non ſit malum. Rurſus ſi vt ſit ordine compoſitum, ideo eſt voluntas, quia non ſit malum, & iterum malum aliud hîc nihil accipit Plato, quàm inordinatum: voluntas autem vt non ſit inordinatum, ideo eſt, quia ſit bonum,certè voluntas vt id ſit quod conditum eſt,& ordine compoſitum, ideo eſt,quia eſt bonum. Quare ad hunc quoque modum probatum eſt, hanc alteram eſſe potiorem. Verumenimuero Plato non ſolùm quia bonum eſt, Deum non eſſe inordinatum voluiſſe dixit,vt adfirmat Proclus, ſed etiam quia non eſt malum. « Cùm enim,inquit,vellet mali nihil admiſcere,bonis autem, quoad natura « pateretur,omnia explere. Quî fit igitur vt Proclus,voluntatem vt non ſit inordinatum cùm dicta ſit ſuſcipi propter vtrunque, ipſe ſeparans, propter alterum tantùm,nempe quia bonum ſit,eſſe dixerit? Quare idem quoque Plato vtranque voluntatem in vnum coniunxit: ſiquidem velle non eſſe inordinatum, non ſolùm inſtituitur, quia bonum ſit, hoc eſt, id quod eſt digeſtum in ordinem, ſed etiam,quia non ſit malum,hoc eſt,quòd ordine eſt indigeſtum. Ex Platonis igitur opinione,non duæ, ſed vnica eſt Dei voluntas differentibus nuncupata nominibus.

PROCLI DIADOCHI

Argumentum decimumſeptimum.

DECIMASEPTIMA ratio eſt, quæ Ariſtotelicorum pronunciatorum nos cõmonefacit,quòd ea multò antè Platonica fuerint, ea ſunt eiuſmodi; Quicquid natum eſt, id etiam interire natum eſt. Et quicquid ortus eſt expers

expers, expers est & interitus. Horum enim alterum in Repub. alterum in Phædro pronuntiat. Verùm quoniam id omne, quod natum est, manet interitum, » inquit Socrates (Musarum personā referens) & quoniam generatum non est, » interitu quoque carere est necesse, ait ille. Posteaquam principium omne ortu carere probauit, ideo interitu id vacare volens, quia non est generatum. Nam cùm hæc vera sint, etiam est necesse, quicquid interit, esse generatum. Nam si non generatum sit, interire non poterit quod obnoxium est interitui: quod fieri non potest. Et præterea, quicquid expers est interitus, non nascitur. Nam si nasceretur, id interiret, quod interire non potest. Cùm hæc igitur consequantur necessariò, si Vniuersum expers est interitus, vt ex iis, quæ proposuimus, est perspicuum. Nam immortalium, inquit, ipse est opifex, quod autem immortale est, occasum non agnoscit, nec interitum, vt in Phædone dicitur. Haud enim tenere » quicquam aliud expers esset interitus, si quod immortale est, nō esset eiusmodi, » inquit Cebes, & consensit Socrates. Quare si quicquid ab illo opifice factum est, » occidere non potest (nam quod ab illo factum est, immortale est: hoc autem nequit interire) ortus quoque expers ipsum esse est necesse, per ea certè, quæ duobus præcedentibus enuntiatis docuimus esse consequentia: quorum vnum est, quicquid natum est, interire: alterum, quod natum non est, non occidere. Quare non tantùm secundùm Aristotelem, sed secundùm Platonem quoque necessariò confirmatur hisce duobus propositis Mundum nec natum esse, nec interiturum. Nam quoniam quod inordinatum est, non est natum, quod autem in ordinem est adductum, non interit, erit inordinatum ordinato præstantius. Quemadmodum enim quod non nascitur ad id est adfectum, quod nascitur, sic quod non interit, adfectum est ad id quod interitus est particeps. Quare & permutata ratione: vt id quod non generatur se habet ad id quod non óccidit, sic quod gignitur se habet ad id quod est interitui obnoxium. Et vt quod gignitur, adfectum est ad id quod interit, ita procreatio adfecta est ad interitum. Vnde efficitur vt si procreatio est præstantior interitu, id etiam quod gignitur, per se eo quod óccidit: & quod non gignitur eo quod non interit, sit præstantius. Quapropter si quod inordinatum est, ortu caret, & particeps est interitus: quod autem digestum est in ordinem, exors est occasus, & particeps procreationis erit quod inordinatum est ordinato præstantius. Et qui ex inordinato ordinatum faciet, ex meliore faciet deterius. Nempe ex eo quod non gignitur, & est particeps interitus, id efficiens quod deinceps est generatum, & expers interitus. Non igitur vnum eiusmodi erit, vt non nascatur & subeat occasum, alterum autem nascatur, & nesciat interitum, aut contrá. At verò neque malus est opifex. Quare non obnoxium interitui, quod digestum est in ordinem. Atque si ex inordinato fit quod ordine est compositum, non exors interitus est inordinatum. Non enim est si ordinatum constet: aut vtrunque ortui & interitui subiectum est. Verùm seu nascatur inordinatum procreatum erit ex ordinato, seu corrumpatur quod ordinatum est, qui ordine compositum interimit, aut non probè & concinnè digesit, & ita fiet vt non sit probus, aut id perimit quod concinnè digestum, atque colligatum est, atque ita ĕrit improbus. Verùm hæc eiusmodi sint

omnia quæ fieri non possunt. Non igitur ordinato antecessit inordinatum. Quare procreationis expers est quod adductum est in ordinem, & eodem modo exors interitus.

Capita solutionis decimiseptimi Argumenti.

I. *Quòd propositum decimumseptimum argumentum, idem est cum sexto. Et quídnam inter hoc intersit & illud. Et quænam in vtroque syllogismorum sit ratio.*

II. *Quòd propositum argumentum vnà cum sexto simul reprehensum fuit, & breuis eorum quæ ibi dicta fuerunt repetitio, quòd ei quod secundùm naturam suam expers est interitus, non autem ei quod aduentitiam habet immortalitatẽ, consequens est vt non sit ortũ.*

III. *Quòd ex Platonis verbis quibus natus Mundus esse dicitur, magis oportuit conficere eum non expertem esse occasus, sed interitui esse obnoxium, quàm ex eo quod ipsum non interire dicat colligere non esse natum.*

IIII. *Quòd ipse sibi consentiens est Plato, tum quando ait, quicquid generatum est, interire, tum cùm dicit, Mundum esse natum, & non interiturum: & quòd non quicquid caret interitu, procreationis est expers.*

V. *Galeni testimonium ex libris De demonstratione, quo confirmatur quòd non quicquid caret interitu, prorsus est necesse vt expers sit procreationis. Et quòd Plato huius quoque est opinionis.*

VI. *Quòd in iis quæ sequũtur nec rectè nec Platonis proposito consentanea colligit Proclus.*

DECIMISEPTIMI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

I. HOC quoque argumentum idem est cum sexto. Nam ibi quoque cùm vt Platonicum adsumpsisset: Quicquid natum est, interire: & item ex Platonis opinione Mundum non interire (Nam quod probè colligatũ est, inquit ille & bene se habet, velle dissoluere, haudquaquam est probi) ex his per conuersionem cum oppositione confecit, quòd si omne quod natum est, interit, si quid non interit, id natum non est. Quare si de Platonis sẽtẽtia non interit Mundus, perspicuum est quòd secundùm ipsum ortus non est. Ad hunc igitur modum in sexto, in hoc autem easdem iterum propositiones adsumpsit, tum quod natum est, interire, tum Mundum non interire. Quòd autem id quod non interit ortu careat, non per conuersionem cum oppositione, vt in illo, sed ex alia quadam Platonica enuntiatione confirmauit. Ait enim ille: Quicquid non est generatum non esse capax interitus. Ex hoc igitur, & ex eo quòd quicquid nascitur interit, colligit id quod caducum est, ortu carere non posse, neque quod nõ interit, oriri, vt retrorsum commeet vtraque negatio. Et quemadmodum óccidit id mne quod õortum est, sic ortum sit id omne quod óccidit: & rursus, quemadmodum quod natum non est, interitus est immune, sic id omne quod caret interitu subiectum non sit nascẽdi legibus. Quòd igitur id omne sit ortum quod corrumpitur, ad rem absurdam compulsione collegit ad hunc modum. Si non verum est quicquid obnoxium est interitui, esse natum, sed quisquam sit qui adfirmet, fieri posse vt quidpiam sit caducum quod generatum non sit, quoniam omne id, quod ortum non est, interitus est im-

est immune, fieri certè potest vt quidpiam quod caducum est, expers sit interitus: quod in tertio modo primæ figuræ concluditur. Est enim ratio concludendi eiusmodi: Aliquid caducum ortus est expers: quicquid ortus est expers, exors est interitus, aliquid igitur caducum exors est interitus. quod est absurdum. Non igitur fieri potest, vt quicquam caducum natum non sit. Quòd si nihil caducum ortu caret, necesse est autem omnia aut nata esse aut non natá, efficitur, vt sit necesse, quicquid est caducum, natum esse. Eodem modo quicquid expers est interitus, ortum non esse conclusit. Nam si quispiam dicat fieri posse, vt quicquam expers interitus, sit natum, quoniam quicquid est natum interit, aliquid certè expers interitus est caducum, quæ res est absurda. Quare si hoc dictu est obtusum, nihil certè interitus expers est natum. Aliôqui enim absurdum est consequutum. Est igitur omne quod non óccidit, procreationis expers. Confirmatum est igitur omne caducum esse natum, & omne quod non óccidit, procreationis esse immune. Quare, inquit, si interitus expers est Mundus secundùm Platonem, perspicuum est certè eum ortum non esse. Cùm igitur decimumseptimum argumentum idem sit cum sexto, & sola ratione concludendi differant, oportuit Philosophum secundum axioma, quod in hoc adhibuit ad confirmationem eius quod habet, id non esse generatum, quod expers est interitus, etiam sexto addidisse, vt hoc nihil indigeret. verùm opinor multitudine argumentorum lectores fallere volens, paucis additamentis voluit nobis eadem argumenta duplicare, vt in aliis quoque docuimus.

CVM igitur hoc cum sexto sit idem, planum est vnà cum illo hoc quoque esse reprehensum. Nihil enim refert vtrum per conuersionem cum oppositione probatum fuerit, quod caret interitu, non esse generatum, an eo modo quem nunc exposuimus. Porrò captionis causa, vt ibi diximus, est ambiguitas, & quòd sine distinctione accipiantur ea, quę à Platone cum distinctione dicta sunt. Nam immortale & expers interitus, bifariàm dicuntur. Aut enim est id quod secundùm suæ naturæ rationem immortalitatem habet: nempe quod rationem non continet mortis & interitus. aut certè quod interitus & dissolutionis est capax, aduentitiam autem immortalitatem extrinsecus adipiscitur. Quemadmodum ipsum bonum est duplex, & alia complura, vt album, vt calidum: vnum quidem quod cum substantia eius in quo est, ita cohæret, vt eam ex parte constituat: quēadmodum calor cum ignis substantia coniunctus est. Alterum autem extrinsecus accedens, vt calor in aqua concalefacta, & in ferro candente. At verò nigrū quoq; aliud est quod alicui rei inhæret per substantiam, vt in ebeno: aliud autem extrinsecus accedit, vt in lana tincta nigrore: & lumen, aliud est secundùm substantiam, vt quod est in sole: aliud autem aduentitium, etiamsi nonnullis semper adsit, vt lumen, quod ex sole diffunditur in globos sole superiores. Illis quidem semper præstò adest, extrinsecus tamen aduenit. vnde si ipsum solem cogitatione subduxerimus, lumen quoque quod in ipsis est, simul abscedet, vt quod in ipsis inest, non ratione naturæ ipsorum, etsi semper adsit. quare quanuis semper collustrati, quia perpetuò adest quod collustret, suę tamen naturæ ratione lucis sunt expertes. Quemadmodum igitur duobus modis vnumquodque horum enuntia-

tur,vno modo vt in natura subiecti per substantiam cohæreat, altero,vt eidem extrinsecus accedat, sic & quod exors est interitus,duobus modis necessariò intelligemus:aut enim id quod per substantiam inest alicui,aut quod eidem est aduentitium,non autem ex naturæ suæ ratione cohæret. Ad hunc enim modum integra elementa indissolubilem naturam nunc retinent, non quod eorum substantia naturæ dissolubilis rationem non habeat:contrà enim, nulla pars est elementi,quæ non actu intereat: sed quod continuatam, ac non interemptam instaurationem recipiant.Nam in locum eius ignis qui interit, alius protinus succedit,& ignis complet integritatem.Et quæ aquæ particula in vaporem expirat, alia aqua nascente suppletur. Atque in terra & aëre res eodem modo se habet. Cùm igitur geminum sit,quod caret interitu,si quis docere posit, per naturam suam immortalem, & occasus immunem Mundum Platonem dixisse, necessariò consequetur, secundùm Platonis ipsius hypotheses, non natum eum esse, etiamsi sexcenties ipsum generatum esse dicat.Sin autem contrà naturâ quidem mortalem eum, & solubilem esse cum confirmatione & demonstratione dicit: " Quoniam enim(inquit)orti estis,haudquaquam estis indissolubiles,neque pror " sus immortales. Quòd autem sit generatus ex eo confecit, quòd cernatur, & tangatur,& sit vndique corporatus,& præterea adscititiam immortalitatem,& instauratitiam ab eo qui semper est,ei dicit accedere, quid quæso amplius est necesse, cur aduentitiæ & non naturali immortalitati procreationis exors naturâ sit consequens?Contrarium enim consequatur oportet. Nam quæ aduentitium

II quidpiam habent,contrariorum secundùm naturæ suæ rationem sunt capacia: sic enim aër & lunæ globus cùm aduentitium lumen obtineant, tenebrarum sunt quoque capaces, atque adeò harum interdum sunt participes. Docuimus autem in fine primi argumenti, quòd etsi orbibus superioribus lumen perpetuò sit præsens,ipsum tamen naturâ sua est caducum:sic animæ nostræ cùm adquisitas & extrinsecus adscitas habeant scientias,inscientiarum quoque sunt partici pes.Meritò igitur Plato dum Mundo aduentitiam immortalitatem accedere dicit,naturâ caducum eum & solubilem esse pronuntiauit.

III. IAM verò quis non videt versutum facinus & à Philosophi moribus alienum esse, vt is qui ex Platonis enuntiatione ponat,quicquid natum est,interire, " & Platonem audiat suis decretis consentientem palàm dicere: Quoniam orti " estis,haudquaquam estis immortales,neque prorsus indissolubiles. hoc quidem prætermissum de industria silentio præterire, simpliciter autem dictionem ita arripere vt Mundum dissolutum iri enuntiet: idque cùm ea non dicta sit sine distinctione:atque hinc conficere neque fuisse natum,cùm ille apertè ortus compotem atque adeò procreatum fuisse dixerit. Quanquam si de duobus alterum reiiciendum & improbandum fuisset, aut ex eo quòd Mundus non sit interiturus,ipsum natum esse,aut ex eo quòd natus sit,exortem esse interitus,multò certè decentius erat & rationi conuenientius, cùm simpliciter & sine vlla determinatione à Platone dictum esset Mundum esse natum, cum determinatione autem manere indissolubilem (nam naturam dissolubilem Mundum habere non dixit, sed aduentitiam æternitatem, naturâ autem magis esse dissolubilem, quia sit ortus)

sit ortus) decentius inquam fuit, improbare ipsum esse indissolubilem, siquidem omnino est verum, quicquid est natum, esse caducum, & Plato palàm dixerit, quoniam natus est Mundus, eum neque indissolubilem esse neque immortalem, quàm ex eo quòd non dissoluetur, natum eum non esse conficere. Nusquam enim Mundum naturæ esse expertis interitus Platonem dixisse comperias, sed contrà: neque eum immortalem esse neque indissolubilem: tamen cùm dissolubilis sit, nunquam dissolutum iri dicit. Verùm inter hoc & illud multùm interest. Nam interitus expers significaret id, quod ne rationem quidem habeat intereundi Non autem interiturum non ideo necessariò non interit, quia rationem interitus non contineat. Fieri enim potest vt quia quæ lassescunt & fatiscunt, perpetuitate quadam instaurantur, id non intereat quod naturâ capax est interitus. Eiusmodi autem Mundi esse immortalitatem satis planè enunciauit Plato. Nam eum naturâ mortalem & caducum adquisititiam atque instauratitiam immortalitatem ab ipso opifice obtinere dixit.

NOS igitur nihil eorum quæ à Platone dicuntur reiiciemus, neque vt quæ nobis, non quæ ipsi videntur, confirmemus, in discordiam & repugnantiam hîc ipsum calumniosè compellemus. Est enim ipse sibi sanequàm consentiens, tum quando quicquid natum est, caducum esse dixit, & ideo quia generatus est, esse quoque caducum, tum quando immortalitatem eius non à natura sed à Dei voluntate pendêre ait: hoc enim ipso quod adscitam habeat immortalitatem, caducum esse ostenditur. Nam si ex natura in dissolutionem ideo quia generatus sit non dilaberetur, nihil extrinsecus immortalitatem instaurare esset opus. Quare etsi in sempiternum permaneat incorruptus, ipsi tamen quia natus est, consequens est vt sensim & pedetentim dissoluatur, id quod Dei consilio & voluntate instauratur & quasi retexitur. Nam si cogitatione eum separauerimus, qui huic instauratitiam immortalitatem dedit, prorsus euanescet, nec ipse se in perpetuitate continere poterit. Quare etiamsi Plato dicat ea esse immortalia & internecionem non subire, quæ ab opifice facta sunt: eo tamen, quem diximus, modo ea immortalia permanere dixit. Quoniam cùm sola voluntate vniuersum contineat qui ipsum procreauit, omnino est necesse, vt cùm constans & immota permaneat, ea quoque immortalia permaneant, nempe aduentitiam ex diuina voluntate, non autem à sua naturâ immortalitatem consequuta. Nos autem ad hunc modum dicere cùm Platonis sententiam interpretamur, necesse habemus, nisi reuera Platonem eò compellere velimus vt pugnantia fuerit eloquutus. Dixit enim: Immortales haudquaquam estis neque prorsus indissolubiles. Quomodo igitur fieri potest vt dicat immortales esse & non immortales, solubiles & non solubiles, nisi hoc quidem naturâ, illud verò Dei voluntate intellexerimus? IIII.

ABVNDE igitur, vt opinor, iis præsertim qui non sint modis omnibus contentiosi sed veritatis autoritatem revereantur, nostra confirmauit oratio, neque quicquid simpliciter manet incorruptum expers esse procreationis, sed id demum quod incorruptum naturâ manet, neq; Platonem naturâ Mundum sine interitu manere arbitrari, & propterea neque ortus esse immunem. Quòd si probatorum autorum & fide dignorum testimoniis oportet orationem con- V.

firmare, Galenum, si horum testis dignus cui fides adhibeatur, esse videtur, virum naturæ rerum peritissimum, & qui non minus Philosophiæ decreta accuratè perquisiuit, quàm artis suæ theoremata ad vnguem excussit, nostræ sententiæ testem laudemus. Id igitur in quarto libro eius operis quod conscripsit De demonstratione, hæc habet ad verbum. Composita est notio Sempiterni. Nam & ortus & interitus expers est. Vtrique autem alterum est consequens. Nimirũ hoc quoque in loco demonstrans vtrumuis horum adsit, alterum protinus esse consequens illo adsumpto demonstrauit cuiusmodi esset propositum. Si igitur probè ab omnibus vt confessum recipitur, & quod procreationis est expers, id esse consequens quod non interit, id expendentes partim intelligemus pronuntiatum esse quòd demonstratione non indigeat, sed primùm & quòd per se fidem mereatur, partim verò ab alio quodam euidente pronuntiato confirmari, quod paulò antè huiusmodi esse dictum est, si quid procreationis rationem nullo modo continet, illud neque interitus rationem subibit. Quòd igitur quicquid ortu caret, protinus caret & interitu, promptè, & sine vlla hæsitatione recipit intelligentia. Et si quod est aliud eorũ quæ ad notionem sunt euidentia, primum & tale pronuntiatum: tamen quicquid est expers interitus: id necessariò ortu carere, indiget quadam determinntione, vt promptè ipsum accipiamus. Quæ est igitur determinatio? certè vt distinguamus quomodo hoc quiddam interitus expers cõcedendum sit, vtrum quod neque omnino rationem interitus accipiat, vt quod absolutè simplex est & perpessionis expers, an verò vt quod instaurati-tiam immortalitatem obtinuit? quemadmodum de diis in Timæo Plato dicere videtur, vbi Deum primùm cum iis instituit disserentem. Est autem hæc eius dictio: Quoniam generati estis, haudquaquam estis immortales, neque prorsus indissolubiles, nunquam tamen dissoluemini, neque mortis vlla fata vos periment, maius est enim ad perpetuitatem vestram vinculum, meum consilium, quàm illa, quibus estis tum cùm gignebamini, colligati. Hoc ipsum autem & in Politico de toto cœlo persequitur. Concipitur enim quidpiam quod etsi natum sit, nunquam tamen sit interiturum, vt Lacedæmoniorum ciuitas, liceat hoc vti exemplo: fiet enim vt ea nunquam intereat, quanquam singulas domos & partem vnamquanque eam naturam vt perimantur habere concedamus. Verùm quia fieri potest vt paulatim fiat instauratio, fieri etiam potest vt Vniuersum simul nunquam dissolutum intereat. Neque verò ciuitatem tantùm ad hunc modum permanere incorruptam possumus cogitatione cõcipere, sed vnicam quoque domum, si quod in ea fatiscit, instaurationem subinde consequatur. Secundùm hanc igitur rationem si quid ortu careat, id omnino exors est interitus: sin verò careat interitu, nõ necessariò procreationis est expers. Apertè igitur vir ille neque ei quod quacunque ratione caret interitu, id dixit esse consequens, quòd non nascitur, sed ei demum quod interitus rationem non habet. Atq; Platonem æternitatem cœlo tribuisse ad hunc modum concessit. Verùm de his hactenus.

VI. IAM verò cùm in iis quæ sequuntur rursus acceperit Plato ex inordinato factum id esse, quod adductum est in ordinem, ipse addit ortu carere inordinatum, cùm Plato neque generatum, neque non generatum esse vsquam dixerit. Deinde

Deinde hinc conficit esse quoque caducum. Nam si ex inordinato factum est ordinatum, constante autem ordinato, non constat inordinatum, caducum certè erit inordinatum. Quare ortu caret simul & caducum est inordinatum. Quòd si inordinatum, inquit, ortus expers est, & capax interitus, quod autem in ordinem adductum est, natum est & non caducum; melius est autem non natum non intereunte, vt ipse probauit: quoniam procreatio potior est interitu: ex meliore igitur, nempe eo quod ortu caret, deterius hoc est, quod nascitur & non interit, opifex ipse confecit. De Platonis igitur hypothesi dictum est, & cùm ea ad hunc modum candidè se habeat, rationi erat conuenientius, vt dictum est, hinc colligere quòd si quicquid capax est interitus, est natum vt ipse docuit: interitus autem capax & caducum est inordinatum secundum Platonis sententiam & inordinatum sanè natum est. Quare si natum est & caducum, deterius erit ordine composito quod natum est & expers interitus. Verùm si nascitur inordinatum, inquit, ex eo nascitur quod est ordinatum. Primùm, hoc non est necesse. Nam sæpe docuimus, non omnino ex eo quod est ea gigni quæ procreantur. Deinde etsi hoc ita se haberet, nunc non inquirimus quid sequatur hanc hypothesin, quæ dicit natum esse inordinatum, sed quid consequens sit ei quod inordinatum interire ex Platonis propositis. Si igitur natum esse consequens est ei quod interit secundùm Platonis decretum, interit autem ex ipsius sententia inordinatum, natum certè erit secundùm ipsum: nusquam enim ipsum ortu carere dixit. Quòd si Proclus inordinatum ortu carere necessariò postulauit, Plato autem ipsum vult euidenter interire (nam quod immoderatè, inquit, & sine ordine mouebatur, ex inordinato adduxit in ordinem) sit sanè vt quidpiam sit ortu carens simul & caducum. Alterum enim Proclus dedit, ortu nempe carere, alterum Plato, nempe interire. Quid igitur vetat & quod in ordinem adductum est, natum esse, non tamen esse interiturum? Aliòqui etsi quod ortu caret eo sit præstantius quod non interit, etiamsi inordinatum non nasci concesserimus: tamen quod expers est interitus, eo quod interit, est præstantius. Quare id quod digestum est in ordinem cùm secundùm Platonem exors sit interitus, præstantius est inordinato quod subit interitum. Vnde efficitur vt quadam ex parte ex meliore, nempe ex eo quod non nascitur, & quadam ex parte ex deteriore, nempe eo quod interit adducti in ordinem facta sit procreatio, neque ex meliore simpliciter factum sit deterius, vt ait Proclus. Prætereà, si esse præstantius est quàm non esse, quoniam procreatio melior est interitu, vt ait ipse, & fieri poterat vt inordinatum non ampliùs esset quanquam caducum & iam peremptum. Quod autem in ordinem adductum est, fieri non potest vt non sit cùm careat interitu. Est igitur simpliciter ordinatum inordinato præstantius. Quare ex deteriore est ordinati procreatio. Verùm inanis opinor & vana tantùm est ambitio huiusmodi rationum impostura. Vtile autem & quod rem ipsam attingat nihil continet. Vnde necesse est nos citiùs ab huiusmodi rationibus referre pedem, & decebat opinor Philosophum ab initio talia non mouisse. Porrò quòd improbus non sit opifex si id perimat quod ordine est compositum, id iam pluribus in sexto confirmauimus. Nam hoc modo praui essent mundani dii, qui res

ſingulas ordine compoſitas, interimunt. Neque verò improborum deorum opifex & procreator probus erit,ſed omnino malus. Cùm igitur probus ſit opifex, probos fecit deos qui ſunt in Mundo: hos probos ſi fecit, proba & ipſi efficiunt, non mala. Quare ſi res ſingulas quæ ordine compoſitæ ſunt, interimunt illi (nihil enim procreare poſſunt, niſi aliud perimant, ſiquidem rei vnius procreatio,alterius eſt interitus)non certè malum omnino, ſed modo quodam etiã in bonis eſt ordinati interitus: quando eas particulas, quæ ad compoſitorum procreationem mutuò acceptæ ſunt,bonum eſt eis reſtituere,ſecundùm Platonis ſententiam, à quibus mutuò accepta fuerunt.

PROCLI DIADOCHI

Argumentum decimumoctauum.

SI ſub iiſdem manere,& eodem ſtatu ſemper habere ſe naturis iis demum conuenit,quæ omnium ſunt diuiniſsimæ,vt ipſe ait in Politico,certè ſi opifex in iis eſt,quæ ſunt diuiniſsima, ei ſolùm conuenit, vt vnus idem & eodem modo ſe habeat.Quòd ſi minus eſt in maximè diuinis,nos certè ipſum neque ſemper eſſe Deum,neque cauſarum præſtantiſsimam eſſe concedamus:at verò de Deo hæc nos adfirmamus, ſicuti ſcriptum eſt in Timæo. ei igitur conuenit vt in iiſdem conſtet & eodem modo ſe habeat.Nam ſi quod non ſemper eſt,id habebit vt in iiſdem conſtet & eodem modo ſe habeat: eiuſmodi erit vt non ſemper ſit, & præſtantiſsima ſi non ſit cauſarum, non erit tale id quod eſt præſtantiſsimum. Quæ cùm abſurda ſint, neceſſe eſt eum, qui cauſæ præſtantiſsimæ locum tenet, quique eſt ſemper, eſſe diuiniſsimum: & diuiniſsimus cùm ſit ſemper,in iiſdem conſtet neceſſe eſt, & eodem modo ſe habeat: ei autem quod vnum & idem ſemper manet, id competit, vt nunquam aliâs aliter ſit adfectum.Hoc enim repugnat ei quod in eodem ſtatu manet, & eodem modo ſe habet. Iam verò ei quod nunquam aliâs aliter adficitur,nunquam conueniet interdum non facere, deinde facere,neque interdum facere,deinde non facere.hoc enim eſt aliâs aliter ſe habere, nempe ita vt modò faciat, deinde non faciat: vel vt non faciat modò, deinde faciat. Quod autem nunquam ita eſt adfectum vt interdum non faciat, deinde faciat: aut interdum faciat, deinde non faciat, id aut ſemper facere, aut ſemper non facere eſt neceſſe.Nam præter hæc non eſt aliud quicquam.Extrema ſunt enim ſemper facere, & ſemper non facere:media autem ſunt, vt quod non facit,poſteà faciat,aut contrà quod facit,poſteà non faciat. At verò vt nunquam faciat qui opifex eſt,quia eſt opifex,fieri nullo modo poteſt.Opifici enim non conuenit ſemper eſſe in otio. Quando enim opifex ſit qui nunquam quicquam faciat?Neceſſe eſt igitur vt faciat,& in opere ſit opifex,idque ipſum fabricetur ſemper: qui autem ſemper fabricatur opifex Mundum, ſemper efficiat oportet. Neceſſe eſt igitur Mundum neque principium quo cœperit effici,habuiſſe, neque finem eſſe habiturum. Nam ſi principium habuit,non ſemper ad Mundi formam adornabatur. Finem autem ſi eſt habiturus, non ſemper adornabitur.Mundum autem ſemper ad formam Mundi adornari oportet,ſiquidem opificem oportet ſemper adornare. quod certè eſt neceſſe, ſi ſemper eodem

modo facit: atque hoc rursus necessarium esse ideo intelligimus, quia in iisdem semper est & eodem modo se habet opifex. Oportet igitur, vt Mundus ita sit Mundus, vt nunquam habuerit principium, neque vnquam finem sit repertu-rus:& vt sit sine procreatione Mundus, & sine interitu, nunquam natus, & permanens incorruptus. Quare necessariò efficitur, vt si semper eodem modo se habet opifex,& manet in eodem statu, Mundus nec nascatur nec óccidat. Quapropter quando Plato illud apertè dicit, necesse est Mundum, secundùm eum, ortu carere & interitu. Itaq; si Deum adesse Mundo, & rursus ab eodem abesse dixit in Politico, & in Timæo abesse quidem priùs, deinde præstò esse (ad hunc » enim modum,inquit,se habebat Vniuersum,vt id par erat se habere,à quo abes- » set Deus) & similiter ambo dixit Plato, & ideo interdum ex inordinato Mundum in ordinem commutari: interdum ex eo, quod ordine digestum est, in id traduci, quod est inordinatum,donec ipsi insederit clauum & gubernacula tenens Deus, non oportuit Atticum ad ea tantùm respicere, quæ scripta sunt in Timæo,quæ absentem, interdum præsentem faciunt ei, à quo aberat: sed etiam ad ea,quæ habentur in Politico,quæ præsentem,interdum absentem faciunt ab illo, qui præstò aderat: & quemadmodum per illa ex inordinato ordinem facit, ita per hæc post ordinem inordinatum inducere debuit.Quare si hæc ambo dicat hęc omnia Deo quidem,vt ante Mundum circa ipsum aspectabilem Deum mutationes,quas,sublata cogitatione,constare,eorum est,quæ fieri non possunt. Neque enim cùm Deus modo eodem se habeat, Mundum dixit aliâs aliter se habere,quasi per se obtineat,vt aliâs aliter sit adfectus, quod rebus conuenit singulis: verùm quia Deus aliâs aliter sit adfectus,Mundum etiam aut inordinatum, aut ordine esse digestum. Cùm illud igitur fieri non posit (Deus enim in eodem est statu & eodem modo se habet) fieri non potest, vt Mundus ordinatè & inordinatè sit adfectus. Atque hoc equidem dixerim verè diuinum Platonicæ sapientię inuentum esse,quod postulat Mundi naturam procreationis expertem simul & immunem interitus, à sempiterna Dei actione venire, cùm ordinis Mundi & inordinati causam, in Dei præsentia & absentia collocarit. Nam si ex sola causa est ordinis & inordinati in parte ipsius Mundi, ipsa autem esse non potest, quia fieri nequit,vt Deus aliâs aliter sit adfectus, ordinem certè simul & ordinis confusionem in Mundo conspicere, eorum est, quæ fieri non possunt. Quare si Deus eodem modo perpetuò se habet, non interdum Mundo præsens est,& interdum abest. Nisi autem interdum adsit,& absit interdum, non fiet,vt Mundus aliquando ordine sit compositus,& aliquando incompositus.Dei enim præsentia ordinem Mundo conferebat, absentia autem inordinatum. Quòd si non interdum quidem ordine digestus est,interdum autem inordinatus erat,aut erit,efficitur,vt sit necesse, semper esse ordine compositum. Quòd si semper est in ordine,ex infinito tempore in ordine stetit, & in immensum atque infinitum tempus ordinem eum conseruabit. Id quod ipse vel surdis notum faciens, clara voce pronuntiauit,exemplum in omni æuo & ęternitate constare:Mundum autem per omne tempus ad finem vsq; fuisse,constare, & esse futurum. Quemadmodum igitur in infinitũ est futurus, sic & stetit ab infinito. Neq; oportuit,cùm

vtranq; in partem ex æquo Plato Mundum ipſum protendat, vt ex æterno fuerit,& ſit perpetuò futurus,non inquam oportuit Platonis amicos,partem vnam facere ex tempore finito,alteram autem in infinitum producere, ſed eos decuit Platonis aſſentiri ſuffragio. Nam ad hunc modum imitationem æternitatis æui habiturus eſt Mundus, ſi non ex dimidia parte obtineat in tempore perpetuitatem,ſed in vtranque partem.Hoc autem propoſitum erat ipſi ęuo tempus ſimile efficere,& æterno animanti Mundum conſtantem per omne tempus.horum igitur ſumma eſt & caput, nullum in diſputatione de Mundo adeò pium eſſe,vt Platonem,& eum,quicunque dixerit,Mundum eſſe inordinatũ, ſi Deus eodem modo non ſe habeat, vt ſemper vnus ſit & idem, hoc eſt, ſi Deus non ſit intelligentiâ comprehenſus Deus.Nam diis,qui intelligentiâ comprehenduntur,conuenit, vt ſub iiſdem & eodem modo ſe habeant. Aut igitur dii ſunt ambo,tum Mundus,tum opifex,aut neuter.Nam non Deum efficiet illum quidem ordinis confuſio,hunc autem id,quod eſt non eodem modo ſe habere.Illius autem inordinatio,eſt ex eo, quòd hic non eodem modo ſe habet. Neque enim ille alia ratione inordinatus eſſe poteſt, quàm ſi non eodem modo hic aut adſit aut abſit. Illum enim huic modis omnibus ſimilem eſſe oportet. Quare ſi cogitatione Deus interdum præſtò adeſt, & abeſt, Mundus quoque cogitatione interdum inordinatus eſt,& ordine compoſitus,communem enim ipſis eſſe cogitationem, eſt neceſſe, vt ſi hic præſens eſt, in ordinem illum eſſe adductum : ſin abeſt,non ordine digeſtum eſſe neceſſariò conſequatur.Quòd ſi reuera hic ordine compoſitus eſt interdum,& interdum inordinatus, multò priùs reuera ille præſens eſt interdum,& interdum abeſt. Nam aliôqui ſi Mundus ordine digeſtus eſſet, aut inordinatus,non eſſet conſequens, illum Deum aut abeſſe, aut eſſe præſtò, ſed contrá. Quapropter illud prius erit verum,cui hoc conſequens eſſe neceſſe fuit. Quare ſi hoc fieri non poteſt, propterea quod Deus eodem modo ſe habet, & manet in iiſdem, fieri etiam non poteſt,vt Mundus inordinatus ſit interdum,& ordine compoſitus.Nam quod conſequens eſt ei,quod fieri non poteſt,neceſſariò eſt eiuſmodi,vt ipſum quoq; fieri non poſsit. ſiquidem ei quod fieri poteſt,id conſequens eſt, quod ipſum fieri poteſt : vt tradunt leges Dialecticorum. Vnde intelligitur vt ſi propoſitum fuerit tale, vt fieri poſsit, Mundum nempe interdũ eſſe inordinatum,& interdum ordine compoſitum,fieri quoq; poterit, vt Deus à Mundo abſit interdum,& interdum ſit præſens. Quòd ſi fieri hoc non poteſt, illud quoque fieri nequit. Semper igitur & Mundus ordine compoſitus eſt, & ille Mundo præſens adeſt,neque ex inordinato adductus eſt in ordinem. Neque enim ille cùm antè præſens non eſſet,poſteà præſtò fuit:neque ex inordinato inordinatus erit.Non enim ille antè præſens,poſteà non præſens erit,atque,ſecundùm Platonem,par & æqualis eſt neceſsitas,cur Mundus ortus ſit,& caducus:& vt Mũdi fabricator non earum ſit rerum,quę maximè ſunt diuinæ:quibus competit in iiſdem eſſe,& eodem modo ſe habere. Si igitur nos erga illum Mundi opificem piè adfectos eſſe decet, erga hunc quoque Mundum oportet bene eſſe adfectos;aut in hoc nos ſcelerate gerentes, in illum multò priùs peccauerimus: neque verò in illum ſolùm, ſed etiam in id omne, quod diuinum eſt. Nam ſi his

omnibus

omnibus commune est, in iisdem esse, & eodem modo se habere, aut oportet in omnibus hoc ita retinere, vt in opifice quoque eodem modo retineamus: aut si in vno id improbemus, in reliquis quoque credi non oportet.

Capita solutionis decimioctaui Argumenti.

Quòd hic Proclus incidit in vitium tautologiæ, cùm iisdem argumentis hic vtatur, quibus in quarto, nono, & decimoquinto est vsus. I.

Breuis commemoratio eorum, quæ in quarto & decimosexto argumento dicta fuerunt, nullum motum, & nullam immutationem in Deo intelligi, ex eo, quòd opificia interdum sint, & interdum non sint. II.

Breuis item repetitio eorum, quæ in decimoquinto argumento explicata fuerunt, Mundum secundùm Platonem ad sempiternum eius exemplum retinere similitudinem, etiamsi ab aliquo principio tempus esse cœperit. Et Platonem cùm Mundum & tempus naturæ suæ ratione caduca esse velit, accommodatissime ad Physicen principium eis dedisse, quo esse cœperint. III.

Quòd eidem Platoni contradixit, vbi ait: Neque enim, cùm Deus eodem modo se habeat, Mundum dixit Plato aliàs aliter se habere. IIII.

Quòd sibi repugnantia proposuit Proclus. V.

Quòd etiam naturæ rerum repugnat huiusmodi propositum. VI.

Quòd ex iis quæ tum Plato, tum Proclus concesserunt, fieri non potest, vt Mundus sit Deus: quódque Poëtarum consuetudinem secutus Plato, Mundum Deum nominauit. VII.

Quòd in multis locis Poëtarum fabulas suæ doctrinæ commiscuit: quanquam vt rationibus, non vt fabulis ob causas quasuis iisdem sit vsus. VIII.

Quòd παρὰ δ' ἀεὶ θεῖν, Θεὸν, *hoc est à perpetuo cursu Deum cùm dixit Plato nominari, verbo ambiguo eodem cum diis, qui intelligentiâ comprehenduntur, non autem eadem ratione Deum ipsum nuncupat. Vnde colligitur, Plat. velle Mundum penes tempus, ortum esse, non solùm penes causam: deos autem qui intelligentiâ comprehenduntur, penes tempus tantùm, non autem penes causam expertes esse procreationis.* IX.

Quòd Plato Poëtarum fabulas de diis, maximorum malorum causas adferre arbitratus, non vltrò, sed Atheniensium metu ad eas deferebatur. Quo modo & Mundum Deum esse dicebat non quòd ortus expertem esse existimaret. X.

Quòd non quemadmodum in Politico ex conditione in id quod ordine caret, id commutat, quod ordine est compositum: sic in Timæo ex conditione ex inordinato ordinatum procreatum esse dixit. Et quomodo intelligenda sit ex inordinato in ordinem compositi procreatio. Et quòd hanc Platonis opinionem nonnulli referunt ad Empedoclem. XI.

Epilogus vniuersi operis, & eorum, quæ sequuntur propositio. XII.

DECIMIOCTAVI ARGVMENTI *PROCLI SOLVTIO.*

RVRSVS easdem versat argutias, neq; quicquam nouum proferre, neque ab his, quæ iam exposuit, abstinere potest: vt canes solent voraces, cùm os aliquod apprehenderint: vel homines, qui his voluptatibus semel irretiti fuerint, quibus affectus percelli vehementius consueuerunt. Cùm enim semper iisdem immoderatè se dedant, & I.

quasi se ingurgitent:in iisdem tamen, perinde vt in nouis voluptatibus appetitum semper retinent vigentem. Nam nihil propemodum in iis, quæ hîc dicta sunt,quisquam inuenerit,quod non expositum sit in precedentibus.Quod enim statum in principio habet, oportere opificem semper eundem esse, & eodem modo se habere, & ob id non interdum facere, & interdum non facere, sed aut semper facere,aut nunquam:& quoniam fieri non potest,vt nunquam faciat,si opifex sit,vt faciat semper esse necesse:& ideo id,quod fit, sempiternum quoque esse oportere: & prætereà illud, nisi Mundus ita adfectus sit, vt nunquam ortus sit nec interiturus, opificem semper eodem modo se habere non posse: & proptereà esse necesse, vt erga opificem & erga Mundum eodem modo pietatem colamus. Vt illum in diuinissimis esse dicamus,& semper esse eundem,& eodem modo se habere, hunc autem ortu carere & interitu. Aut si erga Mundum sumus impii, quia ipsum ortum esse & interitum manere proponamus, in huius quoque effectorem nos impietate polluamus: vt qui eum neque in rebus esse maximè diuinis,neque semper eodem modo se habere, ex orationis consecutione dicere cogamur. Hæc inquam omnia, in quarto quoque argumento iisdem propemodum verbis exposita fuerunt. Nam immotum esse opificem quod ibi dictum est, idem est cum eo, quod est, semper eundem esse, & eodem modo se habere,quod hoc in loco dictum est:rursus, imaginem similem esse ei, ad quod facta est, hoc est, Mundum similem esse exemplo. Et cùm exemplum sit æternum, non alia ratione fieri posse, vt eidem similis sit Mundus, nisi vtraque ex parte temporis infinitatem contineat, apertè in decimoquinto dictum est. Prætereà,necesse esse,vt ambo sint dii,hoc est,opifex & Mundus,aut neuter:& ambo dii si sint, ex æquo expertes esse mutationis: quia totum genus deorum eius sit naturæ & conditionis.Mundum autem non esse eiusmodi, vt mutationem non recipiat, si ex inordinato factus, rursúsque in ipsum inordinatum commutabitur, in nono comprehensum est: adeò vt in hac ratione nullum sit propemodum argumentum nouum. Quid igitur opus eadem nos de iisdem dicere,qui in præcedentibus,quantum fieri potest,singulis respondimus? Cùm igitur breuem tantùm commemorationem eorum,quę dicta sunt,hoc in loco fecerimus, nos,auspice Deo,orationi finem imponamus.

II. SI semper, inquit, in iisdem manet, & eodem modo se habet opifex, nunquam aliâs aliter adfectus est. quòd si nunquam aliâs aliter est adfectus, non interdum facit,& interdum non facit.hoc enim est aliâs aliter se habere,nempe,vt faciat,& posteà non faciat. Quòd si non ita se habet,vt interdum faciat,& interdum non faciat,facit tamen,cùm sit opifex,necessariò semper facit: & id igitur, inquit,semper erit,quod efficiatur ab opifice. Verùm in quarto pluribus est probatum,eos,qui perfectos in re quauis habitus continent,nullam tum subire commutationem, cùm secundum ipsos habitus aut agunt, aut non agunt. Quòd si nullam subeunt mutationem, certè non immutantur. Si non immutantur, non in hoc aliâs alii efficiuntur. Si aliâs alii non efficiuntur, eodem modo se habent, tum cùm agunt secundùm ipsos habitus,&cùm non agunt:nam in eo,quod fit, non in efficiente commutationem consistere docuimus.Porrò nullam eos commutatio-

mutationem ſubire,qui ex habitibus actiones promunt, cùm ex aliis compluribus docuimus, tum ex eo, quòd diſtinctum fuit, ſi immutatio progreſſus eſt ab habitu in actionem, omnino eſſe neceſſe, vt aut ante actionem immutationem eſſe dicamus, nempe tum, cùm ſolus erat habitus ſine actione, aut ipſam actionem,hoc eſt,ipſum efficere,aut docere,aut aliud quiduis immutationem eſſe dicemus: aut certè inter habitum & actionem commutationem fieri ſtatuemus, præter hæc enim nihil eſt. Cùm igitur ibi probatum ſit,fieri non poſſe,vt habitus ipſe per ſe ſiue agendo ſit immutatio,aut omnino motus. Quieti enim magis, quàm motioni, aut immutationi habitus ſimilis eſſe videtur: vt cùm ibi ipſum Proclum dicere oſtendimus, tum nunc quoque eadem enuntiauit. Ei enim quod ſemper in iiſdem eſt,& eodem modo ſe habet,conuenire dicit,vt aut nunquã faciat,aut ſemper,quaſi ſit perſpicuum,non facere, ſtatum eſſe & quietem, non motum. Quare quod agendi tantùm habitum continet,nec facit, non immutatur: & aliôqui ſi quæ habitum habent, immutantur,neque in ipſo agendo deficit habitus, habitus autem eſt motus,efficitur,vt in motu ſemper ſit opifex,cùm efficiendi habitum ſemper obtineat. Quòd ſi hoc abſurdum eſt,nullus certè habitus eſt immutatio,neque verò actio ipſa eſt immutatio.Eo enim modo efficeretur, vt cùm opifex Deus ſecundùm ipſos Mundum ſemper efficiat, in motu & commutatione ſemper ſit futurus.neque verò affectio vlla cernitur inter habitum & actionem,quæ certè ab his ſit diuerſa, & quam motũ aut commutationem dicere quiſquam poſsit. Quoniam neque tempus eſt vllum inter non agendum,& agendum:verùm non agendi finis,agẽdi eſt principium.Tempus autem ſi non ſit, neque affectio alia erit inter agendum, & non agendum, neq; omnino motus,omnis enim motus & omnis mutatio eſt in tempore.Cùm igitur neque ante actionem,neque in actione,neque inter habitum & actionem immutatio vlla videri poſsit,non certè mutationem ſubiit,qui ex habitũ actionẽ profert. Quare multò minùs in Deo vlla cernetur immutatio quia non agat, & poſteà prodeat ad agendum. Præterea, ibi docuimus, quòd quæ in nobis motio & affectio magis varia excitari videtur,quãdo ſecundùm habitus operamur, quibus iam anteà præditi eramus, vt cùm priùs non docentes, poſteà docemus: aut cùm priùs non ędificantes,pòſteà ędificamus,motus non fit in eo,qui habitu præditus eſt,hoc eſt,in animo,ſed in corpore, quod inſtrumentorum vicem ſuppeditat.Cùm igitur Deus eo ſolo omnia efficiat,quòd velit,nullum habet locum quæ in nobis fit diuerſa organi affectio. Cùm igitur neque habitus moueatur, neque ſit inſtrumentum,quod ſubeat motum, efficitur, vt nulla in re Deus immutetur, & aliâs aliud efficiatur, etiam ſi non agat ſemper, ſed principium tribuat ſuo opificio.Illud quoq; docuimus,nullo modo in Deo habitum ab actione differre,ſed ſimplicem eſſe quandam ſemper & eodem modo ſe habentem Dei efficiendi facultatem,ſola autem voluntate in naturam omnia producere poſſe, cùm natura eorum, quæ gignuntur, & conſiſtentiæ & boni ſit particeps. Et ipſam Dei voluntatem ſimplicem eſſe & ſemper eodem modo ſe habere: ſemper enim vult,quod bonum eſt,ſeu in naturam & ſubſtantiam res producat,ſeu non producat:& ſeu quiſpiam conceſſerit idem velle Deum, ſeu non velle, hoc

non esse motum,neque immutationem. Nam si hoc sit motus, semper in motu erit Deus, vt qui vnamquanque rerum singularum interdum esse velit, interdum velit non esse, in rebus autem singulis semper aliæ gignuntur, aliæ intereunt. Quare si quia interdum sit Mundus, & interdum non sit, necesse sit, Dei quoque de Mundo voluntatem aliâs esse aliam, aliâs autem de eodem aliud velle,moueri sit & immutari, necesse habebimus dicere, Deum semper immutari, & moueri: siquidem vnamquanque rerum singularum interdum esse vult, interdum non esse. Verùm docuimus non esse necesse, quemadmodum se habent res,quæ fiunt,ita se habere earum opificem Deum: sed potiùs quemadmodum non ideo quia quæ nascuntur,& prouidentur,partibus constant,& in multitudinem sunt diffusa,atque interdum sunt,& interdum non sunt,non inquam idcirco Dei in ipsis prouidentiam & cognitionem aut partibus constare,aut in multitudinem diffusam esse, aut aliâs aliam esse oportet: sed indiuisibiliter agere in illa,quæ partibus constant,in illa,quæ multipliciter diffusa sunt,vniformiter: in ea denique,quæ aliâs aliter adfecta sunt, semper & eodem modo: ad hunc sanè modum Dei voluntatem, vt res sint, aut non sint, non aliâs aliam esse dicere est necesse, sed semper eodem modo se habere, cùm semper id velit quod bonum est. Bonum est autem quodque ita vt naturæ comparatum est, & quando esse suapte naturâ est idoneum. Hæc igitur tum in quarto, tum in sexto cùm ipsi probauimus,tum ipsum Proclum atque Plotinum dicentes produximus, atque aliis compluribus argumentis ibidem vsi sumus, vt inde quicunque volet, colligere posit,ea,quę ad hoc pertinent,vt intelligatur nullam in Deo fieri mutationem,quia quæ gignuntur,interdum sint,& interdum non sint.

III. AT verò Mundum ad imaginem æterni exemplaris generatum,secundùm Platonis sententiam,similitudinem ad illud retinere, etiamsi ab aliquo principio esse cœperit, in decimoquinto argumento confirmauimus ex ipsius Platonis verbis: docentes, quòd non eò quòd procreationis expers sit Mundus, etiam similitudinem ad exemplum vult retinere, sed quòd quemadmodum illud est in omni æuo, sic Mundus in omni constat tempore. Exemplum enim, inquit, in omni est æternitate,Mundus autem in omni tempore fuit,constat, & ad finem est futurus. Quare si quis dicat, aliquod esse tempus, in quo non sit Mundus, is non retinet imaginis similitudinem,quam ad exemplum Platonis sententiâ retinere debet. « Tempus autem vnà cum cœlo factum est, vt simul orta, simul etiam dissoluantur, si quando vlla eorum futura est dissolutio. « Perspicuum est, quòd, etiamsi ab aliquo principio cœperit esse Mundus, retinet tamen cum exemplo similitudinem,cùm in omni sit tempore,quemadmodum illud in omni est æuo. Neque enim, vt Plato vult, Mundum futurum in infinitum, quoniam censet illum non esse interiturum, sic ex æternitate ortum esse dicit, vt hîc asserit Proclus, suam opinionem, non Platonis sententiam nobis ostendens: verùm ipsum ita ortum esse, vt ab aliquo temporis principio esse cœperit, apertè clamat, & non fuisse priusquam esset procreatus. Naturæ tamen eius, qua constat, aut futurus est, finem non tribuit, vbi animi cogitatione in his rebus naturæ accommodatissima est vsus. Nam nihil vetat, tempus in infinitum protendi, & nume-

rum augeri in immensum. At vt actu infinitum sit, aut fuerit, nullo modo fieri " potest. Infinitum autem actu fuerit, in tempore & in numero, si tempus careat " principio. Quòd si numerus & tempus actu infinitatem habuerunt, pertransiri " potuit infinitum, imò verò peractum & pertransitum est. Nam per infinitas vnitates progressa procreatio, ad nos vsque peruenit. Quòd si percursum est infinitum, & quod percurritur, omne est finitum (hoc enim interest inter finitum & infinitum, quòd illud decursum habeat, hoc non item) infinitum certè finitum erit, & contradictio simul erit vera. Erit enim quod est infinitum, non infinitum, quod absurdè dicitur. Non igitur fieri potest, vt quod percurri potest, sit infinitum. Quare si percurri non potest, quod est infinitum, non per infinitas vnitates ad nos vsq; peruenit procreatio. Quòd si non per infinitas, sed per finitas, & cuiusque earum rerum, quæ generatę fuerunt, tempus est finitum, efficietur, vt tempus omne quod fuit, sit finitum. Quod enim ex finitis coagmentatum est, necessariò est finitum. Fieri igitur non potest, vt tempus, quod præcesit, aut " futurum est, actu vnquam sit infinitum. Nam in quo infinitum esse aut fuisse " actu sumptum fuerit, seu in retroactis, seu in consequentibus, infinitum efficiet, " quod percurri posit. Quapropter erit quidpiam infinito maius. Neque vnquam " desinet augeri infinitum, & ipsum seipso maius fieri, Si cum numero eorum hominum, qui generati fuerunt, eos, qui semper gignuntur, & qui sunt futuri, connumeremus, atque multis modis multiplicabitur ipsum infinitum, si infinitatem in vnoquoque genere reliquis addiderimus: vt verbi gratiâ, si hominum infinitati equorum infinitionem addideris, atque his boum, & his rursus reliquorum, quæ in Mundo sunt tum animata, tum inanimata. Porrò, vnumquodque horum eiusmodi est maximè, vt fieri nullo modo posit. Accommodatissimè igitur ad naturam rerum Plato tempori dedit principium. Volens autem semper futurum esse Mundum, tempus quoque semper futurum esse dixit. Nam etsi in infinitum tum Mundus fuerit, tum tempus augeatur, semper quidem quod nunc est tempus, eo, quod iam pręcesit, priusquam hoc instaret, maius est, verùm id omne quod de tempore sumitur, & actu consistit, finitum est. Quæ autem in tempore finito generata fuerunt, sunt eodem modo ipsa quoque necessariò finita. Hoc enim modo vno fieri potest, vt neque tempus vnquam sit desiturum, neque actu fuerit infinitum, si tempus principium habuerit, quo cœperit esse, & id omne quod præcesit, sit finitum.

VERVMENIMVERO etiam si Deum Plato dicat esse Mundum, non propterea ipsi naturam immutabilem tribuit, & vt semper idem sit, & eodem modo se habeat. Contrà enim in Politico sentit: qui neque mutationis expertem, neque in maximè diuinis eum esse constituit. In iisdem enim, inquit, & " eodem modo se habere, & idem esse iis demum, & solis conuenit, quæ maximè " sunt diuina. Corporis autem natura in hoc numero haberi non potest. Vnde " quoniam cœlum & Mundus corpus participauerunt, mutationis, inquit, exper- " tia semper esse non possunt. Et rursus in Timæo, Quid est, quod semper est, " neque vllum habet ortum? & quid, quod gignitur quidem semper, nunquam est " tamen? Quorum alterum intelligentiā cum ratione comprehenditur, quod " IIII.

" vnum semper atque idem est: alterum, quod adfert opinionem per sensus ratio-
" nis expertes, quod totum est opinabile, id gignitur & interit, nec vnquam esse
" verè potest. Mundum, qui per sensus apprehenditur, gigni dicit & interire, verè autem esse nunquam. Quocirca si semper vnum & idem esse & eodem modo se habere diuinissimis tantùm competere dicit: est autem opifex in diuinissimis, vt asserit Plato, & Proclus assentitur, & ob id vnus semper est & idem, & eodem modo se habet. Mundus autem corporis particeps non huius est ordinis, hoc est, non est in iis, quæ semper eodem modo se habent. Hoc enim diuinissimis modò Plato competere dicit, quod autem est aspectabile, id omne gigni & interire, verè autem esse nunquam. Vnde pronuntiauit fieri non posse, vt mutationis expers ex toto semper sit Mundus. Quare cùm semper & eodem modo opifex se habeat, Plato Mundum non eodem modo se habere constituit. Qui fit igitur, vt contrarias Platonis sententiæ in his voces emiserit Platonis successor, qui tam
" euidenter contra Platonem mentitur, vbi ait: Neque enim cùm Deus eodem
" modo se habeat, Mundum dicit aliâs aliter se habere, quasi per se obtineat, vt
" aliâs aliter sit adfectus, quod in rebus est singulis, sed quia Deus aliâs aliter adfe-
" ctus sit, Mundum quoq; aut inordinatum esse, aut ordine digestum. Nam etsi tanquam in hypothesi & conditione in Politico Mundo Deum adesse & abesse dicat Plato, & certè sine vlla conditione, quod semper est ipsum, per se definiuit, tum in Timæo, tum in Politico, cùm dicit ipsum comprehendi intelligentiâ, & semper vnum esse & idem, & similiter quod cernitur, & sub conspectum cadit, gigni & interire, nec fieri posse, vt ex toto expers sit commutationis. Quare si ipse quicquid sub conspectum cadit, quantum ad eius naturam attinet, in commutatione naturam suam obtinere definiuit, non certè quod Deus aliter aliâs adfectus sit, ob id Mundum quoque aliâs aliter adfectum esse dicit Plato, vt Proclus ait: verùm etiamsi Deus vnus sit & idem, & eodem modo se habeat, ipsum tamen Mundum quantum in ipsius natura est positum, quia corporatus est, gigni dicit & interire, nec fieri posse, vt mutationis ex toto sit expers. Quanquam mirum est, qui fieri possit, vt non animaduerterit Philosophus, aut certè vltrò prætermiserit (nam vltrò prætermisisse ex iis etiam ipsis, quæ Platonem in Politico dicentem produxit, apertè docetur) à Platone, non per Deum, vt ait Proclus; sed propter ipsius naturam aliâs aliter adfectum esse tradi. Nam etsi Dei tum præsentiâ, tum absentiâ aliâs aliter Mundum adfectum esse proposuit Pla-
IIII tò, præsentiâ quidem ordine esse compositum, absentiâ verò inconditum, palàm est tamen, quòd vt in eodem ordine permaneat, non id à se ipsum habere vult Plato, sed ex Dei præsentia. Nam si extrinsecus & à se haberet, vt in eodem statu
" permaneret, etiamsi cogitatione ab eo abesset Deus, nihilominus interim ordine
" conditus & compositus permaneret. Quare si ordine compositum, definitum
" est & eodem modo se habet in eo, quod ordine est compositum, quandiu est or-
" dinatum. Quod autem est inordinatum, cùm indefinitum sit, nunquam in eo-
" dem statu manet. Nam inordinatum non esset si terminum & eandem rationē
" retineret. Habet autem Mundus ordinem eundem ex eo, quòd Deus præsit, &
" obseruet, quo destitutus in ordinis confusionem deducitur, non quòd Deus illius
turbati,

turbati ordinis cauſa ſit efficiens,ſed ideo tantùm, quòd ipſe in ordinem non digerat.Vnde perſpicuum eſt,quòd vt vnus ſit & idem,id habet ex Deo.Hoc enim idem eſt cum eo,quod eſt ordine eſſe compoſitum. Vt autem aliâs aliter ſit adfectus,id à ſua natura habet. Hoc enim rurſus cum inordinato idem eſſe, probatum eſt. Quare efficitur, vt Dei præſentia ordinis Mundi, & vt ipſe in eodem ſtatu permaneat, cauſa ſit efficiens, abſentia autem, etſi ex accidente inordinati ſit cauſa, per ſe tamen ipſa Mundi vel potiùs corporis natura: quemadmodum naufragii ex accidente cauſa eſt gubernatoris abſentia, per ſe autem ipſa tempeſtatis & fluctuationis natura,quæ non habet naturâ ſuâ ſtabilitatem. Quare per hanc ipſam hypotheſin, quæ explicata eſt in Politico, Plato ſuas enuntiationes cõfirmauit: quibus efficitur,generatum eſſe Mundum,atq; quantùm in natura eius eſt, interiturũ.Quoniam enim ipſam per ſe Mundi naturã reſpiciens,ipſum gigni & interire dixit,verè autem non eſſe vnquam. Nam cùm ſit corpus, fieri nullo modo poteſt,vt expers ſit mutationis. Videtur autem Mundus in eodem ordine & eadẽ collocatione ſemper permanere:neq; gigni videtur,neq; interire. Ideo ab ipſo cùm in Politico Deũ cogitatione ſeparauiſſet, & hac ratione ipſum in cõmutatione & ordinis cõfuſione eſſet contemplatus, hinc collegit, ordinem qui in Mundo cernitur,& vt in eodem ſtatu ipſe permaneat,non ex ipſius Mundi natura, ſed ex ipſa ad opificem coniunctione conſiſtere.Sed quid opus eſt ſyllogiſmis?cùm liceat iiſdem verbis Platonem id ipſum in Politico diſertè dicentem audire: nempe quòd Mundus habet ordinis confuſionem, & vt aliâs aliter adfectus ſit,ex ſua ipſius natura, non autem ex relatione ad opificem. Ibi enim ad verbum hæc habet: Tunc Vniuerſi gubernator Deus quaſi gubernaculi clauo dimiſſo ad ſpeculam ſuam receſsit.Mundum autem rurſum conuertit fatum & inſita cupiditas. Deinde vbi, quæ deinceps ipſi accidit, ordinis perturbationem expoſuit, & concuſsionem (quemadmodum par erat ipſum ſubire deſtitutum Dei ſui gubernatoris pręſentiâ)harũ rerum cauſam ſubiungit ad hunc modum: Hinc autem ipſe corporea concretionis cauſa eſt id,quod pridem vnà cum eius natura enutritum fuit, quod multæ particeps erat perturbationis,priuſquam in hunc Mundum & ornatum perueniſſet. Nam ab eo,qui ipſum cõpoſuit,omnia pulchra obtinuit: ab eo autem habitu, qui præceſsit, quæcunque in cœlo fiunt, grauia & iniuſta,cùm ipſe habet,tum eadem in ipſis efficit animantibus. Platonem igitur apertè dicentem audiuimus,tum ordinem,tum quicquid pulchrum eſt in Mundo, id ex eo obtinuiſſe, qui ipſum coagmentauit:ex corporea autem concretione & habitu, qui cum eius natura eſt enutritus, ea habere incõmoda, quæ tum ipſe habet, tum in animantibus ingenerat. Quare non ob id ſolùm, quòd per hypotheſin Deus abſit à Mundo, inordinatum in ipſo ineſſe Plato nudè pronuntiat, quaſi efficiens cauſa ſit Dei abſentia eius ordinis perturbationis, quæ eſt in Mundo: quoniam abſens Deus id ſolùm præſtat, quod Mundo ordinem à ſe non impartitur:quod ſupereſt autẽ, corporea natura permiſtionis earum rerum, quæ Mundo ſunt inteſtinæ, eam facit ordinis confuſionem, quæ à natura ipſi ineſt:quemadmodum abſente gubernatore inſitam perturbationem in naui,cùm venti,tum tempeſtas oſtendunt.

V. ADSVMPSIT autem Philosophus, quòd non Platonis solùm, sed suis etiam ipsius enuntiationibus, quas alibi eleganter, & concinnè proposuit, sit repugnans. Operæpretium autem, opinor, faciemus, si ipsa quoque Procli verba inter se comparemus, vt eorum pugnam & contrarietatem ostendamus. Nam in eo Opere, quod inscriptum est, Obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles, cùm pluribus ostendisset probè Platonem dixisse, & id omne, quod est aspectabile, gigni & interire (verè autem esse nunquam, propterea quod non habet sempiternam consistentiam, cùm Vniuersi corpus, quemadmodum Aristoteles ipse demonstrauit, vires habeat finitas) deinde volens iterum probare Mundo aliunde, non ex ipsius natura accedere, vt sit sem-
« per, hæc addit ad verbum: Neque enim quod in eo est verum, quod semper est,
« id in eo est verum, quod semper gignitur, nempe vt ipsi vires insint infinitæ, hoc
« ipso, quòd semper gignatur, quemadmodum illi eo solo, quòd semper sit: verùm
« ei demum, quod hoc facit. Quapropter hoc quoque semper gignitur extrinse-
« cus & aduentitium habens, vt sit perpetuò: nempe per id, quod per substantiam
« suam semper est. Itaque quantum est in ipso situm, non obtinet illud, vt sit sem-
« per. Vnde efficitur, vt eius, quod gignitur, definitio Mundo etiam conueniat.
« Et paulò pòst: Omne id ergo, quod gignitur, ipsum per se etiam capax est inte-
« ritus. Vinctum autem & colligatum ab eo, quod est, cùm maneat in eo, vt gigna-
« tur, totum id est, quod gignitur, propterea quod ita est, vt non intereat id, quod
« ab eo, quod verè est, obtinuit. Cùm definitionem igitur eius, quod ipsum per se
« gignitur, comprehendat, etiam interire ipsum quasi suapte naturâ sit eiusmodi.
« Ita appellauit rursus idem in iis, quæ deinceps sequuntur: Quoniam enim Vni-
« uersum est finitum, quod autem est finitum, viribus non est præditum infinitis,
« vt probauit, quod autem facultatem mouet infinitam, infinitis mouet viribus,
« perspicuum est illud immobile, quod Vniuerso motum præbet infinitum, ipsum
« viribus præditum esse infinitis. Quare si ratione ab illo separaueris Vniuersum,
« infinito tempore non mouebitur, vt quod non habeat facultatem infinitam, sed
« mouendi finem habebit. Verùm vbi iterum hoc illi coniunxeris, eius ope & be-
« neficio mouebitur in infinitum. Neque verò quicquam est absurdi, si quæ con-
« iuncta sunt, cogitatione separemus, vt peruideamus, quid vtrique insit ab altero,
« & perspicientes intelligamus, quid à natura sua habeat deterius, & quid à con-
« iunctione cum eo, quod est præstantius. Qua ratione Mundus in se non habet, vt
« sit semper: sed cùm gignatur, & intereat, verè autem nunquam sit, in mutatione
« & transformatione habet suam naturam, idque ex sua ipsius natura ipsi inest.
« Vt autem sit semper, aduentitium est, acquisitum ex coniunctione cum eo, quod
« est præstantius, & semper constat. Si hæc pulchrè atque tum Platonis tum Procli sententię accommodatè in libro, quem citauimus, sunt explicata, quî fit, vt in præsenti hisce repugnantia præloquatur, cùm ait: Neque enim si Deus eodem modo se habeat, Mundum aliâs aliter se habere dicit, quasi per se habeat, vt aliâs aliter sit adfectus, quod fit in rebus singulis: verùm quòd Deus aliâs sit alius, Mundum quoque inordinatum esse aut ordine compositum. Nam si non per se Mundus aliâs aliter est adfectus, quemadmodum res singulares, semper autem

eodem modo se habet, secundùm ipsos, si sempiternus est, in ordinem quoque semper est digestus. Per se igitur habebit, vt vnus sit semper, & idem. Verùm in libro, quem commemorauimus, consensit Proclus Mundum, quantum in ipso situm est, non id habere, vt sit semper, ídque ex sua ipsius natura eidem inesse. Quare secundùm has rationes Mundus ex sua ipsius natura id obtinebit, vt sit semper: & rursus, vt sit semper, non obtinebit. quod fieri non potest: sic enim vera esset tota contradictio. Quare si ea probè dicta sunt, & ita vt Platonis opinioni sint consentanea, nempe Mundum secundùm suam ipsius naturam non ita habere, vt sit semper, verùm id extrinsecus ex opifice, & effectore obtinuisse, perperam certè in proposito argumento Proclus adfirmauit, non à se id inesse Mundo, vt aliâs aliter sit adfectus. Porrò, quòd Plato cum Dei præsentiâ & absentiâ Mundum aut ordine componit, aut inordinatum manere proponit, nihil aliud, quàm quòd iterum quæ in Timæo dicta sunt, quasi adposito sigillo confirmat: Mundum, vt sit in commutatione, nec sit vnus, & idem, id à sua ipsius natura obtinuisse, sed vt sit semper, id ex coniunctione cum Deo adeptum esse, vt ex ipsius Platonis verbis nuper confirmauimus. Quare vnà cum veritate necessaria ratione confectum est, Platonis successorem tum sibi, tum Platoni repugnare. IV

IAM verò statim est absurda huiusmodi hypothesis. Nam si non per se habet Mundus, vt aliâs aliter sit adfectus, quemadmodum res singulæ, quæ, etiamsi Deus vnus sit & idem, à sua natura habent, vt aliâs aliter se habeant: verùm vt Mundus aliâs aliter se habeat, id habet à relatione, quam habet ad Deum: vtrum si ipse Mundus in sua ipsius natura mente concipiatur sine ea adfectione, quam habet ad Deum, in iis rebus erit, quæ eodem modo se habent, an verò in iis, quæ aliâs aliter adfectæ sunt, vt res singulares? Nam etsi Deus à Mundo separari nunquam posit, donec erit Mundus: tamen nullo modo absurdum est (quod Proclus ipse modò professus est) ea, quæ simul sunt, cogitatione separare, vt perspiciamus, quid insit cuique ab intestina natura sua, & quid ab ea coniunctione, qua cum potiore est copulatim. id quod Plato quoque in Politico fecit, qui Deum cogitatione à Mundo separauit, & ita quæ Mundo eueniunt, ex ipsius natura contemplatus est. Quoniam igitur hoc non est absurdum, mente nobis & cogitatione Mundus intelligatur sine Deo. Vtrum igitur ipse per naturam suam id habet, vt vnus sit semper & idem, an contrà, hoc est, vt aliâs aliter sit adfectus? Necesse est enim è duobus alterum concedere, quantum certè in hisce scitis hypothesibus est situm. Nam si res singulæ, vt ait Proclus, ipsæ à sua ipsarum natura id habent, vt aliâs aliter adfectæ sint, in Mundo quoque necessariò inquirendum est, vtra contradictionis particula ipsi à sua ipsius natura insit. Aut enim semper vnum esse, & eundem, aut non semper vnum & eundem esse oportet, sed aliâs aliter esse adfectum. Verùm quoniam apertè pronuntiauit Proclus ipsum à sua ipsius natura non id habere, vt aliâs aliter se habeat, quemadmodum res singulares, palàm est, quòd ipse à sua ipsius natura id habebit, vt semper sit vnus & idem. Vnde efficitur, vt si à sua ipsius natura, id habet, vt semper eodem modo se habeat, vt autem aliâs aliter sit adfectus, à coniunctione & adfectione erga Deum, certè cùm quod potius est & præstantius, à natura sua VI.

obtineat, nempe vt ſemper vnus ſit & idem, quod deterius eſt, hoc eſt, vt aliàs aliter ſit adfectus, à coniunctione cum Deo & adfectione erga eundem obtinebit. Sed quæ tandem eſt impietas, quæ cum hac impia cogitatione contendere poſſit, vel ſi hæc tantùm ex conditione dicantur? Quare ſi hoc & abſurdum eſt & impium, certè non ex ſua ipſius natura habet Mundus, vt ſemper eodem modo ſit adfectus: verùm id ex ea relatione & adfectione obtinet extrinſecus, quam habet erga id, quod ſemper eſt, etiamſi ſempiternus eſſe concedatur, non autem per ſuam ipſius naturam habebit, vt ſit ſemper, vt tum Platonem, tum Proclum ipſum alibi dicentes produximus.

VII. PRAETEREA, ſi vnum & idem eſſe ſemper rebus maximè diuinis tantùm conuenit, Mundus autem corporis particeps non in eorum numero eſt habendus, ſed in iis eſt, quæ gignuntur & intereunt, verè autem nunquam ſunt, commune eſt autem omni diuinæ naturæ, vt in fine argumenti ait Proclus, vt vna ſemper & eadem permaneat, & vniuerſum deorum genus, cùm vitii non ſit capax, mutationem nullam recipit, vt in nono argumento idem enuntiauit, Deus certè non eſt Mundus, neque ſecundùm ea, quæ Platoni videntur, neque ſecundùm ea, quæ antè à Proclo confeſſa fuerunt. Efficitur ergo, vt ſit neceſſe, Platonem dicere Mundum, aut in iis eſſe, quæ ſemper eodem modo ſe habent, ſiquidem arbitratur eſſe Deum. Deorum autem genus commutationis non eſt capax, aut ſi non dicit eum in iis eſſe, quæ ſemper eodem modo ſe habent, certè in iis eſſe, quæ gignuntur & intereunt, verè autem nunquam ſunt. præterea & ab inſita natura, tum ipſum quæcunque grauia ſunt, & incommoda habere, tum in animantibus ingenerare dicit, & in reliquos deos impium eſſe, vt Proclo videtur: qui illos quoque tales eſſe dicat: iis enim omnibus commune eſſe dicit, vt ſemper in eodem ſtatu & eodem modo permaneant: atq; aut in omnibus ipſum eſſe ſeruandum, aut ſi improbetur in vno, nec in reliquis fidem ratam habere. Alterum igitur è duobus eſt neceſſe, aut Platonem non arbitratum eſſe, Mundum eſſe Deum: aut ſi cùm Deum ipſum eſſe dicat, nihilominus gigni aſſerat & interire, verè autem eſſe nunquam, in totum genus deorum eſſe impium, vt Platonis interpres hoc in loco confirmauit. Quare ſi Mundum eſſe in commutatione tum euidens eſt, tum apertè dictum Platoni, certè ipſum non exiſtimabat eſſe Deum, ne in vniuerſum deorum genus Plato conuincatur eſſe impius. Clarè enim enuntiauit, quòd ſemper vnum & idem permanere, diuiniſſimis quibuſq; conuenit. Quare & ſi eundem Deum eſſe dicat, id ex Orphicis verſibus accipiens, Poëtarum conſuetudinem fabuloſiùs Plato ſequutus, Deum ipſum eſſe dixit. Nihil eſt enim in natura rerum, quod Poëtæ non Deum eſſe finxerint. Neque ſolùm ignem & terram, & reliqua elementa: verùm humanas quoque adfectiones, & opera, vt bellum, contentionem, metum, Ritas (nam & Ritæ Iouis magni filiæ eſſe dicuntur) Aten, iuſiurandum, ſomnium, gaudium, cupiditatem, amorem, & omnia, vt ſemel dicam, quæ tum in bonis, tum in malis eſſe videntur, vt ſatis nouerunt qui in Poëtarum ſcriptis ſunt verſati. Præterea, deorum ortus omnium nobis tradiderunt, mortes non item. Quid igitur eſt miri, ſi cùm Plato Mundum ortum eſſe, neque interiturum eſſe dixerit, Deum ipſum Poëtarum conſuetudine appellet?

PORRO,

PORRO, Platonem in sua doctrina multis in locis Poëticas fabulas immiscere, non tantùm quas ipse fingit, sed etiam à Poëtis acceptas, quibus quauis de causa non tanquam fabulis, sed tanquam rationibus vtitur, norunt quicunq; Platonis scripta legerunt. Nam apud ipsum animarum iudicia in inferis exercent Iouis liberi, duo ex Asia, Minos & Rhadamantus, vnus ex Europa, Aeacus. neque in Gorgia tantùm de his fabulosè loquutus est, sed etiam in Minoë, siue de lege: vbi non fabulas fingere, sed de legibus disputare constituit. Iouis quidem & Europæ filios, Minoëm & Rhadamantum esse dicit, Poëtarum sequutus figmenta. cæterùm, è veteribus legumlatoribus probum legislatorem Minoëm fuisse. Atque ad confirmandum filium esse Iouis, eúmque probum, Homeri versus proposuit: VIII.

Hos inter Minos Gnosi arcibus imperat altis, Odyß. 19
Húncque nouem docuit conuiuam Iuppiter annos.

Atque versuum sententiam exponens, ait vnum Minoëm ex omnibus liberis, qui à Ioue creati fuerant, à parente suo fuisse institutum: versatum autem cum Ioue per nouem annos, in eius antrum frequenter ire solitum, partim vt disceret, partim vt posteà doceret, quæ didicisset priore nouennio. Et in secundo de legibus, vbi Bacchi fabulam exponit, hunc ait à nouerca Iunone de animi ratione & mente deiectum fuisse. Sed quid opus est orationem producere in his Poëtarum fabulis commemorandis, quas suæ doctrinæ immiscuit Plato, quibus tamen non vt fabulis vsus est? Nam in ipso Timæo, vbi Deum ait esse Mundum, & Stellas omnes, quæ conspiciuntur, Solem, inquam, Lunam, & reliquas, audi quomodo contexuit, quæ sint his consentanea. Eius verba sic habent: » Verùm hæc, quæ de deorum, qui cernuntur, quique orti sunt, natura præfati sumus, ha- » beant hunc terminum. Reliquorum autem, quos Græci dæmonas appellant, La- » tini, opinor, lares, & nosse, & nuntiare ortum eorum, maius est, quàm vt profiteri » scribere nos audeamus. Credendum nimirum est veteribus, & priscis, vt aiunt, » viris, qui se progeniem deorum esse dicebant. Itaq; eorum vocabula nobis pro- » diderunt. Nosse autem generatores suos optimè poterant: ac difficile factu est, à » diis ortis fidem non habere: quanquam nec argumentis, nec rationibus eorum » oratio confirmatur: sed quia de suis rebus notis videntur loqui, veteri legi morí- » que parendum est. Sic igitur vt ab his est traditum, horum deorum ortus habea- » tur, atque dicatur, vt Oceanum, Salaciámque cœli satu, terræque conceptu gene » ratos editósque memoremus. ex his Phorcyn, Saturnum, & Opem, deinceps Io- » uem atque Iunonem, reliquos quos fratres inter se agnatósque vsurpare, atque » appellare videmus, & eorum, vt vtamur veteri verbo, prosapiam. Quare si Pro- » clus cùm à Platone audit Mundum esse Deum, simpliciter sine vlla disquisitione Deum ita intelligi censet, & ob id ipsi perpetuitatem impertitur, quamuis Plato ipsum ortum esse clarè dixerit, vt prius, sic & nunc, & deinceps posteà sine curiosa disquisitione exaudiat, & velit nos credere deorum progeniem atque filios fuisse, quos Poëtæ heroas, deorum satu ortos esse fabulati sunt, & ex consecutione incestas illas nuptias à diis celebratas fuisse dicat, è quibus nati fuerint, qui deorum filii esse dicuntur: neque quicquam curiosè disquirendum, sed vt leges

illorum, theologias esse suscipiendas, atque iisdem credendum esse censeat, cùm
nimirum illi apertè nouerint suos progenitores, tum deos, tum dæmonas, qui-
bus non credere non possumus, quamuis sine argumentorum verisimilitudine, &
sine rationum necessitate loquantur, tanquam sua scilicet nobis renuntient, &
non aliena. Quæ'nam autem illa sint, quæ nos illi de suis progenitoribus docue-
runt, quibus non credere sit nefas, sed potiùs credendum, & ita de diis & opinan-
« dum & loquendum, statim ipse subiunxit: Oceanum, inquit, Salaciámque cœli
« satu terræque conceptu generatos editósque memoremus. Et quæ sequuntur.
Aut igitur hæc nudè vt posita sunt intelligere nos, iisdémq; credere debere cen-
seat Philosophus, & aliis eodem modo omnibus, quæ Poëtæ his ex consecutione
connectunt. Cuius generis sunt incestæ nuptiæ, deuorationes, lacerationes, tum
in se mutuò, cùm in parentes suos rebelliones, & quæcunque alia ad hominum
vitæ corruptionem Poëtæ iis tribuerunt, quos honoribus volunt adfectos, hos
non satis scio prauósne dæmonas, an cacodæmonas dicere debeam, qui ab in-
signi, & omnem modum supergressa improbitate consequuti sunt, vt illustres
sint, & noti, cùm scilicet spiritus improbitatis hominũ internecioni & perniciei
per inuidiam insidiati sunt, propter lapsum, quo ipsi sponte de pulchro & hone-
sto statu suo deciderunt. His igitur quoque, vt dixi, Platonem sine vlla disquisi-
tione assentiri dicat. Aut si hæc Poëtarum, & eo tempore florentem opinionem
sequutus, fabulosiùs dixit Plato, seu per allegoriam, seu sine allegoria à Poëtis ea
dicta esse arbitrabatur: eodem modo vt consequens est, Dei quoque nomen
Mundo tribuere Platonem concedat, seu à perpetuo cursu, παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν, seu
« παρὰ τὸ θεᾶσθαι, hoc est, à visu, quod ipse id omne in se comprehendat, quod cadit sub
« visum, seu ab aliqua alia significatione.

IX. OMNINO autem Dei appellationem non incorporeæ & rerum naturæ
« effectrici causæ, sed cœlestibus corporibus à perpetuo cursu veteribus Græcis
« impositam fuisse in Cratylo asserit Plato. Neque enim illos aliud quicquam
« Deum nouisse præter ea corpora, quæ conspiciuntur, Solem, Lunam, & reliqua:
« vt ad hoc vsque tempus barbarorum quamplurimos dicit arbitrari. Deinceps
« autem Græcos ait ad notionem aliorum deorum corporibus carentium addu-
« ctos, eodem cum illis nomine eos appellauisse. Sunt autem huiusmodi ad ver-
« bum, quæ in Cratylo scripta sunt; Soc. Nónne igitur æquum est, initium à diis
« sumere, vt inquiramus, qua tandem ratione effectum sit, vt hoc τοῦ Θεοῦ, hoc est,
« Dei, nomine sunt appellati? Hermog. Certè est ita æquum. Soc. Tale igitur equi-
« dem suspicor. Qui in Græcia primi hominum extiterunt, videtur mihi deos hos
« solos existimauisse (vt hodie etiam barbarorum plerique) Solem nempe, Lu-
« nam, Terram, stellas, cœlum: vt cùm viderent ea sempiterno cursu incedere, ab
« hac τοῦ θεῖν, id est, currendi natura, Θεοὺς, id est deos appellauerint. posteà au-
« tem cùm alios deos obseruauissent, eos nomine eodem nuncupauerint. Nónne
« quod dico, aliquid verisimilitudinis habet? Hermog. Imò verò permultùm.
Quare si Dei nomen cœlestibus à perpetuo cursu Plato à veteribus Græcis im-
positum fuisse arbitratus est, & posteà ad alios quoque deos, qui intelligentiâ cõ-
prehendantur, iam cognitos translatum ipsum fuisse, perspicuum est, quod, ho-

monymωs, id eſt, ſocietate tantùm nominis, tum in deis corpore carentibus, tum in Mundo nomen Dei poſitum eſſe cenſet. Nam ſi cœlum Θεὸς, id eſt Deus, παρὰ δ' ἀεὶ θεῖν, id eſt, à ſempiterno curſu, nuncupatur, quę autem comprehenduntur intelligentiâ, & corpore vacant, omni motione ſunt ſuperiora, efficitur, vt ſecundùm eam notionem illa deorum appellatione cenſere, hominis ſit ſenſu carentis, nedum Platoni in mentem id vnquam veniſſe poſsit. Cùm itaque res, quæ communi nomine ſignificantur, diſtinctæ ſint, ſola & nuda relinquitur nominis communio. Quare ſi in nomine tantùm ſocietas eſt, qua tandem ratione neceſſariò effici videtur, vt quia Mundus à Platone Deus eſſe dicitur, ob id concludamus, ipſum naturâ eſſe incommutabilem, & ortu carere, hoc ſolo, quòd Plato talem velit eſſe diuinam naturam? nam intelligentem illam eſſe ait Plato. Quare quantum certè in argumentis Procli poſitum eſt, cùm Mundum Deum eſſe dicit Plato, ipſum intelligentiâ tantùm comprehendi, & incorporeum eſſe vult. Atqui Plato ideas quoque nominibus appellat iiſdem, quibus appellantur ea, quæ ſentiuntur. Nam ipſum animal, & ipſum hominem, & è reliquis rebus vnamquamque ſynonymôs, id eſt, eodem nomine cum rebus, quæ ſentiuntur, appellari dicit. Vtrum igitur propter verborum ſimilitudinem, animalibus, quæ ſub ſenſus cadunt, id tribuemus, vt ſemper vnà ſint, & eadem, & vt intelligentiâ tantùm cõprehendantur, incorporeáq; ſint? An potiùs exquiſitè nouimus, quòd quemadmodum hæc nominis ſocietate conueniunt, ſic rebus ipſis plurimùm inter ſe differunt? Quemadmodum igitur neque intelligentiâ tantùm comprehenditur Mundus, neque eſt incorporeus, etiam ſi Dei nomine nuncupetur: ſic certè neque in iis eſt, quæ non immutantur, ſed vnà manent & eadem, neque exors eſt procreationis. Nam vt diuinæ naturæ hæc ineſſe teſtificatus eſt Plato, ſic Mundum in iis eſſe quæ gignuntur & intereunt, reuera nunquam ſunt, apertè dixit. Et ob id ipſum ab aliquo temporis initio ita ortum eſſe adfirmauit, vt aliquando eſſe cœperit: & quoniam ortus eſt, neque indiſſolubilem naturâ, neq; immortalem eſſe: etiamſi, quia Dei voluntate & conſilio inſtauratitiam perpetuitatem obtinet, naturam indiſſolubilem retineat. Deprehenſus eſt igitur Proclus pro ſua conſuetudine ex verbi ambiguitate veritatem deprædari, atque ea curſim prætermittere, quæ à Platone de Mundi natura clarè dicta ſunt, Mundũ autem Dei appellationem arripiens, inde ſuum, non Platonis decretum conficere. Quanquam, nónne abſurdum eſt, cùm Plato ipſum Mundũ Deum ſimul & generatum eſſe dixerit (quæ enim, inquit, ad hunc modum, de deorum, qui cernuntur, quíque orti ſunt, naturâ præfati ſumus, habeant hunc terminum) non inquam abſurdum eſt, Deum eſſe ſecundùm propriam Dei notionem accipere, natum autem eſſe, & naturæ eſſe procreationis capacis ſupprimere fraudulenter, & ſummouere? Neque enim per cauſam tantùm Mundum hîc ortum eſſe ſuſpicari poſſumus. Ex eo enim quod Plato ſe de deorum, qui cernuntur, quíque orti ſunt, naturâ dixiſſe profitetur; ſatis ſignificauit ſe alios quoque deos nouiſſe, qui intelligentiâ tantùm comprehenduntur, & ortus ſunt expertes. Quemadmodum enim ei quod cernitur, id opponitur, quod comprehenditur intelligentiâ: ſic ei quod oritur, id, quod expers eſt procreationis. Quare ſi deos,

qui cernuntur,per causam tantùm ortos esse vult,& eos certè,qui intelliguntur, expertes ortus penes causam tantùm vult ortu carere. Ei enim quod penes causam ortum est, id opponitur quod penes causam ortu caret. Quòd si qui intelligentiâ comprehenduntur dii penes causam orti non sunt,nullus certè,ipsis causam præbet cur sint, & constent. Vnde efficitur, vt non ex eodem principio suã habeant naturam. Quare non vnum erit rerum omnium principium,& eadem causa,sed tot erunt principia,quot sunt,qui intelligentiâ comprehenduntur dii. Absurdum igitur si hoc est & à Platonis cogitationibus alienum,vt ex eius verbis frequenter docuimus, & vnum est rerum omnium principium, vnicáque causa,éstque id vnicum,quod sine principio constat,& sine causa,efficitur,vt dii qui intelligentiâ comprehenduntur,non penes causam procreationis sint expertes. Quare si deos,qui intelliguntur, Plato eis opposuit qui cernuntur, qui autem intelliguntur, cùm non orti sint, secundùm Platonem, non penes causam ortu carent (siquidem omnium vnica est causa, quæ eadem primum est rerum principium) colligitur deos,qui sentiuntur,quíque orti esse dicuntur,non penes causam tantùm,sed penes tẽpus quoq; esse procreatos. Nam si eos qui intelligentiâ comprehenduntur,non ortos esse vult, non quòd sint sine causa, sed quòd principium non habeant,quo esse cœperint, deos certè, qui cernuntur, ita ortos esse dicit, vt principium consistendi, & suæ naturæ acceperint. Hæc igitur nobis quantum vires nostræ tulerunt,in sexto argumento abunde satis sunt explicata.

X. QVOD autem Plato multis in locis fabulis vsus est, vel vt, quòd antea dixi,patria consuetudine defungeretur, vel quòd à multitudine & plebe periculum formidaret,vt in quarto capite sexti argumenti clarè docuimus,ne receptos deos ipse quoque improbare videretur, & noua inducere dæmonia (hoc enim nouerat Socrati mortem adtulisse) alibi autem quæ ipse sentit, sumpta fiducia audet in lucem producere, & fabulas ridet, maximáque contentione Poëtas reprehendit, qui fabulas confinxerunt, nonnulla ex ipsius Platonis scriptis,ad huiusce rei confirmationem proponam in medium. In secundo igitur libro, De Republica, vbi Homerũ & Hesiodum reliquorúmq; Poëtarum cœtum de sua ciuitate depellit,audis quibus eos criminibus incessit. Nam prẹter alia complura,hæc quoque addit ad verbum: Primùm igitur nobis vt par esse videtur,fabularum fictoribus animus est intendendus, vt quam bonam fabulam confinxerint, eam nos coöptemus, atque recipiamus: quam autem secus, eam improbemus. Quas verò admiserimus, suadebimus nutricibus & matribus eas vt pueris narrent,vt animos eorum fabulis multò magis, quàm corpora manibus veluti fingant. Earum verò,quas nunc commemorant,complures sunt reiiciendæ. Qualésnam? inquit. Maioribus, inquam, in fabulis minores quoque perspiciemus. Oportet enim eandem esse formam, & maiores idem cum minoribus valere, vímque eandem obtinere. An non ita censes? Censeo equidem, inquit. Verùm non intelligo quásnam dicas maiores: quas cùm Homerus ac Hesiodus, tum reliqui Poëtæ descripserunt. Hi enim falsas hominibus fabulas confictas à se scribebant, quæ hodie quoque circunferuntur. Qualésnam? inquit ille, & quid in ipsis reprehendis? Quod, inquam, imprimis & maximè est reprehendendum,&

aliôqui

aliòqui si quisnn rectè mentiatur. Quid istud? Quando quispiam perperàm „
oratione fingit, qualisnam sit heroum natura, & deorum, perinde ac si pictor ni- „
hil prorsus describat quod eorum referat similitudinē, quibus similia depingere „
voluerit. Atqui, inquit, meritò talia reprehenduntur. Primùm quidem, inquam, „
qui maximum & maximis de rebus mendacium protulit, is perperam est men- „
titus: quòd Cælius ea perpetrauerit quæ illum Hesiodus gessisse commemorat, „
& rursus, vt Saturnus eum vltus est: tum quæ res fuerint gestæ à Saturno, quæ- „
que à filio suo sit perpessus. Ea enim nec si vera essent, putarem tam facilè in ho „
mines inopes mentis, iuuenésque esse diuulganda, sed potiùs premenda fuisse si- „
lentio. Quòd si ea prodere esset necesse, in arcanis essent audiēda, non iis, qui por- „
cellum sacrificarent; sed paucis iisque magnam quandam ac raram victimam „
offerentibus, vt id quàm paucissimis audire contingeret. Certè quidem, inquit „
ille. Sunt enim sanè duri hi sermones. Sunt verò ô Adimante, neque in nostra ci- „
uitate diuulgandi, neque cùm iuuenis audiat, dicendum, qui extrema facinora „
admittit, eum nihil, quod mirandum sit, perpetrare, neque vllo modo præuari- „
cari, qui peccantem parentem vlciscatur: sed ea facere, quæ deorum primi ac ma „
ximi fecerunt. Non herclè, ait ille. Neque hæc idonea mihi esse videntur, quę di- „
uulgentur. Neque verò inquam vllo modo dicendum, deos bellum cum diis ge- „
rere, sibíque mutuò insidiari & pugnare. Neque enim vera sunt hæc. Siquidem „
debent, qui nobis ciuitatis futuri sunt custodes, turpissimum ducere leui de cau- „
sa ciues inter se dissidere: tantum abest, vt Gigantum pugnas illi fabulosè narra- „
re, & confingere debeant: atque adeò permultas alias omnis generis simultates, „
tum deorum, tum heroum cum suis cognatis & proximis. Verùm si qua ratio- „
ne efficere possumus, vt persuadeamus nullum vnquam ciuem alteri esse aduer- „
satum, neque hoc esse sanctum, illud verò à senibus & aniculis potiùs iuuenibus „
est narrandum. Atq; Poëtæ eò sunt necessitatis adigendi, vt fabulas suas ita con- „
fingant, vt hæc referant quàm proximè fieri poterit. Vincula autem à filio in- „
iecta Iunoni, & Vulcanum de cœlo deiectum à patre, qui matrem pulsatam vl- „
cisci vellet, & deorum pugnas quascunque finxit Homerus, in ciuitatem admit- „
tere non debemus, seu per allegoriam, seu sine allegoria ea dicta sint. Neq; enim „
iuuenis aut adolescens is est, qui diiudicare possit, quidnam allegoria sit, & quid „
non sit. Verùm quæ qui huius est ætatis, opinione semel comprehenderit, ea „
haud temere elui aut immutari solent. Quarum rerum gratia in primis fortassè „
danda est opera, vt ea, quæ prima pueri audient, quàm pulcherrimè fieri poterit, „
ad virtutem instituta & conficta videantur. „

Desunt nonnulla.

Neque enim aliis ciuibus his vti præceptis, aliis non item, ſed vt omnes, à quibuſuis inutiles & damnoſos omnino reiecit. Quòd ſi in pulcherrimo ciuitatis ſtatu, quem Plato confirmauit, in quo ſola virtute & prudentiâ res adminiſtratur, fabulas eiuſmodi admittere non decet, quod ad iniquitatem potiùs & vetitas actiones inducant, nullo certè modo in noſtræ ætatis ciuitatibus ſunt recipiendæ, in quibus voluptas bono, & deterius meliori præfertur. Neque tantùm quid hominibus vtile eſſet, curauit is dęmon, qui Poëtas tutatus eſt, quantum Plato non ſolùm ſuæ ciuitati prouidit, quanuis ea tantùm in conditione & verbis tenus exquiratur, ſed quilibet etiam, qui modum retineat in iis, quæ à ſe geruntur. Prauorum igitur dæmonum opus ad generis hominum perniciem in vitam noſtram Poëtarum fabulas inuexit. Id quod cùm cognoſceret Plato, eos de ſua ciuitate exigendos eſſe cenſuit. Quare ſi hîc Plato improbat fabulas, in Timæo autem credendum eſſe dicit iis, qui eas nobis introduxerunt: quòd ſe deorum prolem eſſe profiteantur, & clarè ſuos nouerint progenitores, nefas enim eſſe deorum filiis fidem non habere: hæc autem ſibi mutuò conſentanea eſſe non poſſunt, cuiuis profectò ſit perſpicuum, eum alibi de ſua ſententia germanos diſcipulos ſuos docere, eáque quæ ipſe ſentit. Nam in libris De republica, de hominum inſtitutione ſeriò verba facit: alibi autem multitudinem expiare, vt quod ab ea periculum impendet, effugiat. Ad Dionyſium itaque tyrannum ſcribens, non Athenienſibus quidem illum, ſed Syracuſiis præfectum, ait epiſtolarum ſuarum, probarum quidem Deum autorem eſſe & principium, “ deos autem non probarum. Verba autem ſic habent: Cæterùm, de conſultore, “ qui eas epiſtolas ſuggerit, quas ego ſeriò ſcribo, & eo, qui eas, quas non ſeriò, puto te meminiſſe. Sic tamen habeto, & animum diligenter aduertito. Permulti ſunt enim, qui ſcribere iubent, quos repellere palàm facile non eſt. Nam probæ epiſtolæ Deus mihi eſt autor & principium, dii autem non probę. Et in alia rurſus ad eundem, ait rerum omnium autorem vnum eſſe & effectorem. Nam in omnium rege, inquit, omnia ſunt poſita, & eius gratiâ ſunt omnia: atque ille rerum omnium honeſtarum autor eſt & cauſa. Et in quarto de legibus rectà, progredi Deum dicit, qui principium, & media, & finem rerum continet: vnde efficitur, vt etſi deorum multitudinem inducat, & Mundum aſſerat eſſe Deum, non ſeriò tamen neque ſecundùm ea, quæ ipſe ſentit, hæc dicta ſunt: ſed Poëtarum potiùs & communem conſuetudinem ſequutus, aut certè à perpetuo curſu vt ipſe profeſſus eſt, Deum appellat. Neque verò quia Deum eſſe dicit, idcirco non ortum eſſe arbitrabatur: cùm apertè & procreatum eſſe & principium habere non ſolùm dixerit, ſed etiam neceſſaria ratione confirmarit.

XI. VERVM quoniam vt confirmet Mundum de Platonis opinione ortum non eſſe, vt firmum argumentum Proclus hoc quoque proponit, quod in Politico, vt in conditione à Mundo ſeparat Deum, & hac Mundi ſeparatione ex ordine in ordinis perturbationem ipſum deducit, híncque cenſet traditam in Timæo Mundi procreationem, atque ex inordinato in id, quod in ordinem adductum eſt, commutationem, in ſola cōditione dici. Sciendum, quòd vt conceſ-

ſcrit quis ea, quæ in Politico ſcripta ſunt, in conditione dici, nihil tamen neceſſariò inde conficitur, Mundi ortum, qui in Timæo traditus eſt, conditione tenus tantùm eſſe traditum. Nam idem in Politico

Deſunt nonnulla.

LVGDVNI,
EXCVDEBAT NICOLAVS
EDOARDVS, CAMPANVS,
QVINTO IDVS
IANVARIAS,
1557.

